
6
10 M
36



KALENDARIA
ECCLESIÆ UNIVERSÆ
TOMUS QUARTUS.

KALENDARIA
ECCLESIÆ UNIVERSÆ

IN QUIBUS
TUM EX VETUSTIS MARMORIBUS, TUM EX CODICIBUS, TABULIS, PARIETINIS, PICTIS, SCRIPTIS, SCALPTISVE, SANCTORUM NOMINA, IMAGINES, ET FESTI PER ANNUM DIES

ECCLESIARUM ORIENTIS, ET OCCIDENTIS,
PRÆMISSIS UNIUSCUJUSQUE ECCLESIÆ ORIGINIBUS

RECENSENTUR, DESCRIBUNTUR, NOTISQUE ILLUSTRANTUR
STUDIO, ET OPERA

JOSEPHI SIMONII ASSEMANI
BIBLIOTHECÆ VATICANÆ PRÆFECTI, ET SACROSANCTÆ BASILICÆ PRINCIPIS APOSTOLORUM DE URBE CANONICI.

TOMUS QUARTUS.
KALENDARIA ECCLESIÆ SLAVICÆ, SIVE GRÆCO-MOSCHÆ.







ROMÆ, MDCCLV.
SUMPTIBUS FAUSTI AMIDEI
BIBLIOPOLÆ IN VIA CURSUS.

SUPERIORUM FACULTATE.

Dom. Probat. Rom. Schol. Piar.
ex P. Ildefonso.

SANCTISSIMO PATRI

BENEDICTO XIV.

PONT. OPT. MAX.

JOSEPH SIMONIUS ASSEMANUS
SEMPITERNAM FELICITATEM.



I qua eſt ullius gentis, aut ævi hiſtoria, BEATISSIME PATER, quæ ad poſterorum memoriam tranſmitti mereatur, ea eſt profecto Sla-

vicæ

vicæ gentis illius, quæ ab exilibus principiis orta, in validissimam nationem excrescens, late circumquaque vicinos Orientis, & Occidentis populos in jus suum ita traduxit, ut a primæva illa feritate ad meliorem cultum translata, Grecam Latinamque Ecclesiam toto Orbe diffusam, in se una videatur complecti. Quis enim putasset, e media inter Volgam & Borysthenem vastissima illa Hyperborea regione, quam Scythiam Veteres appellant, densissimis quondam non minus Ethnice superstitionis, quam barbaricæ feritatis tenebris Gentem post tot sæcula involutam, surrecturam, quæ dum in penitiores Byzantini atque Germanici Imperii partes invadens, eas deletis, aut in captivitatem abductis incolis occupat, adspirante demum Divini numinis gratia, inveteratam ævo, armorumque potentia suffultam superstitionem excuteret, everteret, deleret, & quam prius totis viribus exagitabat, Christianæ Religioni colla submitteret?

Ni-

Nimirum, ut tantæ molis conatus non in irritum cederet, ſed feliciter ſortiretur effectum (ut id de Slavis dicam, quod in Sacris literis [1] de Abrahamo Hebræorum Patriarcha ſcriptum legitur) neceſſe fuit, egredi Slavos de terra ſua, & de cognatione ſua, & de domo patrum ſuorum, & venire in terram, quam Deus illis præparaverat. Ut vero faceret illos Deus in gentem magnam, & benediceret eis, & magnificaret nomen eorum; in id Tui, SANCTISSIME PATER, Deceſſores Summi Pontifices, Nicolaus, Hadrianus, Joannes, Innocentius, aliique operam ſuam ſtudiumque impenderunt: qui, miſſis doctrina ac pietate præſtantiſſimis Legatis, ſcriptiſque nervoſiſſimis Epiſtolis, Orthodoxa illos fide imbuendos curarunt, ſimulque ut patrio, ideſt, Slavonico ſermone in Divinis celebrandis uti poſſent, benigne conceſſerunt.

Huic igitur tam memorabili argu-

mento

(1) *Geneſ. cap.* 12.

mento dum aliquid curæ impendere ; censeo, dumque istiusmodi rerum apud ipsos Slavos gestarum monimenta è tenebris eruta colligere, & expolire pro viribus conor; quin Tuo Nomini, PONTIFEX SAPIENTISSIME, id qualecumque est operis ac laboris, nuncupandum esset, dubium mihi nullum fuit. Debent quippe Tibi Slavi, quod de illis non minus, quam reliqui Decessores Tui, optime meruisti. Sive enim ii Græcum Ritum in Russia & Polonia; sive Latinum in Illyrico & Dalmatia colant, uberrima in utrosque Apostolicæ providentiæ ac benevolentiæ Tuæ argumenta exhibuisti. Tres advoco præclaros illos, omnigenaque doctrina & sapientia refertos, qui jam in publicam utilitatem typis prodiere, Epistolarum Tuarum, atque Pontificiarum Constitutionum Libros (ut de ceteris, qui nondum in lucem emissi sunt, sileam:) quibus Libris, etsi ad omnes Christifideles tum in Ditione Ecclesia-

stica,

ſtica, & in reliquis Italiæ atque Europæ partibus commorantes, tum longiſſimis etiam locorum intervallis diſtantes, Paſtoralis Tua Vigilantia ſeſe paterna caritate extendit, omnemque curam ac ſtudium adhibet, ut ubique terrarum Catholicæ Fidei integritas, Eccleſiaſticæ diſciplinæ nitor, probitaſque morum, ſarta tecta ſerventur; non minoribus tamen Pontificiæ ſollicitudinis ſtudiis in eos intendit, qui vitæ rituumque genere inter ſe differentes, Slavicam Eccleſiam Latinis Græciſque ceremoniis ornatam conſtituunt.

Quum enim è ſublimi Sedis Apoſtolicæ ſpecula Dominicum Gregem à Paſtorum Principe curæ Tuæ commendatum, Sancte Pater, circumſpiceres, probeque intelligeres, opportunum eſſe, ut qui in Dalmatiæ [2] Diœceſibus à Serviano Schiſmate ad verum Chriſti ovile redierint, aut redituri eſſent, Presby-

b teros

(2) *Bullar. Tom.* 1. *pag.* 221. *Conſtit.* 63. E ſublimi Sedis Apoſtolicæ ſpecula. *Dat. die* 4. *Octob.* 1742. *Pontif.* III.

teros & Ecclesiasticæ Hierarchiæ reliquos haberent à Catholico Episcopo consecratos Græco ipsorum Slavico, sive Ruthenico Ritu; quumque nullus ibi adesset Orthodoxus Græci Ritus Antistes, qui suæ gentis Catholicos Clericali militiæ dare nomen cupientes initiaret; optimum visum Tibi fuit, Latino Episcopo Auxerensi, Literarii Illyrici sermonis ab ea natione ad Sacras functiones adhibiti perito, tribuere facultatem cooptandi in Ecclesiasticos Ordines eodem Græco-Slavonico Ritu, non modo in propria, sed etiam in alienis Diœcesibus Dalmatiæ, Venetorum imperio subjectis: ut nempe absurda illa, & Sacris Canonibus vetita consuetudo abrumperetur, Sacros Ordines à Schismaticis Episcopis accipiendi. Atque ita Græco-Slavis Orthodoxam religionem colentibus consuluisti, ut discissa cum Schismaticis Præsulibus societate, occulte inde Schismatis aut hæreseos venenum non haurirent.

Lati-

Latinis quoque Presbyteris Apostolicas Missiones per Russiam [3] Polonicam exercentibus, aliisque Sacerdotibus in Montibus Pokuciæ, in Podolia, in vastissimis Ukrainæ regionibus, & in universa fere Russia, Alba nuncupata, degentibus, ubi frequentes quidem sunt Ruthenorum Unitorum Ecclesiæ, rarissimæ vero Latini Ritus, per Apostolica Scripta providisti, ut ipsi, & eorum quilibet, in Ecclesiis Ruthenorum Unitorum, deficientibus lapideis Altarium Tabulis rite consecratis, super sacris eorumdem Ruthenorum Antimensiis, Missarum solemnia celebrare; atque etiam in hujusmodi celebratione eorumdem Calicibus stanneis uti libere & licite possent; ea videlicet probata confirmataque Sanctione, quæ olim, Episcopo [4] Vilnensi rogante, edita fuerat,

 ut

(3) *Bullar. Tom.3. pag.359. Constit.43.* Imposito Nobis Apostolicæ servitutis officio. *Dat. an. Incar. Dominicæ* 1751. IV. *Kal. Aprilis Pontific. XI.*

(4) *Anno 1602. Indultum pro Diœcesi Vilnensi concessum a Sac. Congregatione Cardinalium Inquisitorum Generalium a Clemente Papa VIII. approbatum.*

ut Sacerdotes Rutheni non Schiſmatici, in Eccleſiis Catholicorum Ritus Latini, Altaribus, Calicibus, & Veſtibus ſacris eorumdem Catholicorum uti, & Miſſam celebrare poſſint, in caſu neceſſitatis, ac etiam ſolùm devotionis cauſa, dummodo Ritu Rutheno celebrent. Et e contrario, Sacerdotes Ritus Latini in Eccleſiis Ruthenorum non Schiſmaticorum, Altaribus, & Calicibus, ac Veſtibus ſacris uti, & Miſſam celebrare valeant, Ritu tamen Latino. Et prædicta ſerventur, ſecluſo omni ſcandalo, & de licentia Prælatorum, & Rectorum ipſarum Eccleſiarum.

Qua ſapientiſſima Conſtitutione illud iterum iterumque palam feciſti, Sanctissime Pontifex, quod in aliis Tuis [s] doctiſſimis Decretis ſtatueras, numquam videlicet Eccleſiæ Latinæ men-

(s) *Bullar. Tom.*1. *pag.*167. *Conſtit.*57. Etſi Paſtoralis. *Dat. anno* 1742. VII. *Kalend. Junii Pontif. an. II.*

*Ibid. pag.*290. *Conſtit.*87. Demandatum cælitus. *Dat. an.* 1743. *die* 24. *Decemb. Pontific. IV.*

*Bullar. Tom.*3. *pag.*363. *Conſtit.*44. Etſi perſuaſum habemus. *Dat. an.* 1751. *die* 20. *April. Pontific. XI.*

mentem fuiſſe, ut Græcorum Ritus deſtrueret; quin potius eorum conſervationi, quantum fas eſſet, nec non eorumdem apud Græcos obſervationi proſpexiſſe: ſic tamen (quemadmodum in alia Conſtitutione decreviſti:) ut ea quæ in quibuſvis Eccleſiis ſapienter ſtatuta & ſanctiſſime cuſtodita reperirentur, non ſolum inviolabili etiam Supremæ Apoſtolicæ auctoritatis ac firmitatis robore communire Romana Eccleſia omnium Catholici Orbis Eccleſiarum Mater & Magiſtra ſtuduerit; verum etiam Apoſtolicis ipſe mandatis in poſterum ſervanda præceperis in Meſſanenſi Collegiata Eccleſia (6) ſub invocatione Sanctæ Mariæ *del Graſeo*, Catholica nuncupata, cui Protopapas præeſt, ubi Divina Officia, & ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium Græco quidem ſermone, ſed Latino Romano Ritu celebratur, & Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sa-

(6) *Bullar. Tom.* 1. *pag.* 266. *Conſtit.* 81. Romana Eccleſia. *Dat. an.* 1743. *die* 18. *Martii Pont.* III.

Sacramentum in Azymo conficitur, ſacræ quoque Veſtes, & Sacerdotalia indumenta, ad inſtar Latinorum, adhibentur, & dies Feſti juxta Kalendarium Gregorianum ſervantur: in eadem proinde Eccleſia neque Protopapam, neque reliquum deinceps perpetuis futuris temporibus Clerum ullum omnino cooptari juſſiſti, niſi eodem Ritu Græco-Latino utentes.

Atque hæc in gratiam privatarum quarumdam Eccleſiarum, diverſis in Divinorum Officiorum & Sacroſancti Miſſæ Sacrificii celebratione Ritibus & Linguis, per Sacros Canones & Apoſtolicas Sanctiones comprobatis, utentium, antiqua earum jura & conſuetudines confirmans, ſapientiſſime edixiſti. Ceterum de Ritibus & moribus tam Eccleſiæ Græco-Slavicæ, quam Slavo-Latinæ illud generatim ſtatuendum decreviſti, nihil eſſe innovandum aut inducendum, quod integram exactamque eorumdem obſervationem immi-

ruat.

nuat. Quamobrem ut in Russia, & Lithuania, ubi nationis Ruthenæ cum Sede Apostolica Unio à temporibus Clementis VIII. decreta, ad hanc usque diem felicissime viget, Græcus Slavico sermone Ritus, Pontificia comprobatione firmatus, in suo robore permaneret, atque a Ruthenis integre inviolateque coleretur, (præter alias de Ritibus Ecclesiæ Græcæ servandis jam editas Sanctiones) id maxime in causa fuit, quod Ruthenorum Unitorum Episcopi, gentem suam è Ruthenico Ritu ad Latinum transire (quemadmodum frequenter antea fiebat, quum ejurato Schismate ad Catholicam communionem revertebantur) ægre admodum molesteque ferentes, porrectis Sanctæ (7) Sedi precibus impetrarunt, ut, si non Laicis Ruthenis, saltem Presbyte-

ris,

(7) *Decretum* 1. *sub die* 7. *Februar.* 1624. Ne de cetero Ruthenis Unitis, sive Laicis sive Ecclesiasticis tam Secularibus, quam Regularibus &c.

Decretum 2. *sub die* 7. *Julii* 1624. Ne de cetero Presbyteris & aliis Ecclesiasticis Ruthenorum Unitorum &c.

ris ; aliisque Ecclesiasticis, ac præsertim Monachis Sancti Basilii, ad Latinas ceremonias quacumque de causa etiam urgentissima, sine speciali Sedis Apostolicæ facultate, transitus denegaretur. Hoc vero ipsum, quod Urbanus VIII. probaverat, fuit a Te non semel laudatum decretumque. Zamoscianam præterea Synodum anno 1720. sedente Clemente XI., ab Episcopis Ruthenis celebratam, in qua Slavicæ Linguæ in Divinis celebrandis usus inter alia commendatur, quum a Secretis Congregationis S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum operam dares, PATER BEATISSIME, ab Innocentio XIII. confirmatam, deinde a Benedicto XIII. per Apostolicas Literas probatam, Tua [8] etiam Constitutione servandam esse declarasti, qua Unionem omnium Monasteriorum Ordinis Divi Basilii Ruthenorum tam Lithua-

(8) *Bullar. Tom. 1. pag. 346. Constit. 98.* Inter plures. *Dat. an.* 1744. *die* 2. *Maji Pontific. IV.*

thuaniæ, quàm Russiæ seu Poloniæ in unicam Congregationem duabus Provinciis compositam, non modo libenti animo adductus es, ut approbares; verum etiam plura Decreta ad ipsius præclari Basiliani Ordinis regimen spectantia adjecisti, datis antea ad Archiepiscopum (9) totius Russiæ Metropolitanum, nec non ad Episcopos Ruthenos Literis, ut Unionem eorumdem Sancti Basilii Monachorum sub unico Proto-Archimandrita promoveant & foveant.

Eximiis hisce Tuis in Rutheno-Græcum, seu Græco-Slavum Ritum promeritis jungenda sunt ea quæ peculiaria sunt Ecclesiastici Ritus Slavo-Latini. Hunc quidem Ritum Joannes VIII. Pontifex, Decessor Tuus, postquam de Orthodoxa Sancti Methodii Slavorum in Moravia Episcopi fide, deque accurata per ipsum aut fratrem ejus San-

c ctum

(9) *Bullar. Tom. 1. pag. 217. Constit. 66.* Etsi dubitare non possumus. *Dat. an.* 1742. *die* 27. *Novemb. Pont. III.*

ctum Cyrillum elaborata Sacrarum Scripturarum Divinorumque Officiorum in sermonem Slavicum translatione edoctus fuisset, Slavis Latinæ Ecclesiæ in Moravia addictis concessit, ad Sfentopulchum [10] Moraviæ Principem sic scribens: *Slavonicas Literas a Constantino quodam Philosopho repertas, quibus Deo laudes debitæ resonant, jure laudamus, & , ut in eadem lingua Christi Dei nostri præconia & opera enarrentur, jubemus*. Et paucis interjectis. *Nec sane Fidei, vel doctrinæ aliquid obstat; sive Missas in eadem Slavonica Lingua canere, sive sacrum Evangelium, vel Lectiones Divinas Novi & Veteris Testamenti bene translatas & interpretatas legere, aut alia Horarum Officia omnia psallere*. Additque: *Jubemus tamen, ut in omnibus Ecclesiis terræ vestræ, propter majorem honorificentiam, Evange-*

lium

(10) *Jo: PP. VIII. epist. 247. ann. 880. ad Sfentopulchum Moraviæ Principem.*

BENEDICTUM XIV. *Pont. Max. olim Prosper Cardin. de Lambertinis de Sacrosanct. Miss. Sacrific. lib. 2. cap. 2. num.* 10.

lium Latine legatur , & postmodum Slavonica Lingua translatum , in auribus populi Latina verba non intelligentis annuncietur . Et , si Tibi , & Judicibus tuis placet , Missas Latina Lingua magis audire , præcipimus , ut Latine Missarum Tibi solemnia celebrentur . Ex quo factum est , ut non in Moravia solum , sed etiam in Dalmatia & Illyrico , alicubi Slavice Missarum solemnia Divinaque Officia celebrentur : alicubi Latine ; & in quibusdam Ecclesiis , postquam Evangelium Latine lectum est , Slavonico sermone traslatum in auribus populi , Latina verba non intelligentis , annuncietur . Porro quum Slavonicæ linguæ in Sacris peragendis usum ceteri post Joannem VIII. Romani Pontifices probassent , accessit demum SANCTITATIS TUÆ auctoritas, MAXIME PONTIFEX , qui ut illos , qui in eumdem Ritum irrepserant , abusus tolleres , jussisti , ab Ecclesiasticis omnibus Ritus Slavo-Latini , solum in Missis , &

Divinis Officiis idioma Slavum Literale cum characteribus, ut vocant, Hieronymianis, esse adhibendum. Liceat mihi ad perpetuam prudentissimæ Constitutionis Tuæ laudem ipsis verbis Tuis uti. *Quum itaque* (SANCTITAS TUA inquit) *ex fide* (11) *dignorum testimonio accepimus, in Ritum Slavo-latinum, quem fel. rec. Prædecessor noster Joannes Papa VIII. fideli ac religiosæ Nationi Illyricæ, una cum idiomate, quod nunc Slavum Literale appellant, & characteribus, quos Hieronymianos dicunt, adhibendum concessit, & successivis temporibus recolendæ memoriæ Prædecessores pariter nostri Urbanus VIII., & Innocentius X., dum Missale & Breviarium eodem idiomate & characteribus excudenda typis traderentur, iteratis vicibus confirmarunt; nonnullos irrepere abusus, Apostolicæ Sedis intentionibus, institutisque* Cano-

(11) *Constit.* Ex Pastorali munere. *Datum ann.* 1754. 18. *Kal. Sept. Pontif. XV.*

Canonicis contrarios, *perniciosa aliquorum libertate*, *qui audent Missas*, *insertis orationibus & precibus Slavo vulgari sermone conscriptis*, *componere*; *Initium quoque Evangelii secundum Joannem*, & *Psalmum* Lavabo, *eadem vulgari lingua*, *Latinisque characteribus impressa*, *nulla desuper a Nobis facultate & approbatione praeobtenta*, *sibi*, *aliisque Sacerdotibus legenda proponere*: *Idcirco ne hujusmodi abusus*, *qui eundem Ritum miscere ac turbare facile posset*, *latius progrediatur*; *postquam aliis nostris editis Constitutionibus*, *nimirum* LVII. *cui initium* Et si Pastoralis, & *LXXXVII. incipiente* Demandatum cælitus, *quæ extant in Bullarii nostri Tom.* 1. *pag.* 167. & 290. *Græcorum Rituum conservationi & integritati pro Italo-Græcorum*, & *Græco-Melchitarum Nationibus abunde providerimus*; *eandem nunc sollicitudinis nostræ curam ad Illyricam Nationem convertentes*, *suprema qua fungimur auctoritate*, *volumus*, *præcipimus*, *atque mandamus*,

ut Ecclesiastici omnes & Sacerdotes, tam Sæculares, quam cujuscumque Ordinis aut Instituti Regulares, qui Ritum Slavo-Latinum profitentur, in Augusto Altaris Sacrificio, & in Horis Canonicis, aliisque Divinis Officiis persolvendis & obeundis, Missalia, Tabellas, & Breviaria characteribus Hieronymianis impressa Typis Congregationis Propagandæ Fidei, quæque in posterum ibidem imprimentur, non sine præviis opportunis revisionibus, & approbationibus aliisque diligentiis hucusque adhibitis, & deinceps adhibendis a Viris doctis, & Slavo-Latinum idioma, ac Hieronymianos characteres apprime callentibus, quemadmodum per plura anteacta sæcula ab Illyrico Clero servatum studiose fuit, ita deinceps omnino adhibere debeant & teneantur; utque inposterum nemo ex prædicto Clero in Missis celebrandis, aut in Divinis Officiis persolvendis orationes & preces, quæ Nostra & Apostolicæ Sedis auctoritate examinatæ non fuerint & approbatæ, reci-

tare,

tare, aut quoquo modo adhibere audeat ſeu præſumat.

Ita quum de utriſque Slavicis, Latino ſcilicet, & Græco Ritu, SANCTITAS TUA tam præclare, non ſecus ac de univerſa, quæ ſub cœlo eſt, natione, meruerit, facili negotio percipitur, cur Quartum hunc Tomum, in quo Eccleſiaſticas utriuſque Gentis Origines exponere aggreſſus ſum, Tuo ſub auſpicatiſſimo Nomine in lucem protrahere ſtatuerim.

Huc accedunt aliæ peculiares cauſæ, tum privatæ, tum publicæ. Jamdiu enim ego cupiens aliquo documento palam teſtari, quantum BEATITUDINI TUÆ pro collatis mihi beneficiis debeam, & quantum benevolentiæ a Tua benignitate, SANCTISSIME PATER, comitatiſque quotidie experiar; tenue hoc, quod poſſum, & in promtu mihi erat, lucubrationum mearum munuſculum offerre decrevi. Quod autem idem ipſe in Primo hujus Operis

Tomo

Tomo SANCTITATI TUÆ nuncupato , jampridem enarravi, Bibliothecam Apostolicam Vaticanam , cui , Te annuente ac favente , primarius Custos præsum , & pluribus tum manu exaratis , tum impressis Codicibus , ac præcipue Otthobonianis a Te auctam ; & pretiosa Nummorum serie , quos a Xaverio Scilla Messanensi tuo ære coëmtos , in Museum Vaticanum transferri , & ut verissima Summi Romanorum Pontificum in Urbem imperii monimenta , omni diligentia & incorrupta fide custodiri jussisti , exornatam ; hoc ipsum licet mihi nunc vera cum gloria de Te prædicare : splendidis nempe atque immortalibus Tuis in eandem Bibliothecam promeritis nuper id accessisse , quod & illam refectis ornatisque Armariis, Fenestrarum spondis lateribusque Picturis condecoratis, Velariis in Solis repercussum munitis, in splendidiorem speciem redegeris ; & eruditissimum , omnique laudis genere spectatissimum S.R.E. Car-

dina-

dinalem Bibliothecarium Dominicum PASSIONEUM eidem præfeceris.

Quod reliquum eſt, Tua fretus ſumma, qua univerſos excipere ſoles, humanitate, PONTIFEX CLEMENTISSIME, Tuis me veſtigiis demiſſiſſime advolvo, atque ut Opus hoc qualecumque a Te Sapientiſſimo, Literarumque fautore ampliſſimo probetur, vehementer opto, & ſpero: Teque ut diutiſſime Nobis, ad Reipublicæ Chriſtianæ bonum, ſervet atque incolumem tueatur, a Deo Optimo Maximo precari non deſino.

AP-

APPROBATIO

LIBRUM Quartum Operis inſcripti, KALENDARIA &c. ECCLESIASTICAM SLAVORUM hiſtoriam continentem evolvens, nihil offendi adverſum Fidei, aut bonis moribus, ſed libens uberrimam miratus ſum eruditionis copiam Cl. Auctoris, cui jure & merito univerſa plaudit Literaria Reſpublica.

Petrus Franciſcus Fogginius.

APPROBATIO

DILIGENTER legi, mandante Rmo P. Auguſtino Orſi Sac. Pal. Apoſt. Magiſtro, Tomum Quartum DE KALENDARIIS ECCLESIÆ SLAVICÆ, ſeu GRÆCO-MOSCHÆ, ab Illmo D. Jo: Simonio Aſſemano Vat. Baſilicæ Canonico, & Bibliothecæ Præfecto, ut reliquos, ſummo ſtudio, ac diligentia conſcriptum, in quo quum univerſa ſint ad veram Catholicæ Religionis normam exactiſſime librata, & nihil, quod cuiquam offenſioni eſſe poſſit, obſervaverim, publicis typis jure, ac merito vulgandum, ac laude proſequendum exiſtimo. Ex Vat. Bibliotheca Kalend. Julii Anno Domini CIƆ IƆCC LV.

Franciſcus Marianus Vatic. Baſil. Benef. & Bibliothecæ Scriptor Græcus.

I M-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Sacri Palatii Apostolici Magistro.


F. M. de Rubeis Patriarcha Constantinopolitanus Vicesgerens.



IMPRIMATUR.

Fr. Vincentius Elena Magister Socius Reverendissimi Patris Sac. Pal. Apost. Mag. Ord. Prædic.

L I-



LIBER QUARTUS

DE KALENDARIIS ECCLESIÆ SLAVICÆ, SIVE GRÆCO-MOSCHÆ.

PARS PRIMA

ORIGINES ECCLESIASTICÆ SLAVORUM RUSSIÆ, HUNGARIÆ, BOHEMIÆ, ET POLONIÆ.

CAPUT PRIMUM.

Russorum res gestæ ab anno Christi 774. ad annum 1043. Prima eorum ad Christi fidem conversio sub Basilio Macedone. Altera sub Constantino Porphyrogenito. Tertia sub Basilio Bulgaroctono & Constantino. Regum Russorum series a Rurico usque ad Uladimirum II. Monomachum. Turcorum sive Hungarorum Reges Arpades, Soltan, Toxus, Geysa: necnon Bultzus seu Bologudes, & Gylas.



UONIAM de Russorum nomine, primordiis, atque incrementis nonnulla hactenus ex veteribus Annalibus eruta literis mandavi; operæ pretium facturum me arbitror, si una eademque perpetua narratione Ecclesiasticas eorumdem Origines, ex quo scilicet Christianam sunt fidem amplexi, in hoc Tomo exponam. I. Primi Russorum Reges ex Herbersteinio, Ruricus, Igor, Olga seu Helena, Svatoslaus, & Uladimirus.

Sigismundus Herbersteinius in Rerum Moscoviticarum Commentario, primum ex Annalibus, Russicæ gentis Prin-

cipem *Rurickum* eruit. ,, Qui initio Ruthenis (*sic Russos vo-*
,, *cat*) imperaverint, incertum est. Characteribus enim care-
,, bant, quibus res gestæ mandari potuissent. Postea quam ve-
,, ro Michaël Rex Constantinopolitanus literas (*a*) Slavoni-
,, cas in Bulgariam anno (*b*) mundi 6406. misisset, tum pri-
,, mum non ea dumtaxat, quæ tum gerebantur, verum etiam
,, quæ a majoribus acceperant, & per longam memoriam reti-
,, nuerant, scribi, inque Annales eorum referri cœpta sunt,
,, ex quibus constat, Coseros (*c*) populum a nonnullis Ru-
,, thenis, tributi nomine, aspreolorum pelliculas de singulis
,, ædibus exegisse: item Waregos ipsis imperavisse. *Et infra.*
,, Videntur itaque mihi Rutheni ex Wagriis, seu Waregis po-
,, tius principes suos evocasse, quam externis, & a religione
,, sua moribus idiomateque diversis, imperium detulisse.
,, Quum itaque Rutheni aliquando inter se de principatu con-
,, tenderent, ac mutuis odiorum facibus inflammati, exortis
,, denique gravissimis seditionibus decertarent; tum Gosto-
,, missel, vir & prudens, & magnæ in Novogardia auctorita-
,, tis, in medium consulvit, ut ad Waregos mitterent, atque
,, tres fratres, qui illic magni habebantur, ad suscipiendum
,, imperium hortarentur. Mox audito consilio, legatis missis,
,, principes germani fratres accersuntur: venientesque eo, im-
,, perium ipsis ultro delatum inter se dividunt. Rurick prin-
,, cipatum Novogardiæ obtinet, sedemque suam ponit in La-
,, doga, XXXVI. milliaribus Germanicis infra Novogardiam
,, ma-

---

a Slavonicarum literarum inventorem fuisse Sanctum Cyrillum Slavorum Apostolum, supra docuimus. Non igitur Michaeli Imperatori sunt referendæ.

b Legendum, 6374. idest Chr. 865. nam *Michael* Imp., sub quo Bulgarorum Rex Bogoris, qui & Michael, fidem Christianam suscepit, cæsus fuit die 24. Sept. anno 867.

c *De Coseris*, (inquit ibid. Herbersteinius) *unde aut quinam fuerint, nihil præter nomen ex Annalibus: de Waregis itidem certi quicquam ab illis cognoscere non potui.* Verum *Coseri* non alii sunt, quam *Chazari*, Tauricam Chersonesum incolentes: uti alibi demonstravi. ,, Porro gentes Waragorum (docente Culcinio in Specimine Ecclesiæ Ruthenicæ, in Serie Chronologica magnorum Russiæ seu Moscoviæ Ducum num. VII. *in Rurico*, pag. 107.) ,, Drevlanorum, Jazigarum seu Jazuingarum, ,, Polonciorum, Pecenigorum, aliæque finitimæ, quamvis divisæ sub diversis Dominis ,, contra se invicem, semperque pugnaverint, omnes tamen Sarmaticæ seu Roxolanicæ fuere ,,. Mare Balthicum, & sinus ille, qui Germaniam a Dania, item Prussiam, Livoniam, maritimam denique Moscovitici Imperii partem a Svedia separat, adhuc apud Ruthenos nomen suum retinet, atque *Waretzkoie morie*, hoc est, *Waregum mare* appellatur, ut scribit Herbersteinius loc. cit.

„ magnam. Sinaus consedit in Albo lacu. Truwor vero in
„ principatu Plescoviensi, in oppido Svuortzech. Hosce fra-
„ tres originem a Romanis traxisse, gloriantur Rutheni: a
„ quibus etiam præsens Moscoviæ (*a*) princeps se genus du-
„ xisse suum asserit. Horum autem fratrum ingressus in Rus-
„ siam, juxta Annales, fuit anno mundi 6370. (*idest Chri-*
„ *sti* 862.) Duobus sine hærede defunctis, principatus omnes
„ Rurick superstes obtinuit, castra inter amicos & famulos di-
„ visit. Moriens filium juvenem, Igor nomine, unacum re-
„ gno commendat cuidam Olech propinquo suo: qui id, de-
„ victis multis provinciis, auxit: arma in Græciam usque
„ transferens, Byzantium etiam obsedit: & quum triginta
„ tribus annis regnasset, atque in caput seu cranium sui equi,
„ jam olim mortui, pede forte impegisset, vermis venenosi
„ morsu læsus occubuit. Mortuo Olech, Igor ducta ex Ple-
„ scowia uxore Olha, imperare cœpit: qui quum exercitu
„ suo longe progrediens, Heracleam & Nicomediam usque
„ pervenisset, tandem bello superatus aufugit. Post a Mal-
„ ditto Drewlianorum principe in quodam loco, Coreste no-
„ mine, ubi etiam sepultus est, occiditur. Filius autem Swa-
„ toslaus, quem infantem reliquit, quum per ætatem impera-
„ re non posset, interim mater Olha regno præfuit: ad quam
„ quum Drewliani viginti internuncios misissent, cum man-
„ datis, ut eorum principi nuberet; Olha nuncios Drewlia-
„ norum vivos obrui jussit: suosque interim Legatos ad eos
„ misit, nimirum, si se principem & dominam expeterent, ut
„ plures atque præstantissimos procos mitterent; mox alios
„ selectos quinquaginta viros ad se missos, in balneo combus-
„ sit: aliosque legatos iterum misit, qui adventum suum an-
„ nunciarent, juberentque apparare aquam mulsam, aliaque
„ ex more ad parentandum marito defuncto necessaria. Por-
„ ro ad Drewlianos quum venisset, maritum deplanxit,
„ Drewlianos inebriavit, quinque millia illorum occidit:
„ mox Chioviam reversa, exercitum conscripsit: contra Dre-

a Basilius Joannis f. qui Russis imperabat anno 1526. ut scribit Herbersteinius pag. 25. ubi de ejus uxoribus agit. Porro quos Rutheni *Romanos* vocant, ii haud-dubie *Græci* sunt Byzantino Imperio potiti aut subjecti, qui sibi *Romæorum* nomen a Roma nova, idest Constantinopoli, imposuere, uti ex historicis Byzantinis notum est.

„ wlianos progressa, victoriam reportavit; fugientes in ca-
„ strum persecuta, obsidione ad integrum annum pressit: post,
„ interpositis conditionibus, tributum illis de qualibet domo,
„ tres videlicet columbas totidemque passeres, imperat: acce-
„ ptasque in tributum aves, continuo alligatis sub alas igneis
„ quibusdam instrumentis dimittit. Avolantes columbæ, ad
„ ædes consuetas redeunt, revolantque, castrum incendunt.
„ Inflammato jam castro diffugientes, aut occiduntur, aut ca-
„ pti venduntur. Occupatis ita omnibus Drewlianorum ca-
„ stris, ulta mariti mortem, Chioviam revertitur: dein anno
„ mundi 6463. (Christi 955.) in Græciam profecta, Baptis-
„ mum sub Rege Joanne Constantinopolitano suscepit: com-
„ mutatoque nomine Olhæ, Helena vocata est: ac magnis
„ post Baptismum a Rege muneribus acceptis, domum rever-
„ titur. Hæc prima inter Ruthenos Christiana fuit, ut Anna-
„ les eorum testantur, qui eam Soli æquiparant. Sicuti enim
„ Sol ipsum mundum illuminat: ita & ipsa Russiam fide Chri-
„ sti illustrasse dicitur. Swatoslaum (*a*) autem filium ad
„ Baptismum nequaquam perducere potuit: qui quum adole-
„ visset, strenuus ac promptus statim omnes bellicos labores,
„ periculaque consueta non detrectavit: in bello nulla impe-
„ dimenta, ne vasa quidem coquinaria, exercitui suo permi-
„ sit, carnibus tostis dumtaxat utebatur, humi requiescens,
„ sella capiti subjecta. Vicit Bulgaros, ad Danubium usque
„ progressus: inque civitate (*b*) Percaslaw, sedem suam
„ posuit, ad matrem atque consiliarios suos dicens: Hæc enim
„ sedes mea, in medio regnorum meorum: ex Græcia ad me
„ adferuntur Panodocki, aurum, argentum, vinum, variique
„ fructus: ex Hungaria, argentum, & equi: ex Russia, scho-
„ ra, cera, mel, servi. Cui mater: jamjam moritura sum:
„ tu me ubicumque volueris sepelito. Itaque post triduo mo-
„ ritur, atque a nepote ex filio, Volodimero, jam baptizato,
„ in numerum Sanctorum refertur, diesque undecimus Julii
„ sacer illi dicitur.

II. Quid Ignatius Kulczynski de iis-

Eadem apud Culcinium in Specimine Ecclesiæ Ruthenicæ a pag. 107. de tribus hisce primis Russorum ducibus, Rurico, Igo-

a Sphendosthlabus vocatur a Græcis scriptoribus.
b Leg. *Persthlaba*.

Igore, ejusque uxore Helena seu Olga leguntur, ex Annalibus Russiæ desumta, qui *Stepennia Knigbi*, idest, *Libri Graduales*, nuncupantur. Et de Rurico quidem hæc habet. „ Hic „ fuit Dux Varagorum, vocatusque, auctore Gostomisslio, a „ Russis Septentrionalibus, ut ipsis præesset, fundavit Novo„ gorodum, idest novam urbem, sedemque imperii ibidem „ fixit, ac Ducatum annis 17. exercuit (*ab anno scil.* 861. *ad* „ 878.) *& mox*. Sub Rurico principe SS. Cyrillus & Metho„ dius, conversis ad fidem Christi Bulgaris, Serbis, Moravis, „ ceterisque vicinis Slavis, penetrarunt usque in Russiam, ac „ plurimos ad Christianam religionem pertraxerunt. Ad hæc „ pariter tempora refertur miraculum a quodam Antistite Græ„ co editum, quum librum S. Evangelii injectum rogo, inte„ grum prorsusque illæsum extraxerit, ut narrat Card. Baro„ nius in Append. de Ruthenis.

dem RussorumRegibus Rurico, Igore, Olga, & Svatoslao?

„ Rurico (*pergit Culcinius pag.* 108.) successit ejus fi„ lius Igorus, pro quo adhuc impubere rexit Ducatum Olgus „ Pscoviensium seu Plescoviensium (ut quidam scribunt) Dux, „ titulo Tutoris ad annum 886. Assumpsit deinde imperium „ Igorus, duxitque in uxorem Olgam filiam ejusdem Olgi sui „ Tutoris, qui varia bella pro genero ac Domino suo felicissi„ me gessit, & anno 896. ducens exercitum contra Principes „ Kiovienses Oskoldum ac Dirum, qui ab infelici in Græcos „ expeditione inglorii redibant, profligatis eorum copiis, „ ipsos etiam occidit. Unde Igorus transferens sedem Duca„ tus Novogorodo Kioviam, non jam Septentrionalibus, sed „ & Meridionalibus Russis imperare cœpit. Obscurum ea „ tempestate Moscovitarum nomen vix penes oppidum Mo„ scuam remansit: quum enim ipsi alias in oras, ac præcipue „ in Mysiam migrassent, occupatis vacuis sedibus aliæ gentes „ Roxolanicæ, Moscorum nomen fere suppresserunt. Regna„ vit Igorus annis 35. (*ab ann.* 886. *ad* 921.) interfectusque „ postmodum a Drewlanis, dum ab expeditione contra Græcos „ facta redibat, reliquit in imperio Olgam conjugem, & Sva„ toslaum filium suum.

„ Olga Igori vidua (*verba sunt ejusdem Culcinii p.* 109.) „ Svatoslai mater ac tutrix, pluribus annis regnum pro filio „ fortiter administravit, & misso contra Drewlanos exercitu,

„ vires

„ vires eorum attrivit, mortemque suo marito illatam graviter ulta est. Tandem quum regnasset annos 24. (*ab anno* 921.) cessit Svatoslao filio imperium, & anno 945. profecta Constantinopolim, jam fere septuagenaria sacrum Baptismum suscepit, ac Helenæ nomen assumpsit sub Constantino VIII. Imp. Redux in patriam, plurimos quidem ad Religionem Christianam perduxit, sed Svatoslaum filium suum ad amplectendam fidem pertrahere minime potuit. Magnis denique ornata virtutibus ac meritis, obiit anno 970., seu, ut alii volunt, anno 978. ob eximiam pietatem, divorum albo ab indigenis adscripta. Putant nonnulli Olgam baptizatam fuisse anno 952. ut & ego in Specim. Eccl. Ruth. tum in Præfat. tum ad diem XI. Julii pag. 27. dixi. Sed verior est sententia, & Chronotaxi conformior, initiatam baptismo ipsam fuisse anno 945.

III. Ante Rurici tempora, Russorum mentio ad an. 774. & 839.

Jam vero quæ hactenus dicta sunt, ea cum Græcis Latinisque Scriptoribus sunt comparanda. Prima *Russorum* mentio (quod sciam) apud Byzantinos scriptores ad ann. Constantini Copronymi XXXIII. Christi 774. Theophanes: „ Hoc anno, mense Majo, Ind. XII. Constantinus classem chelandiorum bis millium in Bulgariam instruxit: ipse adversus Russorum Chelandia, in Danubium aditum sibi paraturus movit „. Porphyrogenitus lib. de Admin. Imp. cap. 9. modum describit, quo Russi e Russia in Bulgariam, & inde Constantinopolim lintribus, monoxylis appellatis, veniunt.

Altera Russorum mentio apud Francos Annalistas ad annum 839. Annalista Bertinianus, quem Tom. 1. pag. 239. & Tom. 2. pag. 141. descripsi, ad annum Chr. 839. tradit, unacum legatis Theophili Imperatoris Orientis ad Ludovicum Pium Occidentis Imperatorem venisse „ quosdam, qui se, idest, gentem suam, Rhos vocari dicebant: quos Rex illorum Chacanus vocabulo ad se amicitiæ, sicut asserebat, causa direxerat; petens per epistolam, quatenus benignitate Imperatoris, redeundi facultatem atque auxilium per Imperium suum totum habere possent; quoniam itinere, per quæ ad illum (*Theophilum*) Constantinopolim venerant, inter barbaras & nimiæ feritatis gentes immanissimas habuerant, quibus eos, ne forte periculum inciderent,

„ redi-

„ redire noluit „. Sed Ludovicus Imperator, quum adventus eorum causam diligentius investigasset, comperit eos „ gentes Sveonum (*idest*, *Suedorum*) exploratores potius „ Regni illius, & nostri, quàm amicitiæ petitores „. Fuerint illi legati fortasse gente *Sveones*: verùm Dux seu princeps, a quo primum ad Orientis, deinde ad Occidentis Imperatorem missi fuere, certe *Russorum* Chaganus erat: neque enim id Theophilum Augustum latere potuit, cujus Regia Sedes „ Constantinopolitana nempe urbs (*uti Liutprandus scribit lib.* 1. *cap.* 3.) inter ferocissimas gentes est constituta: habet quippe ab Aquilone, Hungaros, Pizenacos, Chazaros, Russios, (quos alio nomine nos Nortmannos appellamus,) „ atque Bulgaros nimium sibi vicinos. *& lib.* 5. *cap.* 6. Gens „ quædam est sub Aquilonis parte constituta, quam a qualitate corporis (*a*) Græci vocant Russos, nos vero a positione „ loci vocamus Nortmannos „. Dudo de S. Quintino de Rebus gestis Nortmannorum „ Scanziam seu Scandinaviam insulam, a Danubio ad Scythici usque Ponti confinium, ortum „ dedisse Nortmannis scribit: esse autem ibi tractum quamplurimum Alaniæ, situmque nimis copiosum Daciæ, atque „ meatum multum profusum Getiæ „. Illic proinde communi Nortmannorum nomine non *Suedi* solum, *Dani*, ac *Norvegi*, sed etiam *Gothi*, *Sarmatæ* seu *Russi*, & *Alani*, cæterique septentrionalium partium accolæ collocantur. Helmoldus in Chron. Slavor. cap. 1. Hoc mare (de Balthico loquitur, quod longo tractu per Scythicas regiones tenditur usque in Græciam, idemque mare Scythicum vocatur) „ Hoc mare multæ „ circumsedent nationes: Dani siquidem, ac Sveones, quos „ Northmannos vocamus, Septentrionale litus, & omnes in „ eo obtinent insulas. At litus Australe, Slavorum incolunt „ nationes, quorum ab Oriente primi sunt (*b*) Ruzi; Deinde Poloni habentes a Septentrione Pruzos, ab Austro Bojemos, & eos qui dicuntur Morahi, sive Carinthi atque Sorabi „.

a Liutprandus decipitur, dum *Russos* ait a Græcis ob qualitatem corporis quasi *Rubei* essent, appellari. Ethymologiam hujus *Russorum* nominis habes Tom. 1. a pag. 121. Nimirum, sive a *Rhos*, de quo in sacris literis: sive ab eorum principe *Rhosso*; sive a *dispersione*, quæ *Rosseja* patrio sermone dicitur, ut *Rossi* iidem sint ac Græcis *nomades*.

b Sic Russos vocat.

„ bi „ . Nullum igitur dubium, quin ii legati, etsi Sveones natione fuerint, missi tamen sint a Principe *Rhos*, idest Russorum, qui anno Chr. 839. imperabat. Nimirum, ante Ruricum.

IV. Incerta esse, ac prorsus fabulosa, quæcumque de Russorum gestis ante octavum sæculum narrantur.

Quid? si *Kius* fuerit, a quo *Kiovia* condita? Non enim videtur obstare, quod Culcinius, (vir ceteroquin Rerum Russicarum peritissimus, utpote qui Voliniam patriam habuit) de Kio scribit in Serie Ducum Russiæ pag. 103. his verbis: „ Regnasse in Russia hunc Kioviæ conditorem seculo post natum „ Christum octavo multi opinantur. Sed præcessisse ipsum Adventum Christi, docet Anthologium Ruthenicum, in quo „ ad diem 30. Novembris, Synaxarium de S. Andrea Apostolo hæc habet: *Navigavit* (Andreas) *in Scythiam: & tandem divina providentia perveniens in Russiam, accessit ad* „ *montes Kiovienses, dixitque suis Sociis: videtis ne hos montes?* & cetera. Jam ergo tunc erat fundata Kiovia „ . Non obstant, inquam, hæc a Culcinio allata Synaxarii verba: quæ a viris doctis ita negantur, sicuti a bonis Russis asseruntur. Quum enim seculo tandem nono, & quod excurrit, rerum Christianarum cognitio ad Russos pervenerit, illud de Sancti Andreæ prædicatione quonam pacto ipsi nosse potuerint, quod Græcorum, Latinorumque notitiam fugit? Recte in hanc rem de Slavis in communi pronunciavit Martinus Cromerus lib. 1. cap. 3. „ Poloni (inquiens) & Slavi omnes, literas & literatos „ contempserunt, ac ne ocio quidem ad studia doctrinæ & humanitatis abundarunt, quum barbari inter barbaros consedissent, & continentia cum finitimis bella gererent. Quumque prius obscuri & ignobiles in vasta barbararum gentium „ colluvie latuissent, iis temporibus extiterunt, quibus Romani atque Græci, apud quos literarum atque doctrinæ studia „ semper in primis floruere, barbaricis Parthorum, Gothorum, Vandalorum, Alanorum, Langobardorum, Saracenorum, Hunnorum, & ad extremum ipsorum Slavorum armis implicati, divexati, & pene deleti, doctrina quoque „ & eloquentia propemodum exciderunt: & domesticis perpetuis malis atque calamitatibus impediti, ne otium quidem „ ad perquirendum & literis mandandum origines & res præclare gestas externorum, eorum præsertim, quos merito „ ode-

„ oderant, habuerunt. Itaque cum omnis illorum temporum „ historia perplexa & incerta est, tum Slavorum in primis: „ qui ad faciendum res memoratu dignas, quam ad memorandum promptiores & magis appositi, ne gloriæ quidem „ valde cupidi fuere: Quo factum est, ut non modo nihil de „ rebus gestis & origine sua comminiscerentur: quemadmodum Gothi fortassis, & solent multi alii: sed ne tenerent „ quidem memoria, aut posteris suis vicissim quasi per manus „ traderent, siquid veri certique a majoribus suis accepissent. „ Vix dum (*a*) sexcenti aut septingenti dumtaxat anni sunt, „ ex quo Slavica gens literas unacum religione Christiana amplexa est: nec magnopere sane unquam earum studium postea coluit, satisque habuit unusquisque sensa animi sui alteri absenti literis utcumque aperire, præteritorum juxta ac „ futurorum neutiquam curiosus.

V.

Russica in Byzantinum agrum excursio anno circiter 859. Ex Byzantinis Scriptoribus.

Scriptores Byzantini, Constantinus Porphyrogenitus, Incertus Theophanis continuator, Simeon Logotheta, Georgius Monachus, Leo Gammaticus, Zonaras, Scylitzes, Cedrenus, & Nicetas in Vita S. Ignatii Patriarchæ, narrant, *Rhossos gentem Scythicam*, a Ponto Euxino ad Stenum excursione facta, omnem circum regionem deprædatos esse. Insulanorum quoque Byzantinorum vasa omnia diripuisse: ipsius denique Ignatii Patriarchæ cœnobium barbarico furore incursantes, tota supellectili direpta spoliasse, duosque supra viginti ex familiaribus ejus, in uno navigii trochantere, omnes securibus frustatim concidisse. Quum autem in Hierum penetrassent, post multas factas cædes, urbem vallo cinxisse; ac quum vix Michaël Balbus Imperator trajicere potuisset, statim cum Photio Patriarcha ad Blachernense Deiparæ Templum venisse; eductamque cum sacris canticis e loculo ejusdem Deiparæ sacram Vestem, mari leviter intinxisse: quo facto, fluctibus continuo excitatis, Russos fractis conquassatisque navibus, domum redire coactos fuisse. Id anno Chr. 859. exeunte, aut ineunte 860. contigisse, demonstravi Tom. 1. a pag. 240. ad 243. & Tom. 2. pag. 160. & 232. ex quo consequitur, Rurici principatum (si quidem hæc sub ipso excursio in Byzantinum agrum peracta

a Scribebat Cromerus sub Sigismundo Augusto Poloniæ Rege paulo [illegible] annum 1506.

eſt) ab anno 861. ſeu 862. (quibus initium ejus a Culcinio & Herberſteinio figitur) ad annum ſaltem 858. retrahendum eſſe. Certe auctores Græci modo laudati nomen Ruſſorum Ducis non exprimunt: at vero Ruſſos eam expeditionem ſine Duce ſuſcepiſſe, a veri ſimilitudine abhorret.

VI. Ruſſi ſub Baſilio Macedone & Fidē Chriſtianā & Epiſcopum accipiunt a S. Ignatio. Patriarcha.

Sub Baſilio Macedone eoſdem Ruſſos, poſtquam domum, ut ſupra, redierant, affluenti auri argentique ac ſericarum veſtium largitione in fœdus pertractos, miſsis Legatis, Baptiſmum & Epiſcopum ab eodem Imperatore expetiſſe, tumque temporis miraculum illud conjecti in rogum ardentis ignis ſacrorum Evangeliorum codicis, nec tamen a flammis violati, accidiſſe, ex iiſdem Græcis auctoribus narravi Tom. 1. pag. 242. & Tom. 2. a pag. 228. Juverit eandem ipſam Ruſſorum ad Chriſtiana ſacra primam converſionem verbis Conſtantini Porphyrogeniti referre. Sic enim in Baſilii Avi ſui vita ſcribit num. 96. „ Genti „ Ruſſorum neſcienti manſueſcere, ullive cedere, atque a „ Dei ſenſu & pietate remotiſſimæ, auri argentique ac ſericarum veſtium affluenti largitione in fœdus pertractæ, initiſque cum ea induciis ac pace firmata, divini quoque Baptiſmatis participes fieri perſuaſit *Baſilius Imperator*, ac „ Archiepiſcopum ab Ignatio Patriarcha ordinatum ut ſuſciperent, effecit „. Nimirum, poſt abſolutam Synodum octavam, anno exeunte 870. vel ineunte 871., Bulgarorum exemplo, quibus Epiſcopus ab eodem Patriarcha Ignatio miſſus fuerat: quemadmodum Tom. 2. pag. 231. dictum eſt. Pergit Porphyrogenitus, de Archiepiſcopo ad Ruſſos miſſo, deque miraculo incombuſti in flammis ſacrorum Evangeliorum Codicis. „ Is Archiepiſcopus ad dictæ gentis provinciam quum „ veniſſet, ex tali eventu illuſtrique facinore, illius ſibi animos faciles reddidit. Gentis enim Princeps, ſubditæ plebis „ coacto cœtu cum Senatoribus ſuis ac proceribus præſidebat, „ qui & falſæ religioni ob longam conſuetudinem proclivius reliquis adhærebant: deque ſua ac Chriſtianorum fide deliberantibus, in conventum vocatur qui ad eos recens Epiſcopus „ venerat, ac quænam ipſe profiteretur, eoſque docturus eſſet, ex illo ſciſcitabantur. Eo ſacrum divini Evangelii librum protendente, ac quædam Salvatoris noſtri miracula, „ Deique in veteri Teſtamento prodigia exponente; ſtatim „ Ruſſi

„ Ruſſi ſubdiderunt: Niſi nos etiam ejuſmodi aliquid viderimus, ac potiſſimum quale in trium Puerorum camino accidiſſe dicis, nullam prorſus tibi fidem habebimus, nec tuis verbis animum aureſque noſtras ultra accommodabimus. Præſul vero de illius promiſſionis veritate fretus, qui ait: Siquid petieritis in nomine meo, accipietis: &: Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ille faciet, & majora his faciet; tum nimirum, quum non oſtentationis cauſa, ſed ad ſalutem animarum hæc quæ fiunt, ſunt futura; ait ad eos: Etſi non licet Dominum Deum tentare; ſi tamen ex animo ſtatuiſtis ad Deum accedere; quod libuerit, hoc & petite, omninoque Deus præſtabit propter fidem veſtram, etſi nos deſpicabiles & minimi ſumus. Petiere, ipſum fidei Chriſtianæ Librum (divinum ſcilicet ſacrumque Evangelium) in rogum injici ab eis accenſum; ac, ſi quidem Librum nihil flamma læſerit, aut exuſſerit, ad Deum acceſſuros qui ab illo prædicaretur. Quibus ſic dictis, ac Sacerdote oculos ac manus ad Deum levante, atque dicente: Clarifica nomen ſanctum tuum, Jesu Chriſte Deus noſter, etiamnum in oculis gentis hujus univerſæ: ſancti Evangelii liber in rogum ignis conjectus eſt. Nec paucis decurſis horis, ac rogo exinde extincto, inventum eſt ſacrum Volumen illæſum, nec edacis flammæ vi ulla violatum, nulla ejus ab igne noxa, aut diminutione, ut ne fimbriæ quidem librum claudentes, ullam aut corruptionem aut labem ſenſerint. Quo viſo Barbari, ac miraculi magnitudine in ſtuporem acti, omni ſublata hæſitatione, Baptiſmo intingi cœperunt.

VII. Animadverſiones in Pagium, & Leunclavium circa Ruſſorum ad Chriſti fidem converſionem.

Ex quibus intelligitur, primo, id factum ſub Rurico, ſi quidem is uſque ad annum 878. Ruſſis præfuit, uti Culcinius affirmat. Secundo, Pagium fuiſſe allucinatum, qui duplicem Ruſſorum converſionem ponit, unam anno 861. ſub Michaële Balbo: alteram anno 876. ſub Baſilio Macedone: quum una tantum fuerit, eademque anno circiter 871. Tertio, eundem Pagium errare, dum Ruſsos, qui ſub Baſilio, accepto Epiſcopo, baptizati ſunt, diverſos aſserit ab iis Ruſſis, qui ſub Michaële in Byzantinum agrum excurrerunt. Non eſt enim negandum, Ruſsicam gentem late extenſam fuiſse, multaſque provincias incoluiſse; ſed fatendum etiam eſt, unam eandemque

gentem fuisse Russos, qui rem cum Græcis gerebant. Quarto, quum circa annum 871. (ut supra dixi) Russorum ad Christi fidem conversio contigerit, rejicienda proinde est injuriosa circa eorundem Russorum Baptismum sententia Leunclavii, qui in commentario de Moschorum bello post annum 1500. suscepto (*a*) sic de Russis scribit. „ Frequens apud illos (*Græcos scilicet scriptores*) Rossorum (sic enim nuncupat) appellatio reperitur, de voce Roxolanorum veterum, ut „ quidam perhibent, orta, & quidem opera Græcorum tandem „ Christianam ad religionem perducti sunt, in hoc genere po„ stremi omnium (si Lituanos, Borussos, & Livonios excipias) „ Europæ nationum „. Nam a Russis fidem Christi ante Bohemos & Polonos acceptam fuisse, constat. Postremo, non ausim dicere cum eodem Pagio, Russos, qui sub Basilio baptizati, viso insigni illo incombusti Codicis Evangelici miraculo, dicuntur, ad idololatriam omnes ad unum rediisse. Etsi enim, quando Helena, ejusque postmodum ex filio nepos Uladimirus Baptismum suscepere, nulla fiat aliorum in Russia Christianorum mentio, id tamen de ejusce gentis Principibus est intelligendum, non de populo, ex quo nonnullos Christianam adhuc religionem coluisse, veri simillimum existimo: præsertim quum Episcopus ille a Basilio Augusto ad Russos missus, tamque honorifice ab illis acceptus, non legatur a Rurico, vel ab ejus successoribus exinde ejectus; quin potius induciæ dicantur ab eodem Basilio cum Russis ictæ, paxque firmata, nec rupta, nisi anno 941. quo Igorus expeditionem in Græcos, de qua mox sermo erit, suscepit. Atque hic non est prætereunda alia ejusdem Pagii allucinatio, scribentis ad ann. 876. num. XIX. „ Seculo decimo omnes citeriores & ulteriores Russi, unico „ Principi, cujus Metropolis Kiovia, parebant; ideoque „ Russi, qui hoc anno fidem amplexi sunt, eandem postea „ anno incerto abjecere; quum anno 988., quo Russia Chri„ stiana facta, nulli ibi Christiani, præter Helenam Reginam; „ reperti fuerint „. Nam neque Regina *Helena*, neque ejus filius *Svatoslaus*, quem Græci Sphendosthlavum appellant, ad annum Christi 988. supervixere: quemadmodum res est ex Anna-

a Prodiit Basileæ ex officina Oporiniana anno 1571. post Herbersteinii Rerum Moscoviticarum commentarium a pag. 205.

Annalibus Græcis Russicisque manifesta. Præterea Russia non uni, sed pluribus Principibus usque ad sequiora sæcula paruit, uti mox videbimus.

VIII. Expeditio in agrũ Byzantinum ab Igoro Russorum Rege suscepta.

Nunc ad Igorum Helenæ maritum accedo. Græci Scriptores, Incertus Continuator Theophanis, Simeon Logotheta, Georgius monachus, Scylitzes, Cedrenus, Zonaras, narrant, Rusos, quorum princeps erat Igorus, Indictione XIV. & XV. hoc est, anno Chr. 941. a mense Junio usque ad Septembrem, expeditione in agrum Byzantinum suscepta, temporibus Constantini Porphyrogeniti & Romani Lacapeni, victos fuisse. Sigebertus, hoc ipsum Rossicum Ingeris Regis (sic enim Igorum vocat) bellum, ad annum Chr. 936. ponit, in hæc verba. „ Anno 936. Inger Rex Russorum sciens, exercitus „ Græcorum esse ductos contra Saracenos, & ad insularum cu„ stodiam dispersos, ad expugnandam Constantinopolim cum „ mille & eo amplius navibus venit. Adeo de victoria jam se„ curus, ut qui Græcos non occidi, sed capi præciperet. Qui„ bus Imperator Romanus cum paucis viriliter occurrens, cir„ cumcirca Græco igni injecto, pene omnes cum navibus exus„ sit, paucis evadentibus; omnesque captivos decollari jus„ sit „. Etsi autem Rusicum hujusmodi bellum Tom. I. a pag. 243. descripsi, ad illustrandam tamen Rusicam historiam & ad emendandos Annalium ejus gentis errores, placet verba Incerti Continuatoris referre. „ Quartadecima (a) Indi„ ctione (*ait in Romano Lacapeno num.* 39.) mensis vero Ju„ nii undecima (*Anno Chr.* 941.) Rusi instructa clase, ad „ decem navium millia, adversus Byzantium navigaverunt. „ Hos Dromitas vocant (velut palantes dicas ac cursu veloces) „ atque a Francis genus ducunt. Misus est itaque cum trire„ mibus & celocibus quotquot in urbe erant, illorum impetum „ excepturus Theophanes Patricius: instructaque ac peracta „ clase, jejunii ac lacrymarum apprime præsidio munitus, „ Rusos opperiebatur, navale cum eis certamen commissu„ rus. Quod vero illi jam junxerant, ac prope Pharum ve„ nerant (vocatur vero Pharus, turris quædam & substructio „ cui fax accensa imponitur, ad eorum qui noctu applicant, „ iter

a Cedren. pag. 626. „ Indict. XIV. Junio mense, Rossica classis hostilis ad urbem appulit, navibus constans decem millium.

„ iter dirigendum) ipſe ad Euxini fauces ſtationem habens,
„ in loco quem Hierum vocant, repente in eos impreſſionem
„ fecit. Primus itaque ſua ipſe celoce vectus, cum Ruſſica-
„ rum navium ordinem diſſolvit, tum pleraſque præparato
„ igne nautico incendit; reliquas in fugam vertit: quem pone ſe-
„ quutæ naves reliquæ atque triremes, hoſtium omnem aciem
„ penitus fuderunt: ac plures quidem navium cum vectoribus
„ ſubmerſerunt, multos peremerunt, plurimos vivos cepe-
„ runt. Superſtites cladi reliquiæ ad Orientalem plagam, ad
„ locum Sgora dictum, trajecerunt. Ibi Bardas Patricius (*a*)
„ Ex-Dux miſſus, cum equitum peditumque delecta manu,
„ ad hoſtium iter terra intercipiendum, in eorum cohortem ſa-
„ tis numeroſam, ad pabulandum aliaque neceſſaria ad Bi-
„ thyniæ partes miſſam, incidit, ingentique cum ſtrage fu-
„ dit & profligavit, atque internecione delevit. Sed & ſapien-
„ tiſſimus ſolertiſſimuſque Joannes Curcuas Scholarum Dome-
„ ſticus, cum Aſiatico omni exercitu præſto fuit, multoſque
„ Ruſſorum a reliquo agmine aliis aliiſque locis divulſos offen-
„ dens, ſuſtulit, ita ſane, ut ejus aggreſſionis metu perculſi,
„ in ſuis ſe navibus adunata claſſe continerent, nec uſquam
„ excurrere auderent. Hi porro ingentia maximaque mala
„ perpetraverant; quum nec dum illis Romanæ copiæ præſto
„ eſſent. Nam Stenum omne quod vocant, igne vaſtarunt:
„ ex illis, quos captivos ceperant, alios in crucem agebant,
„ alios terræ configebant, alios velut ad metam erectos, ja-
„ culorum imbre impetebant. Quotquot vero Sacerdotalis ac
„ Clericalis Ordinis deprehendebant, iis retro vinctis mani-
„ bus, per medium caput clavos ferreos adigebant. Multas
„ ſacrarum ædium ſubjecta flamma combuſſerunt. Ingruente
„ vero hieme, quum eos jam neceſſarius commeatus defice-
„ ret, dum ſcilicet Scholarum Domeſtici Curcuæ copiarum in-
„ ſultus, virique prudentiam ac conſiliorum ſagacitatem ti-
„ ment, nec non Patricii Theophanis navalia prælia, exque
„ inſidiis aſtuque aggredientis impetum reformidant, domum
„ redire conſtituerunt. Ac vero hoc adnitentes, ut Romanam
„ claſſem laterent, quum menſe Septembri Indictione Quinta-
„ decima (*incboata Kalendis Septembris, ejuſdem anni Chri-*
„ *ſti*

a Cedren. & Scylitz. *Bardas Patricius Phocæ filius.*

„ *sti* 941.) ad Thraciæ partes transfretare aggresfi essent, „ quem dicebam Patricium Theophanem obvium habuerunt: „ neque enim viri solertissimum ac pervigilem animum unaque „ fortissimum fefellerunt. Mox igitur navalis iterum pugna „ committitur; plurimæque hostium submersæ naves, multi „ occisi: pauci cum navibus cladi subducti, inque Cules litus „ evecti, ingruente nocte fuga evaserunt. Theophanes Patricius cum insigni victoria maximisque erectis tropæis reversus, honorifice & magnifice suscipitur, Accubitoris dignitate ornatur „. Ex his patet, quam falso Cromerus de Rebus Polonicis lib. 3. cap. 2. in Mieziflavo, de Joro seu Igoro Rurici f. scribat, eum nempe Kioviæ ac Novogrodi Principatum obtinentem, multa cum Græcis Imperatoribus bella prospero eventu gesfisse, cumque eis fœdus iniisse. Præter Græcos laudatos Scriptores, contrarium docet Georgius Elmacinus in Historia Saracenica lib. 3. pag. 213. ad annum Hegiræ 329. inchoatum die 6. Octobris anni Christi 940. his verbis.

وفي هذه السنة وهي سنة تسع وعشرين وثلثماية غزا الروس القسطنطينية
وقاتلهم الروم وطردوهم وانهزموا الى بلادهم ۞

„ Hoc anno, ideft, 329. Rufsi oppugnarunt Constantinopolim: Sed armis in illos motis Romani, eos ejecere, & in „ regionem suam se recipere coëgere „. Neque ab Elmacino, neque a Byzantinis scriptoribus nomen Regis eorum Rufsorum exprimitur. At Liutprandus *Igorum* fuisse disertim affirmat Histor. lib. 5. cap. 6. „ Gens quædam est (inquiens) sub Aquilonis parte constituta, quam a qualitate corporis Græci vocant Rufsos, nos vero a positione loci vocamus Nordmannos. Lingua quippe Teutonum, *Nord* Aquilo, *Man* autem „ mas, seu vir dicitur: unde & Nordmannos Aquilonares homines dicere posfumus. Hujus denique gentis Rex INGER „ vocabulo erat, qui collectis mille & eo amplius navibus „ Constantinopolim venit. Quod Romanus Imperator ut audivit, quoniam navalem exercitum suum directum contra „ Saracenos, & ad Insularum custodiam habuit, æstuare coepit cogitationibus. Quumque cogitationibus non paucas insomnes noctes duceret, & Inger cuncta mari vicina diriperet; „ nunciatum est Romano, quindecim semifracta se habere „ Che-

„ Chelandia, quæ populus ob vetustatem sola reliquerat. Quod „ ut audivit, τὰς ναυπηγὰς, hoc est, navium fabricatores ad „ se venire præcipit, quibus ait: properantes, sine dilatione „ ea quæ remanserunt Chelandia præparate. Sed & argumen- „ tum non solum in prora, quo ignis projicitur, verum etiam „ in puppi, insuper in utriusque lateribus, ponite. Compo- „ sitis itaque secundum jussionem suam Chelandiis, sapien- „ tissimos in eis viros collocat, atque, ut Regi Ingero occur- „ rant, denunciat. Profecti denique, quum in pelago eos „ impositos Rex Inger aspiceret, exercitui suo præcepit, ut „ viros illos caperet, & non occideret. Denique miserator „ & misericors Dominus, qui se colentes, se deprecantes, se „ adorantes, non solum protegere, verum etiam victoria „ voluit honorare, ventis tunc placidum reddidit mare: se- „ cus enim ob ignis emissionem Græcis erat incommodum. „ Igitur in Russorum medio positi, ignis circumcirca projici- „ tur. Quod dum Russi conspiciunt, e navibus confestim se- „ se in mare projiciunt, eliguntque potius aquis submergi, „ quam igni cremari. Alii tunc loricis & galeis onerati, num- „ quam visuri ima pelagi petunt: nonnulli vero natantes inter „ ipsos maris fluctus uruntur, nullusque die illa evasit, qui fu- „ ga sese ad terram non liberavit. Russorum etenim naves ob „ parvitatem sui, ubi aquæ minimum est, transeunt, quod Græ- „ corum Chelandia ob profunditatem sui facere nequeunt. „ Ingenti Inger confusione postmodum ad propria est reversus. „ Græci vero victoria potiti, vivos secum multos ducentes, „ Constantinopolim regressi sunt læti: quos omnes Romanus, „ in præsentia Hugonis (*a*) nuncii, vitrici scilicet mei, de- „ collari præcepit „. Hæc Liutprandus. Porphyrogenitus vero

a Hugo Rex Italiæ anno 940. pro auxilio contra Saracenos Fraxineto incubantes legatum misit vitricum ipsius Liutprandi, qui rem narrat lib. 5. cap. 4. Quamobrem Hugo Rex, consilio accepto, nuncios Constantinopolim dirigit, rogans Imperatorem Romanum, ut naves sibi cum Græco igne transmittat, quas chelandia patrio sermone Græci appellant. Et cap. 5. Dum hæc aguntur, Constantinopolitanus Imperator cum Regis Hugonis nunciis suos dirigit (*anno 941.*) mandans, naves, & omnia quæ desideraret, se ei daturum, si nepoti suo (idest Romano juniori, Constantini Porphyrogeniti ex Helena ipsius Romani senioris filia filio:) filiam suam conjugem daret. *& post paulo*. Rex Hugo audita hac legatione, directis iterum nunciis, Romano denunciat, se legitimam ex conjugio natam non habere. Sed si ex concubinarum filiabus vellet, egregiam ei forma posse præstare. Et quoniam Græci in geneseos nobilitate

vero de Admin. Imp. cap. IX. ſcribit : „ Lintres ab ulteriore „ Ruſsia Conſtantinopolim venientes , ſunt quidem a Nemo- „ garda ; ubi Sphendoſthlabus , Ingor Ruſsiæ Principis filius, „ habitabat „ . Ubi pro Novogorodo ſeu Novogardia , antiqua Ruſsiæ Ducum Sede,corrupte habet *Nemogarda*. Alia etiam Ruſsicarum urbium nomina æquè depravata leguntur , ut *Miliniſca caſtrum*, pro *Smolensko*: *Tzernigoga*, pro *Czernigow*: *Ciabum* ſeu *Cioba*, pro *Kiovia*: & ſimilia. Accurate tamen deſcribitur Ruſſorum eorundem e Ruſsia uſque ad urbem Conſtantinopolim navigatio , qua & *Ingorus* & alii uſi perhibentur, tum ſcilicet , quum excurſiones in agrum Byzantinum facere , monoxylis , ideſt , lintribus adhibitis , aggrediuntur : hyberna præterea eorum vivendi ratio ſic exponitur : „ Ineunte No- „ vembri menſe, quamprimum eorum principes cum uni- „ verſa Ruſſorum gente egrediuntur ἀπὸ τῶν Κιάβων , Cia- „ bo , & in oppida proficiſcuntur, ἃ λέγεται Γύρα , quæ Gy- „ ra appellantur , aut in Sclavica loca Berbianorum , Dru- „ gubitarum , Cribitzarum , Serviorum , reliquorumque Scla- „ vorum , qui Ruſsis tributarii ſunt . Illic vero peracta tota „ hieme , Aprili menſe , ſoluta glacie Danapris fluvii , Ciabum „ deſcendunt . Deinde receptis , uti ſupra dictum eſt , mono- „ xylis , iiſdemque probe inſtructis , Romaniam deſcen- „ dunt .

IX. Olga ſeu Helena Ruſſorum Regina, Igori conjux, quo anno Chriſtianam fidem ſit amplexa. Culcinii allucinationes.

Interim ex iis, quæ auctores ſynchroni Porphyrogenitus & Liutprandus de Ingere , ſive Igoro Ruſſorum Duce narrant , intelligitur , Culcinium in ſerie Chronologica Ducum Ruſſiæ a vero longius aberraſſe , dum pag. 108. Igorum aſſerit Ruſſis imperaſſe ab anno Chr.886. uſque ad annum 921. quo a Drewlanis interfectus ſit , dum ab expeditione contra Græcos ſuſcepta rediret. Expeditio enim illa ab eodem ſuſcepta anno

tate , non quæ mater , ſed quis pater fuerit , inquiunt ; Imperator Romanus naves continuo cum Græco igne præparavit , munera maxima miſit , atque ut illam nepoti ſuo conjungeret , mandavit . Miſſo nimirum ad filiam Hugonis Conſtantinopolim deducendam Paſchalio Protoſpathario ac Duce Longobardiæ , Indict. 2. anno Chr. 944. nuptiæ vero celebratæ Conſtantinopoli Ind. 3. menſe Septembri ejuſdem anni 944. Verum Vitricus Liutprandi antequam naves a Romano petitas adduceret , Conſtantinopoli degebat anno 941. quando illud Ruſſorum factum contigit , ſcribente eodem Liutprando lib. 5. cap. 5. „ Quoniam meus vitricus , vir gravitate ornatus , plenus „ ſapientiæ , Regis Hugonis fuerat nuncius ; pigrum non ſit mihi inſerere , quod „ cum de Imperatoris ſapientia & humanitate , & qualiter Ruſſos vicerit , audivi „ ſæpius dicere .

Chr. 941. tam a Latino ſcriptore Liutprando, quam a Græcis Simeone, Georgio, Anonymo, Cedreno, Scylitze, Zonara narratur.

Idem Culcinius erroris conſequenter arguitur, dum pagin. 109., poſt Igori obitum, viduam illius *Olgam* ſive *Helenam* ab anno 921. ad 945. imperaſſe affirmat, eodemque anno 945. Conſtantinopolim profectam baptizatamque, quum ſeptuagenaria eſſet; obiiſſe demum anno 970. ſeu juxta alios, anno 978. Nam præter quam quod jam vidimus, Igorum Olgæ maritum anno 941. adhuc in vivis fuiſſe; ex Culciniana hypotheſi ſequeretur, ſanctam illam mulierem deceſſiſſe anno ætatis 95. aut 103. quod non eſt facile admittendum: præſertim quum Annales ipſi Ruſſorum, eam baptizatam ſcribant *anno mundi* 6463. ideſt, Chriſti 955. quamquam contrarium afferere videntur Græci ſcriptores, a quibus Olga traditur Baptiſmum anno Chr. 948. ſuſcepiſſe, marito Igoro jam e vivis erepto. Cedrenus enim pag. 636. de rebus *ſexta Indictione*, Conſtantino ſolo imperante, hoc eſt, Anno Chr. 948. geſtis, hæc habet de Ruſſis, præmiſſa de Turcorum Principibus narratione. „ Ceterum Turci (*ideſt Hungari*) non ante finem fecerunt in Romanas ditiones graſſandi, quam Βυλοσυδὴς Buloſudes (*a*) eorum Princeps fidem ſe amplecti Chriſtianam ſimulans, Conſtantinopolim venit, baptizatuſque ibi a Conſtantino eſt exceptus, ab eoque Patricii dignitate & magnis donis ornatus, ditatuſque, domum rediit. Non multo poſt Gylas, ipſe quoque Turcicus Princeps, eodem ſe, ejuſdem rei cauſa, confert: baptizatuſque, & eodem quo prior modo tractatus, Monachum ſecum abduxit Hierotheum, pietatis fama celebrem, quem Turciæ Epiſcopum Theophylactus Patriarcha deſignavit: iſque ut in Turciam venit, multos a barbarica fraude ad Chriſtianam religionem traduxit. At Gylas quidem in fide permanſit: & neque ipſe in Romanos impreſſiones fecit, & captivos Chriſtianos emens curavit, libertatemque iis reddidit. Buloſudes autem pactis quæ cum Deo inierat reſciſſis, ſæpe cum omnibus ſuis in Romanos expeditionem ſuſcepit: quod idem contra „ Fran-

a Βουλογουδὴς, *Bulogudes*, apud Scylitzem: & Βουλογουδὴς, juxta Zonaram. Latinis *Bulčzo*, & *Bultzi* dictus.

„ Francos tentaturus, captus, & ab eorum Rege Joanne (*a*) „ in palum suffixus est. Porro Ἔλγα, Elga Rhossorum Principis uxor, qui classem in Romanos duxerat, marito defuncto, Constantinopolim venit, & baptizata, quum magnum „ veræ pietatis studium demonstrasset, dignis suo instituto „ honoribus affecta, domum rediit „. Pergit enarrans mortem filiæ *Hugonis* „ quæ Romano fuerat desponsata, & quomodo Imperator Constantinus, filio Romano aliam uxorem „ dederit, nequaquam illustri genere, sed plebejo, ortam „ parentibus cauponibus, nomine Anastasiam, sed ipse ei „ Theophanus nomen indiderit „. Nimirum, (uti de duabus Romani junioris, Constantini Porphyrogeniti filii, uxoribus recte scribit Cangius in Familiis Augustis Byzantinis, edit. Parif. pag. 143.) „ Bis nuptias iniit Romanus: ac primum „ cum Berta, Hugonis Italiæ Regis ex Bezola concubina filia „ notha ac illegitima, quæ Constantinopolim a Sigefrido Par- „ mensi Episcopo deducta est sub (*b*) annum 943. Indict. 2. „ Romano Lacapeno (*c*) Imperii clavum adhuc obtinente, „ quo & nuptiæ celebratæ sunt mense Septembri, quum nec- „ dum ætatis annum XIV. attigisset Romanus. Eudoxiæ, seu, „ ut alii volunt, Eudociæ nomen eidem a Græcis impositum, „ in aviæ, & sororis Constantini memoriam, quibus eadem „ fuit nomenclatura. Vixit illa cum conjuge per annos quin- „ que, obiitque intacta ac virgo, ut scribit Scylitzes. Exinde „ alia a parente circa annum 949. eidem data est uxor Anasta- „ sia, plebejis ac (*d*) cauponibus orta parentibus, quam „ Theophanonem appellavit „. Itaque inter annum 948. & 949. illud Turcorum Russorumque factum a Cedreno refertur, uti etiam a Scylitze fol. 62. & seq. & a Zonara pag. 194. Pagius proinde, *Elgæ* seu *Helenæ*, Rusforum Principis uxoris, Baptis-

a Error amanuensis sic emendandus ex Scylitze, *ab eorum Rege Ottone*. Tum enim Francis imperabat *Otto*, non *Joannes*.

b Leg. *sub annum*. 944.

c Romanus Lacapenus *Imperio dejectus est mense Decembri Indict.* 3. hoc est, exeunte anno 944. Vide Cedren. pag. 634. obiitque *mense Julio Indict.* 6. hoc est, anno 948. eodem Cedreno teste pag. 635.

d Incertus Continuator Constantini Porphyrogeniti, assentatorie scribit num. 39. de hac Anastasia seu Theophanone: „ Hinc jucunditas gaudiique lux Porphyrogen- „ neto circumfusa cum Helena Augusta, quod talem sicque ab avis nobilem puellam „ filio sponsam dare licuisset „. Qualis & quanta in cauponibus nobilitas!

mum ad *annum CMXLV.* perperam collocat; nisi dicamus, typographi errorem esse, qui pro *anno CMLIV.* posuerit *CMXLV.* Nam idem Pagius immediate de eadem Principissa hæc subjungit: „ Elga seu Olha, ut ab Herbesteinio in Commentario „ Rer. Moscovit. pag. 13. appellatur, in Baptismo Helena vo- „ cata fuit, Baptismumque accepit anno mundi 6463. inquit „ idem Herbesteinius, qui annus Eræ Constantinopolitanæ, „ Kalendis Septembris anni Christi CMLIV. exorditur.

X. Legatio ab Helena Constantinopolim missa. Rugi a Russis diversi.

Porro hanc Reginam anno 959. adhuc Russis imperasse, testatur Continuator Reginonis in hæc verba: *Anno Dom. Incarn. 959.* „ Legati Helenæ Reginæ Rugorum (*nempe Russo- „ rum*) quæ sub Romano Imperatore Constantinopolitano „ Constantinopoli baptizata est, ficte (ut post claruit) ad „ Regem venientes, Episcopum & Presbyteros eidem genti „ petebant „. De quo Romano Imperatore sermo fit, sub quo Helena Constantinopoli baptizata, non exprimit Continuator. Certe id de Romano juniore solo imperante intelligi nequit: nam hic nonnisi Constantino Porphyrogenito patre exeunte anno 959. mortuo imperium iniit. Ad seniorem itaque Romanum verba ejus sunt referenda, qui anno 944. mense Decembri imperare desiit: adeoque ex ipsius mente, Helena eodem saltem anno ante mensem Decembrem baptizata fuerit. Quod vero addit, *Legatos ejus ad Ottonem Regem ficte (ut post claruit) venientes, Episcopum & Presbyteros Russicæ genti petiisse*: hoc ipsum Annalista Hildensheimensis habet, non expresso tamen *Helenæ* nomine, ad annum 959. „ Venerunt (*inquiens*) Legati Rusciæ gentis ad Regem Otto- „ nem, & deprecati sunt eum, ut aliquem suorum Episcopo- „ rum transmitteret, qui eis ostenderet viam veritatis: & „ professi sunt se velle recedere a Paganico ritu, & accipere „ religionem Christianitatis. Et ille consensit precationi eo- „ rum, & transmisit Adalbertum Episcopum fide Catholicum: „ illique per omnia mentiti sunt, sicut postea eventus rei pro- „ bavit „. Lambertus vero Schafnaburgensis ad annum 960. iisdem verbis de adventu ac petitione Legatorum Rusciæ gentis recitatis, addit de Ottone Rege: „ Qui consensit depre- „ cationi eorum, mittens Adalbertum Episcopum fide catholi- „ cum: qui etiam vix evasit manus eorum „. Idem quoque Con-

Continuator ad ann. 962. „ Adalbertus Rugis ordinatus Epi„ scopus, nihil in his, propter quæ missus fuerat, proficere „ valens, & inaniter se fatigatum videns, revertitur: & qui„ busdam ex suis in redeundo occisis, ipse cum magno labore „ vix evasit, & ad Regem veniens, charitative suscipitur, & „ a Deo amabili Wilihelmo Archiepiscopo, pro retributione „ tam incommodæ ab eo sibi machinatæ peregrinationis, bonis „ omnibus & commodis, quasi frater, amplectitur & sustenta„ tur „. Ditmarus denique lib. 2. p.20. de Ottone: „ Adel„ bertum Treverensem, professione Monachum, sed Russiæ „ prius ordinatum Præsulem, & hinc a gentilibus expulsum, „ ad Archiepiscopatus (*Magdeburgensis scilicet*) apicem, in„ clytum patrem & per omnia probatum, anno Dom. Incarn. „ 970. xv. Kal. Novembris Apostolica auctoritate promovit. Verum, quum Episcopum ab Ottone Rege missum, idest Adalbertum, non Russorum, sed Rugorum fuisse Episcopum, Rugosque a Russis longe diversos, clare, ut opinor, demonstratum sit a nobis Tom. I. a pag. 255. usque ad pag. 271.: quumque Helenæ Russorum Reginæ, (ad legationem Ottoni Regi directam quod spectat), apud solum Reginonis Continuatorem nomen legatur; ceteris omnibus Latinis scriptoribus missum ab eodem Ottone ad Rugos seu Ruscios Episcopum Adalbertum tantummodo narrantibus; restat, ut concludamus, corruptum Continuatoris illius locum, sic restituendum: *Anno Dom. Incarn.* 959. „ Legati Helenæ Reginæ Russorum, „ quæ sub Romano Imp. Constantinopolitano Constantinopoli „ baptizata est; necnon Legati Rugorum, ficte (ut post cla„ ruit) ad Regem Ottonem venientes, Episcopum & Presby„ teros eidem genti petebant „: Rugi enim, non Russi, petierunt obtinueruntque Episcopum Adalbertum ab Ottone Rege, ut post claruit: neque indignus agendi is modus (ut scilicet ficte Episcopus postularetur) Helenæ Reginæ piissimæ tribuendus, aut ejus filio Svatoslao, qui adhuc sub tutela matris erat. Ad ea igitur, quæ fuse ibi a me sunt disputata, lectorem remitto.



XI. Digressio de Turcorum seu Hungarorum Regibus

Ad Turcos, quorum hic apud Cedrenum, Scylitzem, & Zonaram mentio, cum bona lectoris venia, est oratio convertenda. Ab *Arpade*, qui Hungaris sive Turcis in Pannoniam in-

Arpade, Zoltano, Toxo, Geyla: necnon Bulogude seu Bulczo, & Gyla.

ingressuris Ducem se præbuit, quartus *Geisa* fuit, pater scilicet *Sancti Stephani* Hungariæ Regis: qui *Geisa* anno Chr. 997. e vivis excessit. Nimirum *Arpades* genuit *Zoltanum*: hic vero *Taxim* sive *Toxum*: & *Toxus Geysam*: uti scribit Porphyrogenitus cap. 40. qui genealogiam Arpadæ usque ad *Taxim* perducit: ex quo intelligitur, anno 949. quo Porphyrogenitus librum suum evulgavit, *Geysam* nondum natum fuisse: alioquin illius inter Arpadæ nepotes mentionem fecisset. At vero Auctor vitæ S. Stephani Regis Hungarorum, Chartuitius nempe Episcopus, cap. 1. sic de *Geisa* tradit: ,, Ea quidem tempestate, qua Hungarorum gens Dei Ecclesiam populabatur, ,, fuit in ea Princeps quidam, quartus ab eo, qui Hungaris in ,, Pannoniam ingressuris Ducem se præbuit. Is Geisa dicebatur, severus sane, & crudelis homo in suos, potenter eis ,, imperans: erga alios vero, præsertim Christianos, humanus, ,, misericors, & liberalis. *Et de ejus exitu cap.* 4. Deinde jam ,, grandævus anno a Christo nato nongentesimo nonagesimo septimo, vitæ hujus ærumnas cum cœlestibus gaudiis commutavit ,,: quum scilicet ab Adalberto Pragensi Episcopo baptismum accepisset. Qui vero ex Arpadæ nepotibus anno 949. in vivis erant, idem Porphyrogenitus hosce recenset: ,, & ,, omnes quidem Arpadæ filii (*a*) mortui sunt: superstitibus ,, tantum eorum nepotibus Phale & Tase, cum patrueli eorum ,, Taxi (*filio Zaltani*) Tebelesque (*filius Tarcatzi*) moriens, ,, filium reliquit *Termatzum*, qui nuper in gratiam rediit cum ,, Bultzo, tertio principe & Carcha Turciæ. Bultzus autem ,, hic Carchas, filius est Cale Carcha. Estque Cale nomen ,, proprium, quum Carchas sit dignitas, quemadmodum & ,, Gylas, quæ tamen major est quam Carchas ,,. Et paulo superius: ,, Tertius (*filiorum Arpadæ*) Jutotzas filium suscepit ,, Phalitzin, qui nunc principatum tenet ,,: ita ut hic *Phalitzin* idem ipse videatur, ac *Phale*, cujus modo facta est mentio. Vivebant itaque, scribente Porphyrogenito, *Taxus* filius Zaltani, filii Arpadæ; *Phalitzin* seu Phale, filius Jutotzæ, filii Arpadæ: *Tase* (ut videtur) filius Jelechi, filii Arpadæ: *Termatzus* filius *Tebelæ*, filii Tarcatzi, filii Arpadæ: necnon *Bultzus*,

a Tarcatzus scil. Jelech, Jutotzas, & Zaltan.

zus, tertius princeps & carchas (*idest Chaganus sive Rex*) Turciæ, filius *Cale* Chagani.

XII. Expenditur Aventini narratio de primis Turcorum Hungariæ Regibus.

Aventinus Annalium Boicorum lib. 4. & 5. ab anno 892. usque ad annum 955. *Ugrorum*, hoc est, Hungarorum *Reges* memorat, 1. *Cussalam*. 2. *Dursacum* & *Bugothum*. 3. *Salardum*. 4. *Toxum*. 5. *Bultzonem*, cum quatuor regulis, *Lelio*, *Sura*, *Toxo*, *Schaba*. 6. *Geizonem*, Toxi filium, parentem S. Stephani. Do ejus verba. Svatepolchi Moraviæ Regis rebellionem, motumque anno 892. & sequenti adversus eum ab Arnulpho Germaniæ Rege bellum describens pag. 469. „ In „ primo vere (inquit) Austriacum Boëmiæ limitem Arnul„ phus petit, mense Majo celebrem conventum apud Heng„ stoveld agit. Quo quum Svatebogus venire contemneret, „ hostis Reip. judicatur. Interfuere eidem Concilio Uratis„ laus ulterioris Poloniæ præses, & Cusalæ Regis Ugrorum, „ qui adhuc incertis sedibus in Sarmatia (*a*) Europæa vaga„ batur, legati, pollicentes omnes vires suas adversus Svate„ bogum, si sibi quasi pro stipendio terra, quam armis occu„ parent, daretur. Grata legatio Arnulpho fuit, statim ipse „ annüit, & Moravos triplici exercitu invadere decrevit: Cu„ salæ & Ugris popularibus suis Dacia destinatur. Uratislaus „ a tergo jussus est cum Venedis suis arma inferre. Arnulphus „ a fronte cum Francis, Svevis, Bojis ingruit: per integrum „ mensem, nempe per totum Julium, Moraviam universam „ percurrit: cuncta incendiis, cæde, rapina, luctu complet. „ Porro Cusala & Ugri longe crudelius sæviunt, utramque „ Daciam, citra & ultra Tibiscum, quatenus a Grano flumine „ cum Svevo monte Danubioque amne ad Pontum Euxinum „ excurrit, velut nimbus inundant, ferro viam aperiunt, „ colonos veteres trucidant, regionem inter se sorte divi„ dunt, ibique perpetuo mansuri domicilia locant.... *Et* „ *post pauca*. Ugri igitur Venedos, Avaros, Hunnos Daciam „ incolentes delevere, Svatebogo ea loca jussu Arnulphi ab„ stu-

a Ugri, seu Hungari, qui & Turci, jam ante ann. 892. in Dacia sedes fixerant, ut, supra dictum est. Anno autem 892. nullus in Polonorum annalibus legitur *Vratislaus* sed *Piastus*, & post ipsum *Zemovitus*. Vide Cromerum, & Guagninum. Porro Petrus Ranzanus in Epitome Rer. Ungaricar. Indice VI. pag. 220. egregie fallitur, dum Svatepolugum, Matoti, ut ait, filium, (qui Slavus erat, Slavorumque Moravorum Rex) Hunnum facit, Hunnorumque Regem.

„ ſtulere: ibi ſedes ſibi delegere „. *Et pag.* 470. „ Arnulphus ergo rurſus (*anno* 893.) Moraviam invadit, præfractis clauſtris juxta Granum amnem, montemque Svevum, Cuſalam Regem Ugrorum in Moraviam iterum immittit. Tota Moravia rurſus cæde, rapina, incendiis, luctu completur. Cuſala in Daciam, quam armis ſubegerat, revertitur. Poſthac ſex annis, quoad vixit Arnulphus, Ugri ſibi ab incurſationibus finitimorum contemperarunt, ſeque intra terminos armis partos continuere. Ubi Arnulphus obiit, ſuperato Danubio, Pannonias, quatenus Danubio cohærent, Bojis præripuere. *Pag.* 476. Ugri igitur ſeptimo anno, poſteaquam Daciam occuparant, (*ideſt*, *Chr.* 900.) ubi Imperatorem Arnulphum obiiſſe, Imperium in tot Principes & inter ſe diſſidentes diſſectum, Chriſtianorum diſcordias, vident, contempta pueritia Regis (*Ludovici*) cujus ætas obnoxia fraudi foret, Pannoniam terram fertiliſſimam, ipſis finitimam, pecoribus paſcendis opportunam, occupare ſtatuunt. Quod ut facilius feliciuſque adſequerentur, Cuſala Rex gentis celebrem admodum ſuorum legationem ad Ludovicum Bojoſque vicinos ſuos mittit, hiſque mandat, ut diligentius cuncta, ſitum Bojariæ, mores incolarum explorent ... Poſthæc Ugri, ſpecie ſocietatis cum Bojis factæ, Moravos hoſtes Bojorum invadunt ... Moëmarum (*a*) & Svatebogum regulos prælio occidunt, Moraviæ partem ſibi uſurpant. Deinde Moravis quibuſdam, (quibus religio Chriſtiana ſordebat, & qui odio Bojorum ob antiquam ſimultatem tenebantur) duplici agmine Bojariæ regnum (ſicut Imper. Otto ſecundus Cæſar Auguſtus in diplomate quod dedit Pilegrino Bathavenſi Epiſcopo, & is in Epiſtola ad Benedictum VII. Pont. Max. data, refert) invadunt. Pars aquilonarem ripam Danubii uſque ad Anaſſi oſtia, ſibi deſtinat. Rex Cuſſal alteram oram ſibi depoſcit ... Pars quoque Ugrorum Italos, quod imbelles ac dites eſſe audierant, petunt: ferro ſibi viam aperiunt; Duces limitis Carini Godfridum & Eberhardum occidunt, Gregorium Aquilejenſem Patriarcham in fugam vertunt &c. Inter hæc pars primuſque „ Luit-

a Moymirus Svatopolchi filius, ultimus Moraviæ Rex, vivebat anno Chr. 907. uti ſupra ex diplomate Ludovici Regis, filii Arnulphi Imperatoris, demonſtravi.

„ Luitpoldus præfectus militaris cum paucis, cum Richario Ba-
„ thavensi Episc. infesta acie Ugris obviam ire, perfidiam ulci-
„ sci festinant. Hoc ubi Cussal comperit, cedit, castra ad
„ Phiscam amnem infra Viennam Austriæ cum principibus suis
„ locat. Luitpoldus partem exercitus Ugrorum adsequutus,
„ de improviso inopinatos aggreditur, primo impetu mille &
„ ducentos in Danubium agit, præcipitat, atque submergit;
„ cæteros in fugam dat, cædit, prosternit, usque ad Presburg,
„ nunc primam Ungariæ urbem; ubi trajecto Istro, Cussalem
„ victoria cum suis exultantem invadit, aciem perrumpit,
„ turbat, Regem cum maximo procerum suorum numero ad
„ superiorem amnem Phiscam interficit. *Pag.* 479. *post Cus-*
„ *salis cædem*, Ugri duos Reges Dursacum & Bugothum
„ creant. Pannonias ante in vastam solitudinem, Danubio
„ tenus, redactas, occupant: eas Bojis auferunt, ubi colonias
„ Ugrorum deducunt „: Idque ante annum 907. quo anno xv. Kal. Julii Ludovicus Rex Germaniæ, Bojorum peracto delectu, Anassiburgium, novam Bojorum coloniam, se contulit. ibique præsentibus Episcopis, Monachor. antistitibus, & proceribus Bojorum, decretum est, Ugros Bojariæ Regno eliminandos esse. Commissum cum iis ad Anassiburgium (non ad Augustam Rhetiæ quæ Auspurg sermone Teutonico dicitur) prælium tertio Idus Augusti: tres dies continenter pugnatum: Ugris cessit victoria. Liutpoldus Dux Bojariæ cum XIX. Bojorum Dynastis ceciderunt. Ugri totam Bojariam devastant: & alia perpetrant quæ fusius ab Aventino a pag. 483. describuntur. Rex Bojorum Francorumque post tot acceptas clades, coactus pacem auro tributoque annuo ab Ugris emit, qui audita anno 911. Ludovici Regis morte, venalem pacem Bojis offerunt, ac nisi auro actutum amicitiam mercentur, excidium universæ nationi minantur. Arnulphus, Liutpoldi cæsi filius, Bojorum Rex salutatus, primus Ugros, quos invictos crediderant, vinci posse docuit, atque non solum populum Christianum ab incursatione eorum defendit, verum etiam ad fœdus illos & societatem, quoad vixit, armis coëgit, postquam eos ad Oenum fl. anno 913. ad internecionem delevisset. Quæ post Conradi Germaniæ Regis mortem usque ad annum 918. hoc est, usque ad initium Regni Henrici Aucupis, ab Hunga-

 ris

ris gesta sunt, supra recitavi. Aventinus pag. 487. ad ann. 925. relata Hugonis Regis Italiæ inauguratione; „ Ugri (inquit) „ a novo Rege tributum postulant. Quod quum negatum esset, Italiam, Duce *Salardo*, invadunt, Ticinum comburunt. Inde Sveviam, Lotharingiam, Gallias ferro, flamma „ vastant: transito in agro Vangionum Rheno, Franciam, „ Turogos, Saxonas armis prædando perlustrant; sed a Rege „ Mersburgii superati, proceresque plerique capti sunt: ceteri ut hos redimerent, atque incolumes domum dimitterentur, novem annorum inducias paciscuntur „. Finitis induciis (*pag*.488. *idest anno* 934.) Ugri tributum a Rege exposcunt: Reliqua de eorum clade, sunt supra narrata: „ Ugri in posterum, vivente Henrico, Germania manus abstinuere: „ Græcis, Bulgaribusque in Moesiis considentibus negotium „ exhibuere.

XIII. Diversę Hungarorum in Bavariam, & Saxoniam irruptiones ab an. 938. ad 949.

Hactenus Aventinus de rebus Hungarorum usque ad Henrici Aucupis mortem. Hunc excepit filius *Otto*, cognomento magnus, qui ab anno 936. usque ad ann. 961. Germaniæ Rex fuit: anno 962. ante diem 13. Febr. a Joanne XII. Papa coronatus est Romæ Imperator Augustus; anno 973. Nonis Maji vitam cum morte commutavit. Anno 937. mortuo Arnulpho Bojariæ Duce, Ducatui Bertolfum seu Bertoldum ejus fratrem præfecerat: „ Inter hæc (inquit Aventinus pag. 491.) dum „ talia in Bojaria geruntur, Ugri Germaniam magnam ac Saxoniam invadunt: sed fortiter cum ignominia & detrimento repulsi sunt a Ducibus Ottonis „. Anno nempe 938. uti habet Hermannus Contractus juxta edit. Canis. „ Interim „ Hungari Saxoniam invadentes, a Saxonibus pugna victi cæsique fugantur „. Ita & Continuator Reginonis, & Marianus Scotus, & Sigebertus Gemblacensis & Cosmas Pragensis ad eundem annum. Aventinus pag. 492.. „ Per idem tempus „ Ugri duplici agmine Bojariæ fines invadunt, pars Tranos, „ pars Carinos vastat. Bertoldus Bojorum regulus, Duces „ suos ad Carinos proficisci, hosque ut tuerentur, jubet. Ipse „ robur hostilis exercitus petit, juxta Valentiam urbem Noricorum quammaximo potest impetu, antequam gens pugnacissima arcus rursus tenderet, in Ugros fertur, hostem in „ fugam vertit, in Tranum flumen agitat, atque submergit. „ tertio

„ tertio Idus Augusti. Præfecti quoque Bertholdi auspicio „ apud Carinos, eadem prosperitate dimicant, Ugros ad in„ ternecionem delent, nec antea unquam gens ferocissima „ tantum vulnus a nostratibus accepit: more enim pecudum „ a Bojis mactati sunt Ugri. Otto Rex & Bertholdus, qui ma„ ximopere rebus Ottonis studebat, invicem gratulationis „ scribunt literas., ut qui sollicitudinis publicæ participes „ fuerant, lætitiæ quoque communis socii forent, matrimo„ nio amicitiam firmarunt. Bertholdus nepotem Ottonis „ uxorem duxit. *Et pag.* 493. eadem tempestate Bertholdus „ Bojorum rector ex hac vita migrat, IX. Kal. Decemb. anno „ ab orbe asserto 948. in Collegio Monachorum apud Altaich „ inferius sepelitur. Huc usque per 160. annos Francia oriundi „ potiti sunt Bojaria, quam posthac aliquandiu Saxones admi„ nistrarunt „. Epidannus cladem Hungarorum refert ad annum 943. his verbis: „ Omnis Agarenorum exercitus a Bajoa„ riis occisus est „. Continuator autem Reginonis ad an. 944. „ Hungari a Carantanis tanta cæde mactantur, ut nunquam a „ nostratibus antea taliter infirmarentur „. Et Cosmas Pragensis. „ An. 944. Ungari a Carinthiis multa cæde mactantur. Et Conradus Urspergensis: „ Anno Dom. 944. Ungari cum Bajoariis „ pugnant & vincuntur „. Idem Urspergensis mortem Ber„ toldi ad ann. 947. confert inquiens: Anno Dom. 947. Ber„ toldus Dux Bajoariorum, frater Arnoldi Ducis, moritur, „ & Heinrico fratri Regis (*Ottonis*) Ducatus committitur. Et Hermannus Contractus juxta edit. Canis. „ Anno 947. Ber„ tolfo Duce Bojariæ defuncto, Henricus frater Ottonis Re„ gis, ducatum illius accepit „. Witichindus quoque lib. 2. Annal. de Ottone Germaniæ Rege verba faciens, ait. „ Quum „ omnia Regna coram eo silerent, & potestati ipsius omnes ho„ stes cederent, monitu & intercessione sanctæ Matris ejus. „ (*nempe Mathildis*) recordatus est multis laboribus fatigati „ fratris, præfecitque eum Regno Bajoariorum, Bertoldo jam „ defuncto, pacem & concordiam cum eo faciens, qua usque in „ finem fideliter permansit. Erat autem ipse Dominus Henri„ cus copulatus matrimonio filiæ Ducis Arnulfi, feminæ egre„ giæ formæ, mirabilisque prudentiæ „. Quare sicut Aventinus excessit in anno, mortem Bertoldi ad annum 948. consi-

gnans; ita Sigebertus in anno deficit, dum eum mortuum scribit anno 946.

„ Eadem tempestate (pergit Aventinus pag. 495) Toxus Ugrorum Rex audita morte Bertoldi Ducis Bojorum, „ duobus exercitibus Bojariæ fines invadit, limitem Austriacum, & Charionas in confinio Italiæ devastat. Heinricus regulus Bojorum contractis copiis obviam hosti armatus procedit, bis aperto marte cum Ugris congressus, bis pugna superior fuit, Ugrosque perpaucis fuga elapsis cædit, fudit, afflixit: nec ausa est gens cædis avida de cetero Bojos bello lacessere. *Et post pauca*. Toxus autem Ugrorum Rex a Bojis male acceptus, iram in Italos imbelles, dites, dissentientesque convertit, Italiam robore Ugrorum aggreditur. Berengarius Rex Longobardorum decem modiis nummum pacem ab hoste precatur. Lactantes, infantes, pueri, puellæ, viri, feminæ, sacrati, profani, quisque censum pro capite, nempe nummum pependit: templorum aurum, argentum, gemmæ tributæ sunt: Berengarius hæc conflavit omnia, æsque commiscuit, ex quibus summam complevit, reliquum sibi servavit, homo omnium avarissimus. Boicam Toxi expeditionem anno 948. susceptam idem Aventinus auctor est: „ Heinricus, & Dux copiarum ejus Ratho, in monumentum tantæ victoriæ cælitus datæ, armati equis insidentes, quemadmodum prælio interfuere, e gypso ficti & expressi, induratique igne, in templo Deiparæ Virginis apud Maurkirken pagum Bojariæ Noricorum dedicati, positique, Eræ Christianæ 948. (quo Bertoldus Bojorum regulus (a) obiit, Henricus in Regno Bojariæ illi successit, atque Ugros in Bajoariam ob mortem Ducis irruentes devicit) adhuc visuntur, servantur, monstrantur, quo tum frequens populus supplicandi gratia votis susceptis coibat „. Sigebertus Ugrorum quidem incursionem in Bojariam ad annum 948. consignat; in Italiam vero, ad annum 949. differt: sic scribens. „ Anno 948. Dux Bajoariæ Henricus Aquilejam in Italia capit, Hungaros bis superat, Ticinum transit, & cum multis manubiis redit. *& ad ann.* 949. Tapis Rex Hungarorum in Italiam veniens, decem modios nummorum a „ Be-

a Obierat anno 947. ut supra ostensum.

„ Berengario pro reditu accepit. „ Sed pro *Tapis*, legen-
„ dum *Taxis*. Liutprandus hist. lib. 5. cap. 15. „ Per idem
„ tempus Taxis Hungarorum Rex magno cum exercitu in Ita-
„ liam venit, cui Berengarius non ex propria pecunia, sed ex
„ Ecclesiarum ac pauperum collectione decem modios num-
„ morum dedit „. Recte Hansizius Tom. 1. German. Sacr.
pag. 201. pro *Ticino* ab Henrico transito, reponit *Titium*
amnem, sic: „ Hujus (Henrici) refertur inito mox principa-
„ tu egregium factum. Nam anno 947. (*leg.* 948.) Hungaros
„ qui Aquilejam ceperant, duobus præliis superatos, expu-
„ lisse etiam urbe: transnavisse Ticinum (Ticium credo flu-
„ men Liburnicum, quo iter erat ab Aquileja pronum) &
„ præda magna intra hostium regionem capta, exercitum re-
„ duxisse incolumem: quod Witichindus narrat. Hoc rursus
„ indicio est Hungaros tum non fuisse in Marchia Orientali, sed
„ longius inde a Bojis investigatos „. Verba Witichindi lib. 2.
hæc sunt: „ Ducatu igitur Bojorum accepto, nequaquam de-
„ sidia torpuit, sed abiens Aquilejam cepit, Ungaros duabus
„ vicibus armis superavit, Ticinum transnatavit, & præda
„ magna intra regionem hostium capta, exercitum incolumem
„ in patriam reduxit.

XIV. Dani, Slavique ab Ottone Germaniæ Rege subjugati, fidem Christi amplectuntur.

Helmoldus lib. 1. cap. 9. ad ann. 948. Danos Slavosque ab Ottone Rege subactos refert. „ Otto Germaniæ Rex (in-
„ quit) ubi primum de insidiis fratrum suorum liberatus est, fe-
„ cit judicium & justitiam populo suo: deinde postquam omnia
„ pene regna, quæ post mortem Caroli defecerant, subjuga-
„ vit imperio, in Danos arma corripuit. Transgressus ergo
„ cum exercitu fines Danorum, qui olim fuerant apud Slewih,
„ ferro & igne vastavit omnem regionem usque ad mare no-
„ vissimum, quod Nortmannos dirimit a Danis, & usque in
„ præsentem diem a victoria Regis *Ottensund* dicitur. Cui in-
„ gredienti Haroldus Rex apud Slewich bellum intulit, in quo
„ utrisque viriliter concertantibus, Saxones victoria potiti
„ sunt, & Dani terga vertentes ad naves cesserunt. Tandem
„ conditionibus ad pacem inclinatis, Haroldus Ottoni subji-
„ citur, & ab eo Regnum suscipiens, Christianitatem in Dania
„ recipere spopondit. Nec mora, baptizatus est ipse Haroldus
„ cum uxore sua Gunnild, & filio parvulo, quem Rex no-
„ ster

„ ſter a ſacro fonte ſuſceptum, Suein Otto appellavit. Eo tempore Dania plenarie recepit fidem, & diviſa in tres Epiſcopatus, Hammenburgenſi Metropoli ſubjecta eſt. Igitur beatiſsimus Adeldagus, primus ordinavit Epiſcopos in Daniam, & ex eo tempore Hammenburgenſis Eccleſia cœpit habere Suffraganeos His rite peractis in Dania, fortiſſimus Otto Rex convertit exercitum ad ſubjugandos Slavorum rebelles, quos pater ejus uno grandi bello domuerat, ipſe tanta deinceps virtute conſtrinxit, ut tributum & Chriſtianitatem, pro vita ſimul & patria libenter offerrent Victori, baptizatuſque eſt totus gentilium populus: Eccleſiæ in Slavonia tunc primum conſtructæ.

XV.
Bellum Hungaricum anno 950. & 955. Gylas & Bulogudes Turcorũ Principes baptizantur. Bulogudes a fide deficiens ab Ottone Rege cæditur. Eĩi Baronii & Thuroczii allucinationes.

Danis Slaviſque ſubjugatis, duobus poſt annis, ideſt anno 950. Ungari rediere in Bajoariam. Chronicon Hildenſheimenſe: „ Anno 950. Bellum magnum factum eſt inter Bavarios & Ungaros„. Eadem verba apud Lambertum Schafnaburgenſem. Hanſizius tom. 1. p. 201. „ Sed quis credat? ab iis, quibus minime debebat, Hungari poſtmodum in Bavariam inducti ſunt. Atrox erat concitata in Ottonem ſeditio per Luitolfum filium anno 953. Hic Bavariam cum Conrado Lothartienſium Duce invaſit: favere cœptis, perduellium non pauci, in quibus etiam Harolfus Salzburgenſis (*Archiepiſcopus.*) Denique occupata per ſeditioſos Bavaria propemodum omnis, Ottone Rege & Henrico Bavariæ Duce ad obſidionem Moguntiæ diſtento. Rebelles ſibi in futurum metuentes, evocant Hungaros, quos Conradus anno ſequenti in Lotharingiam uſque perduxit„. Aventinus lib. 5. „ Heroldus (a) ſibi injuriam illatam ratus, cum Conrado Duce ab Ottone proſcripto fœdus init: eundem in ſocietatem, amicitiam adſciſcit, ad ſeque recipit, templa ſpoliat, gazam Eccleſiaſticam Ugris hoſtibus religionis noſtræ diſtribuit, amboque ad Bultzkonem Regem Ugrorum ſe conferunt, illum adverſus nos concitant, diſcordiam, infirmitatem noſtrorum aperiunt, prædam ingentem oſtendunt, ſe Duces fore itine-
„ ris

a Eo quod Agapito Papa concedente, & Ottone Rege favente, Gerardus Bathavienſis Epiſcopus a ditione Salisburgenſis ſolutus, Archiepiſcopus Bojorum Laureacenſis nuncupatus, Pannoniam, Avaros, Moravos, Venedos in rebus divinis procurare juſſus fuiſſet; Heroldus Archipræſul Salisburgenſis, ſibi injuriam illatam ratus, id peregit quod hic ab Aventino narratur.

„ ris pollicentur. Bultzko (a) legatos exploratum, quasi „ officii gratia, ad Ottonem ire jubet. Hisce reversis, nun- „ ciantibusque vera esse, quæ Conradus & Heroldus narra- „ bant, cum quammaximo potest hominum numero, & quin- „ que exercitibus & legionibus, quibus ipse, & tetrarchæ „ ejus Lelius, Sura, Toxus, & Schaba præerant, ducenti- „ bus Conrado & Heroldo, Regnum Bojariæ invadit. Boja- „ ria deprædatione, ferro, flamma devastata, Danubium „ Rhenumque transeunt: ductore Conrado, Lotharingiam „ depopulantur. Tandem divinitus, ut ajunt, territi, Au- „ gustam Rhetiæ petunt, quod eo ingentes opes congessisse „ Bojos, Svevos, Francos, fama erat. Urbem circumsidunt, „ pars tranato Lyco, in Bojariæ ripa Thierhauptum occupant, „ utraque potiuntur ora, terram sicuti locustæ operiunt. Inter „ hæc Heinricus Dux Bojorum, Heroldum perfidiæ con- „ demnat, eundem apud Miildorff capit, eidem oculos excul- „ pi jubet: Conradus quoque ab Ugris ad Ottonem profugit, „ seque pro Rep. devovet. Porro Otto, qui tum domandis „ Venedis in intima Germania aberat, ubi hæc accepit, co- „ pias undique contrahit, cum Saxonibus ad Ugros in Rhetiam „ contendit. Francorum equitatus Duce Conrado. Heinricus „ Boj orum rector, æger quod prælio adesse nequibat, Ebe- „ rhardo Senonum Dynastæ exercitum Bojorum permittit. „ Burkardus cum Svevis & D. Udalrico urbe erumpit. Bojemi „ in subsidiis circa impedimenta constitere. Ugri hos adoriun- „ tur, impedimentis potiuntur: cæteri nostratium, septem „ agmi-

---

a. Witichindus lib. 3. apud Pagium ad an. 955. n. 3. „ Primam & secundam ter- „ tiamque legionem direxerunt Bajoarii, quibus præfuerunt præfecti Ducis Henrici: „ nam ipse bello interim aberat, eo quod valetudine corporis laboraret; qua & „ mortuus est. Quartam vero ordinavere Franci, quorum procurator & rector erat „ Dux Conradus. In quinta, quæ erat maxima, quæ & dicebatur Regia, ipse „ Princeps (*Otto*) vallatus lectis ex multis militum millibus, alacrique juventute. „ Sextam & septimam construxerunt Svevi, quibus præfuit Burkardus, cui nupse- „ rat filia fratris Regis. In octava erant Bohemi electi milites mille, armis potius „ instructi, quam fortuna. *& post pauca*. Tres Duces gentis Ungariæ capti, Du- „ cique Henrico præsentati, mala morte, ut digni erant, mulctati sunt: Suspen- „ dio namque crepuerunt „. Continuator Reginonis. „ Anno 955. Ab exercitu „ Regis apud Lichum fl. tanta cæde prostrati sunt, ut nunquam ante apud nostrates „ victoria talis audiretur aut fieret. Rex inde revertens, in Sclavos hostes dirigit, „ ubi simili potitus victoria, vasta illos cæde prosternit „. Otto, antequam Impe- „ rator renunciaretur, quater Sclavos aggressus est„; annis nempe 955. 957. & 960. Pagius ad ann. 958.

„ agminibus ab omni parte Ugros invadunt, aciem perrumpunt, turbant, hostes circumveniunt, fundunt, sternunt. „ In altera quoque Vindelicorum ripa Boji eos, qui Thierhaupten confidebant, superis faventibus, pari clade involvunt. „ Nostri itaque utrinque Ugros in Lycum flumen, quod „ pro hisce ante erat, agitant, præcipitant, submergunt: alveus Lyci cadaveribus oppletur. Nemo evasit, perpauci capti, ceteri ad internecionem deleti sunt, eo die, „ quo ante octo & quadraginta annos & ipsi exercitus Bojorum „ viresque exciderant, nempe IV. Idus Augusti, isque dies „ in Romanos fastos relatus est. Postridie direpta sunt castra „ hostium, maximus captivorum numerus liberatus, honor „ superis habitus. Vota pro victoria suscepta reddita sunt. „ Bultzko Rex, ejus quatuor reguli Schaba, Lelius, Sura, „ Toxus, unacum paucis capti, traditi sunt Eberhardo Bojorum Dynastæ. Is Regem, & quatuor Principes, Heinrico „ Duci Bojorum Reginoburgium misit: ubi ante portam Orientalem, quæ Ungariam versus spectat, patibulo affixi, laqueo necati sunt. Ceteros Eberhardus apud Ebersperg vivos „ in fossam abjecit, terraque & luto obruit. Porro Ugri, qui „ domi reliqui erant, tanta suorum ruina animo fracti, vallo, fossa, sudibus contra nos sese in locis palustribus muniunt, „ nedum fines alienos invadere, (sicuti per annos quinque „ & quinquaginta hactenus continenter factitarant) animo posthac conciperent: contusi viribus territique potentia Ottonis „ (sicuti & Luitprandus Ticinensis & Benedictus sextus Pont. „ Max. qui eadem tempestate vixerunt, narrant) ne mutire „ quidem de cætero ausi fuere: Regem tamen creant Geizonem filium Toxi, parentem Divi Stephani „. Annus erat 955. quo hæc acta sunt. Frodoardus ait, tantam fuisse Hungarorum multitudinem, ut tunc temporis viventium hominum nemo se antea vidisse in ulla regione profiteretur. Hepidannus (*a*) scribit fuisse centum millia, multosque comprehensos cum Rege eorum *Pulzi* (quem Aventinus *Bultzconem*

a Anno (inquit) 955. „ Otto Rex cum Agarenis pugnabat in festivitate S. Laurentii, eosque Deo auxiliante devicit, & erat numerus illorum centum millia. Et „ multi illorum comprehensi sunt cum Rege eorum *Pulzi*, & suspensi sunt in patibulis. Et aliud bellum cum eis gerebatur a Boëmanis, ubi comprehensus est Rex illorum, nomine Lele, extincto exercitu ejus.

nem, ideſt *Bultzi Chanum* ſeu Regem vocat) & ſuſpenſos in patibulis: additque, in altero prælio comprehenſum Hungarorum Regem nomine *Lele*. Curopalates Hungarorum Regem ab Ottone captum & ſuſpenſum appellat *Bologudem*, alii *Boloſudem*: qui certe non alius eſt a *Bultzo Chagano* ſeu Chano. Hos tamen regulos, Duces *Toxi* appellare malim. Jam ſupra è Byzantinis ſcriptoribus narratum eſt, apud Conſtantinopolim *Gylam & Bologudem* baptiſmum ſuſcepiſſe, quorum iſte fidem deſerens, in prælio poſtea Auguſtano captus eſt. Sed *Gyla* conſtantiam præſtitit, adducto ſecum Hierotheo monacho, quem Theophylactus Patriarcha Conſtantinopolitanus, Turciæ, ut Græci loquuntur, ideſt Hungariæ Epiſcopum creavit. Hæc prima Religionis ſcintilla apud illos Hungaros, qui finitima Græcorum ditionis loca tenebant: iis enim Gyla præerat: At vero Hungari, qui anno 955. in Bajoariam, Vindeliciam, & Rhetiam, ut ſupra, invaſere, Regi Toxo ſuberant: a quo in auxilium *Bultzo & Leel* advocati, infeliciter omnes in bello occubuere. Tres enim Hungarorum Duces captos, Ducique Henrico præſentatos, malaque morte multatos, Vvitichindus æqualis eorum temporum ſcriptor teſtatur. Sigebertus quoque ad ann. 957. (biennio nempe poſt) *Tres Reguli* (inquit) *Hungarorum in bello capti, ſuſpendio perierunt*. Quamobrem fateor me neſcire, unde duorum aliorum, *Suræ* ſcilicet & *Schabæ*, nomina Aventinus hauſerit. Erraſſe etiam Emus Baronius mihi videtur, dum ad ann.958. confert ſuſceptum Conſtantinopoli a duobus Turcorum Principibus Gyla & Bologude Baptiſmum: qnum enim Bologudes, teſtibus Byzantinis ſcriptoribus, idem ipſe ſit, qui poſtea ab Ottone Rege captus cæſuſque fuit; quumque id an. 955. ad Lycum fluvium, ut ſupra, contigerit; conſequenter ſuſceptus ficte ab illo Baptiſmus ante ann. 955. acciderit oportet. Hac demum Baroniana allucinatione longe gravior eſt Thuroczii error, qui Par.2. cap. 25. Hungaricam cladem, in qua *Leel & Bulchu* illuſtres capitanei (quibus omnino addendus & Toxus) occubuere, retrahit ad annum 18. Conradi Regis. Sive enim ſermo ſit de Conrado Rege, qui inter Henricum & Ludovicum Arnulfi filium Rex Germaniæ fuit, is ab anno 912. ad 919. regnavit, adeoque ad annum Regni 18. non pervenit: Sive Thuroczius intelligit Conradum alterum,

Salicum appellatum, qui poſt Henricum, hujus nominis primum Imperatorem, ab anno 1024. Regnum Germaniæ, & ab anno 1027. Imperium iniit, quique obiit anno 1039.; tam in primo, quam in hoc Conrado erravit Thuroczius, quum neuter eorum ad annum 955. quo Hungarica clades contigit, pertineat.

XVI. De Svatoſlao Igori ex Helena filio, Ruſſorum Rege.

Ad Ruſſos redeo. Herberſteinius ex Annalibus, ut inquit, Ruſſorum, de Svatoſlao Igori & Helenæ filio hæc narrat. „ Svatoſlaus, qui poſt obitum matris regnabat, diviſit „ provincias filiis. Jeropolcho Kioviam, Olego Drewlianos: „ Vvolodimero Novogardiam (*a*) magnam. Svatoſlaus quum „ filiis proſpexiſſet, pergit in Bulgariam, Preſtlawam civita„ tem obſidet capitque: Baſilio & Conſtantino Imperatoribus „ bellum denunciat: at hi legatis miſſis, pacem poſcebant, „ & quantum exercitum haberet, cognoſcere ab eo propterea „ cupiebant, quod tributum daturos ſe juxta numerum exer„ citus, ſed falſo, pollicebantur. Mox cognito militum nu„ mero, exercitum ſcripſerunt. Poſt quum uterque exercitus „ conveniſſet, Rutheni Græcorum multitudine terrentur. „ Quos quum pavidos videret Svatoſlaus, inquit: Quia locum „ non video, Rutheni, qui nos tuto capere poſſet; terram „ autem Ruſſiæ tradere inimicis, nunquam in animum indu„ xi: fortiter contra illos pugnando, aut mortem oppetere, „ aut gloriam reportare, certum eſt. Etenim ſi ſtrenue pu„ gnando occubuero, nominis immortalitatem; ſi vero fugiam, „ perpetuam inde ignominiam ſum relaturus: & quum ho„ ſtium multitudine circumventus effugere non liceat, ſtabo „ ergo firmiter, caputque meum in prima acie, pro patria, „ omnibus periculis objiciam. Cui milites: ubi caput tuum, „ ibi & noſtrum. Mox confirmato milite, in adverſum ho„ ſtem raptus, magno impetu facto, victor evadit. Terram „ dein Græcorum vaſtantem, reliqui Græciæ principes mune„ ribus oppugnant: aurum autem & pandockmi (ut eſt in An„ nalibus) munera quum ſpreviſſet, recuſaſſetque, veſtimen„ ta

a Addit ibid. Herberſteinius de Novogardia „ Nam Novogardenſes impulſu cu„ juſdam mulieris Dobrinæ Wolodimerum principem impetrarunt: erat enim Novogar„ diæ civis quidam Caluſcza parvus dictus, qui habuit duas filias, Dobrinam & Maluſ„ cham. Maluſcha erat in gynæcio Olhæ, quam impregnaverat Svatoſlaus, & ex „ ea Volodimerum ſuſceperat.

„ ta autem & arma a Græcis jam denuo ſibi miſſa accepiſſet;
„ tanta ejus virtute, Græciæ populi permoti, Reges ſuos con-
„ venientes: & nos, inquiunt, ſub ejuſmodi Rege eſſe cupi-
„ mus, qui non aurum, ſed arma magis amat. Appropinquan-
„ te Conſtantinopolim Svatoslao, Græci magno ſe redimen-
„ tes tributo, eum a finibus Græciæ avertunt: quem tandem
„ anno mundi 6480. Cures Princeps Picezenigorum ex inſi-
„ diis interfecit: & ex cranio ejus poculum faciens, auro cir-
„ cumdato, literis in hanc ſententiam ſignavit: Quærendo
„ aliena, propria amiſit „. Scriptoribus Græcis conſentiunt quæ de anno cædis Svatoslai dicuntur: nimirum, ab orbe condito 6480. Chriſti 972. Sed cetera, præter relatam ab ipſo de Bulgaris victoriam, falſa ſunt. Falſum enim primo, ſub Baſilio & Conſtantino Svatoslaum regnaſſe: ipſe enim anno, ut modo dicebam, 972. deceſſit: At Baſilius & Conſtantinus non ante menſem Januarium ineuntis anni 976. poſt Joannis Zimiſcæ obitum, imperare cœperunt. Falſum quoque, Græcos Imperatores a Svatoslao devictos, magno ſeſe tributo redemiſſe. Recole quæ ſupra ſunt a nobis narrata de bello inter Ruſſos, quibus Svatoslaus, Græcis Sphendoſtlabus appellatus, præerat, & inter Jo: Zimiſcem Imperatorem commiſſo. Falſum denique quod Cromerus in hiſt. Polon. lib. 3. de eodem Svatoslao ejuſque matre Olga ſic tradit: „ Poſt Jori mortem circa ann.
„ Chr. 950. uxor ejus Olga vidua Principatum aliquandiu ad-
„ miniſtravit: Dreſlianoſque dolo ulta, Stoslao filio, quum
„ adoleviſſet, principatum tradidit; & Conſtantinopolim pro-
„ fecta, Joanne Zimiſce imperante, Religionem Chriſtianam
„ ſuſcepit. Stoslaus vero, nequicquam ſuadente matre, ut
„ ipſe Chriſtianus fieret, in impietate perſeverans, ſeptua-
„ ginta arces ſecundum Danubium cepiſſe fertur; revocatuſ-
„ que a matre, Pecinigos (quos Vapovius Peucinos, ejus
„ oræ, qua Danubius in Pontum influit, populos eſſe vult)
„ ditionem ſuam infeſtantes, & Kioviam obſidentes, repreſ-
„ ſit: ſed ab his deinde, quum eis viciſsim bellum inferret,
„ cæſus eſt „. Olga enim non Joanne Zimiſce, ſed Conſtantino Porphyrogenito imperante anno Chr. 955. Conſtantinopoli baptizata: & Svatoslaus poſtquam Bulgaros ſubegiſſet, armis in eum a Jo: Zimiſca motis devictus, pacem petere coactus eſt;

 dum-

dumque in patriam e Bulgaria rediret, a Patzinacitis in itinere per insidias cæsus fuit: quemadmodum ex supra dictis patet. Quam ob rem Culcinius quoque emendandus, dum ait; „ Joannes Zemisces ineundæ pacis cum Svatoslao cupidus, „ misit ad eum legatos, per quos pactam ipsi per Nicephorum „ Phocam Imp. mercedem confirmavit, solvendamque quotannis promisit, & ut ad suas sedes se reciperet, ab invadendisque Romanis provinciis desisteret, oravit „. Vocaverat quidem Svatoslaum per legatum Imperator Græcorum, ut adversus Bulgaros pugnaret. Venitque ille; sed captam Bulgariam quum sibi retinuisset, armaque insuper adversus Græcos movisset, illud exinde consequutum est, ut ex amico inimicus factus, a Græcis profligatus fuerit, coactusque pacem petere, tutumque reditum implorare.

XVII. Svatoslai filii Jaropolchus, Olgus, & Uladimirus. Uladimiri gesta ex Herbersteinio, ejusque vitia, & liberi.

Vivens Svatoslaus Principatum inter filios *Jaropolcum*, & *Olgum*, ex justa uxore natos, partitus erat; *Uladimirum* vero e Maluscha concubina susceptum, Novogrodensibus petentibus Principem dederat. Eo autem mortuo „ quidam ex „ ejus primoribus (*verba hæc sunt Herbersteinii*) Svvadolt nomine, Kioviam ad Jeropolcum profectus, maximo eum sollicitans opere atque studio, quo Olegam fratrem regno expelleret, quod filium suum Lutam necasset. Jeropolcus „ ejus persuasione adductus, bellum fratri infert: exercitumque ejus, Drewlianos scilicet, profligat: Olega autem fugiens in quoddam castrum, a suis exclusus, impetuque facto, ex quodam ponte detrusus ac dejectus, multis super „ eum cadentibus, misere adobruitur. Jeropolcus castro occupato, fratrem quærens, corpus ejus inter cadavera repertum, & ad suum conspectum allatum, aspiciens: Swadolte, „ inquit, ecce hoc tu concupivisti: post sepelitur. Interfectum sepultumque Olegam quum Wolodimerus accepisset, „ relicta Nowogardia, ultra mare ad Waregos profugit. Jeropolcus autem Nowogardiæ suum locum tenentem imponens, totius Russiæ Monarcha efficitur. Wolodimerus Waregorum auxilio comparato reversus, locum tenentem fratris Nowogardia expulit, fratrique bellum prior denunciat: „ sciebat enim ipsum contra se arma sumpturum. Interea temporis mittit ad Rochwolochdam principem Pescowiæ (nam „ & ipse

„ & ipse ex Waregis illuc commigraverat) & filiam suam Roch-
„ midam uxorem petit. Filia autem non Wolodimero, quod
„ eum ex illegitimo thoro natum sciebat, sed Jeropolco fratri,
„ quem brevi se pariter expetiturum putabat, nubere voluit.
„ Wolodimerus quod repulsam passus esset, Rochwolochdæ
„ bellum infert, eumque unacum duobus filiis occidit. Roch-
„ midam vero filiam sibi jungit, atque post Kioviam contra
„ fratrem progreditur. Jeropolcus cum fratre inire prælium
„ quum non auderet, occlusit se Kioviæ. Wolodimerus dum
„ Kiow oppugnat, occultum mittit nuncium ad Blud quemdam
„ Jeropolchi intimum consiliarium: quem patris appellatione
„ dignatus, rationem interficiendi fratrem ex eo petit. Intel-
„ lecta petitione Wolodimeri pollicetur Blud, semet domi-
„ num suum interfecturum, consulens Wolodimero, castrum
„ ut oppugnet: Jeropolcum autem monet, in castro ne ma-
„ neat, exponens multos ex suis ad Vvolodimerum defecisse.
„ Jeropolcus consiliario suo fidem habens, fugit Roden ad
„ ostia Jursæ, seque ibi adversus fratris vim tutum fore putat.
„ Vvolodimerus devicta Kiovia, Roden exercitum transfe-
„ rens, longa & gravi obsidione Jeropolcum premit. Post lon-
„ ga inedia exhausti, quum obsidionem tolerare diutius non
„ possent: consulit Blud Jeropolco, ut pacem cum fratre, se
„ longe potentiore, faciat: Vvolodimero autem interim ni-
„ hilominus nunciat, se sibi fratrem suum mox traditurum
„ adducturumque. Jeropolcus sequutus consilium ipsius Blud,
„ fratris se arbitrio atque potestati permittit, conditionem
„ hanc ultro offerens, nempe, quidquid ex gratia sua sibi re-
„ rum concessurus esset, in eo sese gratum futurum. Vvolo-
„ dimero conditio oblata haudquaquam displicet. Mox Blud
„ monet dominum, ut ad Vvolodimerum iret; quod tamen
„ Vverasco pariter Jeropolchi consiliarius dissuadet. Sed hu-
„ jus consilium negligens, ad fratrem pergit, ingrediens per
„ portam, a duobus Vvaregis, Vvolodimero interim ex qua-
„ dam turri despiciente, occiditur. Quo facto, fratris uxorem
„ natione Græcam stupravit: quam Jeropolcus pariter, prius-
„ quam in uxorem duxisset, monialem imprægnaverat. Hic
„ Vvolodimerus multa idola Kioviæ instituit: primum ido-
„ lum, Perum dictum, capite argenteo, cetera ligna erant.

„ Alia,

„ Alia, Uslad, Corſa, Daſwa, Striba, Simaërgla, Macoſch,
„ vocabantur: quibus immolabat, quæ alias Cumeri appella-
„ bantur. Uxores habuit plurimas: ex Rochmida autem ſu-
„ ſcepit Iſoslaum, Jeroslaum, Serwoldum, & duas filias. Ex
„ Græca Swetopolcum. Ex Bohema Saslaum; iterum ex alia
„ Bohema Swatoslaum, Stanislaum. Ex Bulgara, Boris &
„ Chleb. Habebat præterea in alto caſtro trecentas concubi-
„ nas: in Bielgrad, ſimiliter trecentas: in Bereſtowo, Selwi,
„ ducentas.

XVIII. De Uladimiro Ruſſorum Rege, ex Culcinio, & Cromero.

Hæc ſunt Vvolodimiri vitia ante ſuſceptum Baptiſmum: quæ tamen Culcinius diſſimulans, de Swatislai ſucceſſoribus, ejuſdem Vvolodimiri fratribus, ſic ſcribit pag. 110. „ Jaropol-
„ cus I. ab anno 972. ad ann. 979. Succeſſerat Svatoslao filius
„ ejus natu major (*a*) Olgus: ſed illico conſurgens junior
„ frater Jaropolcus contra ſeniorem, immaniter eum interfe-
„ cit, principatumque ſibi tyrannice aſſeruit. Non diu tamen
„ imperium tenuit. Nam Uladimirus natu minimus, Svato-
„ slai filius, aggreſſus multoties bello fratricidam, fregit tan-
„ dem ipſum, cæſiſque ejus copiis, imperio ac vita ſpoliavit.
„ Creatus fuerat Uladimirus a patre Svatoslao Dux Novogro-
„ denſium, quorum viribus fretus, quum caſtigaſſet Jaropol-
„ cum fatricidam, occupavit pacifice ſolium paternum in urbe
„ Kiovia anno 979. Ab avia ſua beata Olga imbutus ſacris
„ fidei myſteriis, jam fere a puero cupiebat eam amplecti: ſed
„ impeditus bellis, qua domi cum fratre, qua foris cum vario
„ hoſte, non potuit adeo cito ſuum votum complere. Pace
„ tandem in ſuo Regno condita, duxit exercitum contra Græ-
„ cos: ſed Korſuni ſeu Cherſonæ in Cherſoneſo Taurica, Deo
„ volente, cæcitate percuſſus, petiit baptiſmum & impetra-
„ vit, mente oculiſque in ſacro fonte illuminatus anno 990. „
Error in anno: nam anno 987. Annam Baſilii Imperatoris ſororem matrimonio ſibi conjunxerat, atque adeo Baptiſmum ſuſceperat, uti ſupra ex Cedreno pag. 699., & ex Elmacino ad ann. Hegiræ 377. demonſtravi. Cetera Uladimiri geſta mox referam.

Cro-

---

a Michovius hiſt. Polon. lib. 2. cap. 3. „ Jaropolcus major natu, munere & aſ-
„ ſignatione patris habens Kioviam, invaſit caſtrum Varaſæ in quo germanum ſuum
„ Olham interfecit. Cetera.

Cromerus ex Herbersteinio, ut videtur, hist. Polon. lib. 3. cap. 2. rem paucis absolvit. „ Post mortem patris (Svatoslai) „ & annum Chr. 971. Jaropolcus Kiovienfium Dux Olgo fratri „ Pereaslavicenfium Duci bellum intulit, incitante Sverveldo, „ qui principem gratiæ honoris locum apud Jaropolcum obtinebat, quod filium ejus Olgus interfecerat: Olgoque suorum perfidia perempto, dominatum ejus in potestatem suam „ redegit. Nec multo post ipse quoque Jaropolcus a Volodimiro per speciem colloquii evocatus, similem exitum habuit. Volodimirus vero paterno principatu omni potitus, „ finitimos Bulgaros, Croatas, Viaticos, Dulepios, & Jazygas, quos Jazwingos nostri vocant, subegit, ac tributarios „ sibi fecit. Cum Piecinigis quoque prospero marte bella gessit. Imperatoribus Constantinopolitanis Corsunum urbem „ Ponti, quam Chersonesam vocat Sabellicus, eripuit; ductaque in matrimonium Anna sorore Imperatoris Basilii & Constantini, & religione Christiana suscepta, reddidit. Quibus „ successibus elatus, proximas Polonorum ditiones adortus „ est, & quas dudum memoravimus (*a*) munitiones anno „ Chr. 985. de ipsis cepit, quemadmodum Dlugossus scriptum „ reliquit. Russorum Annales nullam cujusquam expeditionis „ Volodimiri hujus contra Polonos mentionem faciunt. Venceslaus autem Hagecus memorat, Miezislaum, vivente adhuc Boleslao pio Bohemorum Duce, Dambrofcæ fratre, anno Chr. 994. crebris incursionibus Bohemiam tunc infestasse, quum Volodimirus illas munitiones Polonorum in potestatem suam redegit. Contra quem quum Miezislaus, Bohemis omissis, duxisset exercitum, & bello illo Russico distineretur, Boleslaum magnas Bohemorum copias, Duce „ Crasata Suchoradio, in Poloniam immisisse, & cum alias „ munitiones, tum Cracoviam expugnasse, & præsidiis munivisse: sexto demum anno post, quum Boleslao pio Bohemorum principi extincto filius Boleslaus tertius in princi- „ patu

---

a Idem Cromerus supra dixerat: „ Piis & quietis consiliis fere principatum „ suum Miezislaus annis 35. administravit: præter quod cum Volodimiro Russorum Duce, ditiones suas invadente, necessarium bellum gessit, successu quidem „ vario, jam huc, jam illuc inclinante victoria, eventu vero non satis prospero. „ Nam Præmisliam, Cervenum, & aliquot præterea arces & oppida a Volodimiro capta amisit.

„ patu successisset, a Miezislao & Boleslao filio eas recuperatas „ esse, ejectis & ad internecionem cæsis Bohemis. Sed viderit „ Hagecus, quem secutus sit authorem in eo, quod Miezis- „ laum mitem & quietis amantem principem, nulla injuria „ provocatum, cum affine suo Boleslao bellum gessisse vult. „ Nostrorum quidem nemo quicquam ejusmodi memoriæ pro- „ didit „; de bello nempe Miezislai Polonorum Ducis Ruf- sico & Bohemico. Hæc Cromerus. Contra Michovius lib. 2. cap. 1. disertam Russici belli mentionem facit. „ Expugnavit „ (inquit) sub Mieczlao Dux Russiæ Vvladimirus castra Prze- „ misl, & Cyrwen, & Radimiczir, in regione Rusiæ paren- „ tibus, Polonorum ditioni tributa imposuit. *Et cap. 3.* con- „ vertit tandem Vvlodimirus animum ad bella, & intulit bel- „ lum Myczlao Duci Polonorum, expugnavitque sub eo ca- „ strum Przemisl, & castrum Cirwen, adjecitque ditioni suæ „ districtum Radimicensem. *Mox subdit.* Conversus iterum „ in Græciam, conquisivit insigne castrum Græcorum Kor- „ schim, & ex eo totam oram illi vicinam sibi subjecit.

XIX. Christiana fides a Uladimiro suscepta: ex Herbersteinio, & Miechovio.

Quo pacto, quove anno Christianam fidem amplexus sit Uladimirus, nunc est exponendum. Herbersteinius. „ Vvo- „ lodimerus quum sine impedimento totius Russiæ esset Mo- „ narcha factus, venerant ad eum ex diversis locis oratores, „ hortantes, ut se eorum sectæ adjungeret. Varias autem „ quum videret sectas, misit & ipse oratores suos, qui perqui- „ rerent conditiones & ritus singularum sectarum: tandem „ quum aliis omnibus fidem Christianam Græco ritu prætulis- „ set, elegissetque, missis oratoribus Constantinopolim ad Ba- „ silium & Constantinum Reges, Annam sororem, uxorem „ sibi si darent, se fidem Christi cum omnibus subditis suis „ suscepturum, & restituturum illis Corsun, & alia omnia quæ „ in Græcia possideret, pollicetur. Re impetrata, constitui- „ tur tempus, eligitur locus Corsun: quo quum venissent Re- „ ges, baptizatus est Vvolodimerus, commutatoque nomine „ Vvolodimeri, Basilio illi nomen imponitur. Nuptiis cele- „ bratis, Corsun unacum aliis, sicut promiserat, restituit. „ Hæc acta sunt anno mundi 6469. (*legendum*, 6496. *hoc est*, „ *Christi* 988.) a quo tempore Rusia in fide Christi perman- „ sit. Anna moritur XXIII. anno post Nuptias (*hoc est, ann.* „ *Chr.*

„ *Chr.* 1011.) Vvolodimerus vero anno post obitum uxoris
„ quarto (*h. e. Chr.* 1015.) decessit. Is civitatem intra Vol-
„ gam & Occam fluvios sitam condidit, quam a suo nomine
„ Vvolodimeriam nominavit, eamque Russiæ Metropolim
„ constituit. Inter Sanctos tamquam Apostolus, solenni die
„ videlicet 15. Julii, quotannis veneratur.

Eadem fere Matthias Miechovius Rer. Polon. lib. 2. cap. 3. Postquam enim Chersonam a Uladimiro Græcis ereptam narrasset, subjungit: „ Sollicitatus deinde præfatus Volodimirus
„ a Machometistis, ut ritum eorum assumeret, illico sprevit,
„ quoniam faedus & turpis videbatur. Postea à Latinis sollici-
„ tatus, non acquievit, quoniam cerimoniæ Latinorum parum
„ religiose, & templa parum ornata videbantur. Tertio a Ju-
„ dæis requisitus, ut eorum legem complecteretur, noluit:
„ gravis enim lex Judæorum videbatur. Græca religio pluri-
„ mum commendata, per nuncios ex Constantinopoli redeun-
„ tes (nuncios siquidem ad omnes nationes rituum prædicto-
„ rum miserat speculatum & exploratum) plurimum placuit.
„ Ideo misit nuncios ad Basilium & Constantinum Græcorum
„ Imperatores, optans sororem eorum Annam in conjugium,
„ offerens (si tali conjugio potiretur) de castro Korschim
„ (*Chersona*) & regione subjecta subito excessurum. Græci
„ vero Imperatores responderunt: non licere Principi genti-
„ li & idololatræ germanam eorum sociare. Si vero errore
„ gentili deserto, fidem Christianam profiteretur, non abnui-
„ turos petitionem ejus. Volodimirus autem obtulit sese fi-
„ dem Christianam prono animo suscepturum; venirent dum-
„ taxat personaliter, sororem adducerent, & ipsum baptiza-
„ rent. Itaque veniunt Imperatores Basilius & Constantinus
„ cum sorore Anna, jam persuasa & consentiente (prius enim
„ consentire recusabat) in Korschim: & Volodimirum mox cæ-
„ citas invasit: cœpitque fluctuare, an deberet baptizari. An-
„ na vero conjux ipsius futura, persuasit ei, quod baptismate
„ suscepto cæcitas deperiret. Anno ergo Domini 990. bapti-
„ zatus Volodimirus ab Episcopo Korschimensi, illuminatus
„ est, & celebravit nuptias: Restitutoque castro Korschim
„ Imperatoribus, lætus cum nova sponsa in Russiam pervenit,
„ idola & templa eorum confregit: simulacrum fulminis, quod

„ præcipue venerabatur, ad caudam equi alligatum trahit, & „ in fluvium Dniepr mergi justit. Promulgavit deinde edi- „ ctum, ut omnes populi subjecti, relictis idolis, baptizaren- „ tur. Quod & factum est: catervatim namque Ruthenis in „ Kiow confluentibus, baptizabantur in flumine Dniepr, qui „ & Borysthenes dicitur, per Episcopum Korschimensem. „ Baptizati sunt & filii Volodimiri duodecim, quos ex pluri- „ bus uxoribus & concubinis susceperat, Viseslaus, Isleslaus, „ Svatopolcus, Jaroslaus, Vvseuoldus, Svantoslaus, Mscis- „ laus, Borzich, Hleb, Stanislaus, Poswysd, & Sudislaus. „ Applicuit insuper pueros literis Græcis, artifices ex Græcia „ conductos locavit & salariavit: Ecclesias ex petra atque la- „ teribus etiam exstruxit.

XX. Uladimiri Elogium ex libris Ecclesiasticis Russorum.

Synaxarium, ex *Anthologio* Ruthenico depromtum, interprete e Slavica lingua in Latinam *Ignatio Kulczynski* (hoc est, Culcinio) *in Specimine Ecclesiæ Ruthenicæ* ad diem XV. Julii pag. 28. de Uladimiro Russiæ Duce hæc habet. „ Hic ma- „ gnus Rex Uladimirus fuit filius Svatoslai de stirpe Varago- „ rum. Studebat olim cultui idolorum, servans præcepta ma- „ jorum. Sed Deus volens novum populum sibi eligere, te- „ tigit cor ipsius, excitavitque eum a fatali somno idololatriæ. „ Cælestibus igitur actus stimulis Uladimirus, misit ad varias „ gentes exploratores, qui examinarent diversimodas earum „ Religiones: & quum nunciatum ipsi esset de sancta fide „ Christiana Græcorum, quæ in Oriente tamquam lucerna su- „ per candelabro rutilabat, optavit eam amplecti. Hinc lecto „ exercitu, perrexit ad fines Græcorum, captaque urbe „ Chersona, misit ad Cæsarem dicens: Da mihi in uxorem „ sororem tuam; &, si secus feceris, inferam arma Urbi tuæ „ regnanti. Quum vero respondisset Cæsar: non esse moris „ apud Christianos, ut feminæ nubant viris infidelibus; seque „ tunc petitioni assensurum, si Uladimirus sacrum suscipiat Ba- „ ptismum: ipse reposuit: Ita fiat. Veniant cum Regina „ Præceptores, ipsi me baptizent. Interea temporis cœpit „ Uladimirus vehementer laborare oculis. Quod quum nun- „ ciatum esset Reginæ, ipsa mittens ad eum dixit: nisi bapti- „ zatus fueris, dolorem oculorum non excuties. Rumpens „ tunc omnes moras Uladimirus, imbutus sacris fidei myste-

„ riis,

„ riis, quum intrasset Fontem lustralem, & in salutari lavacro „ regeneratus fuisset, en atræ ab oculis ejus cecidere squammæ, & semota caligine, lux reddita palpebris. Glorificavit Deum verum pius Princeps, & de restaurata animæ corporisque incolumitate exultans, rediit domum: ac vocata ad se Regina, celebratisque cum ea nuptiis, percussit ac conquassavit cuncta in urbe Kiovia idola, videlicet Jovem, Martem, Junonem, Venerem, cæteraque nefanda numina. Convocavit posthæc magnates suos, omnemque plebem, ac jubens unumquemque paratum esse ad suscipiendum statuta die Baptismum, ad finem concionis tale addidit edictum: si quis non interfuerit crastina die ad fluvium, is mihi hostis erit. Illucescente itaque fausta die, convolavit omnis populus ad fluvium Pocajna, viri matresque cum pueris virginibusque, & baptizarunt Presbyteri ritu ac ordine debito universam multitudinem: vocatusque fuit locus ille Sanctus, ubi etiamnum stat superstes Templum divis Martyribus Boriso & Hlibo sacrum. Hic igitur Sanctus Uladimirus fuit primus author nostræ salutis, qui videns novos Christi fideles, elevatis in cælum oculis, oravit pro eis dicens. Deus creator cæli & terræ, respice hunc novum populum, novamque hæreditatem tuam. Concede, quæso, Domine, ut hi fideles noscant ac timeant te Deum verum: confirma eos in orthodoxa fide; me vero, Dominator cunctorum, juva contra hostes, qui in te non credunt, & ego fretus protectione tua conteram eorum superbiam. Dimittens populum, præcepit omnibus, ut aras ac templa Christo Domino ubique erigerent: ipse etiam constructis plurimis sacris ædibus, insigniorem Basilicam honori Deiparæ dicatam in urbe Regia excitavit. Vixit posthæc (*a*) non multos annos, morboque correptus, migravit ad Dominum decima quinta Julii. Corpus ejus positum fuit cum magno, ut decebat, honore

a Uladimirus anno 988. baptizatus est: Octennio post, idest anno 996. Russos baptizari curavit. Quum igitur non ante ano. 1115. obierit, uti mox ostendam, non recte dicitur in Synaxario, post Russos baptizatos *vixisse non multos annos*. Ac præsertim quum in Annalibus Russorum post susceptum ab ipso anno 988. Baptismum perhibeatur idem ipse supervixisse annos XXVII. Ut igitur sententia Synaxarii constare possit, ea verba non ad Russos baptizatos, sed ad Ecclesias a Uladimiro exstructas, referenda videntur.

„ in Templo Deiparæ, quod ipse erexerat. Planxit autem „ luctu indicibili tantum Patrem ac Tutorem universa Russia.

Idem Culcinius in Appendice ad Specimen Ecclesiæ Ruthenicæ, exhibet primo loco *Acoluthiam* (ut Græci vocant) Ruthenice dictam *Sluzba*, seu *Officium* integrum de S. Uladimiro Russiæ Rege: deinde ejusdem Uladimiri *Constitutionem*.

Et in Officio quidem, ad ejus res gestas quod attinet, pag. 2. hæc leguntur. „ Venite concurramus omnes fideliter ad „ colendam memoriam Patris Russorum & institutoris nostræ „ salutis Basilii: hic enim oriundus e Varagis, dilexit Christum qui eum dilexerat, ad quem quoque intravit gaudens „ cum Avia sua beata Helena: omnes autem suos populos docuit credere in Deum unum in Trinitate, eumque adorare: „ tum exstirpans idola, eadem conquassavit, & protulit nobis suos sanctos palmites Romanum ac Davidem „. Nimirum filios ejusdem Uladimiri, Borisum & Chlibum, qui in baptismate vocati sunt Romanus & David.

Pag. 3. „ Similem te gessisti negotiatori quærenti bonam „ margaritam, gloriose Uladimire: Sedens enim in excelso „ solio matris urbium a Deo salvatæ Kioviæ, misisti ad Regiam Græcorum urbem, ut indagares ac intelligeres Orthodoxam fidem: quam utique invenisti tamquam inæstimabilem gemmam, & Christum adorasti: &c.

Pag. 6. „ A Deo inspiratus, o Basili, impii Peruni seu „ Jovis infame fanum contrivisti, cujus nefandum Idolum ferocis sonipedis caudæ alligatum confringere frustatim jussisti.

Pag. 9. „ Crudelis hominum hostis movebat te ad bellum „ gerendum contra Christianos; sed Maximus Dominus, Korsuni te illuminavit, & divino baptismate te dignatus est: necnon regnum cæleste tibi contulit.

Pag. 12. „ Hodie concurrite principes ac proceres totius „ Russiæ; vos quoque Antistites, monachique cum plebe, & „ omnis conditionis ætatisque viri ac feminæ ad solemne ac memorabile festum gloriosissimi Monarchæ secundum carnem ac „ spiritum nostri Protoparentis, qui fuit fidei in Christum primus „ author, venerabilis utpote Uladimiri. Facto igitur congressu,

„ unani-

„ unanimiter ac conformiter exclamemus, orantes Christum „ Deum: Domine precibus Basilii, salva Reges, Principes, populos, ac omnem hæreditatem tuam. Propagatori vero nostræ „ Fidei adjungamus, dicentes; Gaude Regum decus & ornamentum: gaude, Basili, author Fidei Christianæ in Russia, „ qui olim dicebaris Uladimirus, postmodum nuncupatus fuisti Basilius. &c.

XXI. Uladimiri Constitutio.

At vero in *Rituali Ruthenico*, ad Constitutionem Uladimirianam hæc præmittuntur apud eund. Culcinium in Præfat. ad Appendicem. „ Imperantibus Constantino & Basilio, convertit ad fidem Christi Sanctus Uladimirus universam Russiam, & adducto secum è Græcia Michaële Metropolita, posuit Constitutionem in Archiepiscopali Ecclesia, quæ ut inviolabiliter custodiretur, præcepit suis omnibus Successoribus, & aliis Ducibus in Russia ditiones habentibus, cunctosque terribilibus juramentis obstrinxit. Cetera „. Et pag. *29*. „ Constitutio Sancti Principis Uladimiri, qui Baptismate illustravit Russiam. De potestate Metropolitæ, de „ decimis, & de aliis. In nomine Patris & Filii, & Spiritus „ Sancti Amen. Ecce ego Princeps Uladimirus, dictus in sancto Baptismo Basilius, filius Svatoslai, nepos Igori & beatæ „ Olgæ, suscepta sancta fide Christi, obtinui ex urbe Constantinopoli primum Metropolitam Kioviensem Michaëlem, qui „ baptizavit totam Russiam. Postmodum erexi Templum in „ honorem S. Deiparæ, & applicavi eidem Templo decimas „ ex universo meo Principatu. Inspecto insuper Græcorum „ Nomocanone, quum invenissemus in eo, non licere causas „ Ecclesiastici Fori judicare Principibus, eorundemque ministris sæcularibus, consilio inito cum Filiis meis, Ducibus, „ ac viris nobilibus, dedimus potestatem judicandi causas Ecclesiasticas Metropolitæ & Episcopis in universa Russia. Cetera „. Hujus Constitutionis meminit Herbersteinius in suo commentar. Rer. Moscoviticar. pag.45. Sed pro *Michaële* Metropolita, habet *Leonem*, sic: „ Wolodimerus mysteriis vivifici lavacri Anno *6496*. initiatus, decimas una cum Leone „ Metropolita, de omnibus rebus dandas instituit. *Et post* „ *pauca*. Idem Wolodimerus potestati & jurisdictioni Spiritualium subjecit omnes Abbates, Presbyteros, Diaconos, & to-

„ tum

„ tum ſtatum Clericorum: Monachos, Moniales &c. „ Apud Culcin. pag. 30. in Conſtitut. Wolodimiri: „ Jam vero ſubditi, quos tradidimus poteſtati ac juriſdictioni Metropolitæ, „ hi ſunt: Hegumenus, Hegumena: Presbyter, Presbyteriſſa: Diaconus, Diaconiſſa, & liberi eorum. Cantores „ ac Clerici omnes. Monachus, Monialis &c. „ Itaque Herberſteinius & Culcinius in hoc concordant, quod ea Conſtitutio a Uladimiro poſt acceptum Baptiſmum ſit edita; non tamen inter illos convenit circa Metropolitæ Ruſſorum nomen; nam Culcinius ex Rituali Ruthenico prodit, eum *Michaëlem* fuiſſe; ille vero, neſcio unde hauſerit, eum *Leonis* nomen habuiſſe. In Catalogo quidem Metropolitarum Ruſſiæ, primus occurrit ſub Uladimiro *Michael*, ſecundus *Leontius*, qui idem videtur ac *Leo* Herberſteinii. De Michaële hæc habet Culcinius in Part. 3. pag. 110. „ Michaël I. natione Græcus, miſſus a Nicolao Chryſoberga Patriarcha Conſtantinopolitano ann. 990. „ fundata in urbe Kiovia Sede Metropolitana, & multis a „ S. Uladimiro privilegiis ornata, ſacro gentem Roxolanam baptiſmo illuſtravit, fidem Orthodoxam docuit, „ Epiſcopos per novas Diœceſes ordinavit, ceteraque inſignia pietatis, zeli, ac ſanctimoniæ ſpecimina edidit. Exuviæ ejus hactenus incorruptæ quieſcunt in cryptis Kiovienſibus.

De Leontio vero, ibid. „ Leontius genere Græcus ſucceſſit Michaëli anno 1020. *Et poſt pauca*. Hic Leontius in „ marmoreo condidit mauſoleo ſacras Uladimiri exuvias: ipſe „ etiam decrevit, ut Kioviæ & non alibi, Sedes Metropolitana in perpetuum exſtaret „. Huic ſucceſſit *Theopemptus* è Græcia oriundus anno 1033. quo mortuo Ruſſi, annuente Jaroſlao Duce, (*a*) Anno 1051. in Templo S. Sophiæ, Cathedrali ſcil. Kiovienſi, elegerunt conſecraruntque *Hilarionem* gente Ruſſum. Hunc autem anno 1068. defunctum excepit Ruſſus alter *Georgius*, qui (Stricovio teſte lib. 5. cap. 3.) decrevit, ac promulgavit cultum SS. Uladimiri, ejuſque filiorum Boriſi & Hlibi, ſeu Romani ac Davidis, quos Svatopelcus frater per

a Vacillat Chronologia Metropolitanorum Ruſſiæ. Nam Jaroſlao (uti mox patebit) anno 1036. defuncto, conſequenter cadunt anni electionis Theopempti. & Hilarionis.

per submissos sicarios (*a*) anno 1010. trucidandos curaverat. Postremo Par. 2. pag. 90. in Adnotatione ad *Processionem S. Crucis*, quæ fieri solet *Kalendis Augusti*, idem Culcinius sic scribit: „ Conjicere tamen licet, quod quum contrito Peruni „ seu Jovis idolo, & suffecta in ejus locum sancta Cruce, cu- „ rantibus Michaële Metropolita, Uladimiro, & conjuge ejus „ Anna, Populus Kioviensis a Presbyteris baptizaretur in flumi- „ ne, puer aliquis excidens e manibus matris, submersus fue- „ rit, quem extractum in ripam quum plorarent parentes, pre- „ cibus Michaëlis Metropolitæ suscitatum crediderim: hunc „ enim primum inter Primates venerantur ut Sanctum Ruthe- „ ni, quamvis ei diem propriam non assignaverint.

XXII. Expenditur Epocha acceptæ a Uladimiro Christianæ Religionis.

Atque hæc sunt, quæ de prima Russorum ad Christi fidem conversione, deque Uladimiro Svatoslai filio, ac Michaële Metropolitano, ex Russorum Annalibus haurire licuit. Nunc reliqua sunt in medium proferenda, quæ eodem de argumento aliarum gentium scriptores memoriæ prodidere. Et primum quidem de tempore, loco, & occasione suscepti a Uladimiro Baptismi, jam supra Elmacinum audivimus narrantem, quum Bardas Phocas mense Giumada anni Hegiræ 377. (hoc est, exeunte Septembri anni Christi 987.) adversus Basilium & Constantinum Imperatores rebellasset, Basilium misisse ad Uladimirum Russorum Regem, ut sibi adversus illum suppetias ferret, idque a Uladimiro factum esse, postquam suscepto Baptismo, ipsius Imperatoris sororem in conjugem duxisset; conjunctis vero Russorum Græcorumque armis, Bardam Phocam mense Octobri anni 989. (seu mense Moharramo anni Hegiræ 379.) cæsum, ejusque caput Constantinopolim deportatum fuisse. Elmacino Cedrenus consentit sic scribens: „ Imperator (*Basi- „ lius nempe*) frustra hortatus Calocyrum Delphinam Patri- „ cium, (qui partem exercitus sibi a Barda Phoca traditam, ad Chrysopolim traduxerat, dum idem Bardas Phocas cum reliquo Abydum petierat, ut sic Byzantinos utrinque coarctarent) „ Imperator, inquam, frustra hortatus Delphinam, ut a „ Chrysopoli decederet, neque castra e regione Urbis haberet: „ noctu navibus adornatis Russos imponit (nam ab iis suppetias „ impetraverat, quod sororem suam Annam Bladimero eorum „ Prin-

a Imo post annum 1016, idest, post Uladimiri patris obitum.

„ Principi matrimonio conjunxisset) cumque his, non sentiente hoste, freto trajecto, eos adortus, nullo negotio „ opprimit „. Itaque, vel anno 988., vel paulo ante, Uladimirus Annam uxorem duxerat, simulque baptizatus fuerat: idque, uti Russorum Annales habent, Chersonæ contigit; ex qua urbe Uladimirus a Basilio Imp. evocatus, *Byzantium* venit, ubi, teste Cedreno, Basilius *navibus adornatis Russos imposuit*, *cumque iis* Bardam Phocam & Delphinam *adortus*, *nullo negotio oppressit*. Ita Elmacinus cum Cedreno comparatus: qui licet in aliquibus a Cedreno discrepet, egregie tamen confirmat quod Herbersteinius, Ferdinandi Archiducis Austriæ ad Principem Russorum Legatus, loc. cit. ex Annalibus gentis tradit, Wolodimerum scilicet mysteriis vivifici lavacri anno mundi 6496. (Kalendis Septemb. anni Christi 687. inchoato) initiatum. Quumque fœdus inter utramque gentem, & Uladimiri conjugium cum Anna Basilii & Constantini Imperatorum sorore ante anni 988. initium sorti effectum non potuerint, perspicue apparet, Uladimiri Russorum Principis conversionem ad eum Christi annum pertinere, non autem ad annum 989. aut 990. uti a Culcinio aliisque confertur. Apparet etiam, relatam ab eodem Culcinio e Russorum Synaxario, & ab Herbersteinio ex ejusce gentis Annalibus narrationem, de missis scilicet a Uladimiro legatis ad varias gentes, ut perquirerent conditiones & ritus singularum nationum, deque prælata omnibus Christiana Græco ritu fide, hanc, inquam, narrationem mihi valde suspectam esse; tum quia neque Cedrenus neque alii antiqui Græci Scriptores mentionem illius faciunt: fecissent autem in gratiam suæ gentis, si vere contigisset: tum quia Russi de Græca religione rituque jam antea edocti fuerant; quum scilicet, Basilio Macedone imperante, miraculum non exusti codicis sacri contigerat, Episcopo, quem illi expetierant, deprecante: & in primis Uladimirus eam religionem ignorare non poterat, si vera sunt quæ de eodem tradit Culcinius in Append. pag. 110. in hæc verba: *Ab avia sua beata Olga imbutus sacris fidei mysteriis*, *jam fere a puero cupiebat eam amplecti*. Huc accedit, quod tota hæc missorum ad varias gentes, perquirendæ religionis causa, legatorum narratio videtur desumta ex Vita SS. Cyrilli ac Methodii, ubi Chazarorum legati

gati Constantinopolim missi, petitum, ut Imperator mitteret qui eos fidem catholicam veraciter edoceret, inter cætera hoc adjiciebant: „ Nunc Judæi, nunc Saraceni, ad suam fidem „ nos moliuntur convertere. Vide Tom. 3. pag. 4.

XXIII. De Uladimiri fratribus, uxore Anna, eorumque obitu.

Tum Herbersteinius, tum Culcinius, tres tantum filios Suatoslao Igori & Olgæ filio tribuunt. *Jaropolcum* nempe, *Olgum*, & *Volodimirum*. At vero Cedrenus & Scylitzes quartum etiam memorant, *Sphengum* appellatum. Do verba Cedreni pag. 710. „ Imperator (*Basilius scilicet Constantini fra-* „ *ter*) Constantinopolim reversus Januario mense, anno „ mundi 6524. (*idest Chr.* 1016.) classem in Chazariam „ mittit Duce Mongo (*a*) Andronici Ducis Lydi filio. Is, „ τῇ συνεργίᾳ Σφέγγου τοῦ ἀδελφοῦ Βλαδιμήρου τοῦ γαμβροῦ τοῦ „ Βασιλείου, adjuvante Sphengo fratre Bladimeri, ejus qui Ba- „ silii Imperatoris sororem in matrimonio habebat, regionem „ eam subegit, principe ejus Georgio Tzulo in primo conflictu „ capto „. *Sphangum* vocat Latinus Scylitzæ interpres, cujus verba ad oram recito.

Iidem ipsi Herbersteinius, & Culcinius, cum reliquis fere Scriptoribus circa annum obitus Uladimiri, neque secum ipsi, neque cum Græcis historicis consentiunt. Nam Culcinius quidem in Append. pag. 110. & seq. regnasse scribit Uladimirum annos 29. initio ab anno Chr. 979., desumto; obiisse autem anno 1008. Hofmannus vero in Lexico universali, V. *Ruricus*, Uladimirum ait ab anno 976. ad 1005. regnum Russicum tenuisse: „ eo mortuo (inquiens, idest Stoslao, sive Svatoslao, Græcis Sphendosthlabo) „ Russia pro numero filiorum „ in tres abiit *Ducatus*, Kioviensem, (*b*) Pazinacensem, „ & Novogardiensem, donec solus fratribus superstes Uladi- „ mirus, eos iterum junxit anno 976. & ducta Anna Basilii Im- „ peratoris Constantinopolitani filia, (*c*) religionem christia- „ nam, secundum fidem & ceremonias Ecclesiæ Græcæ, in

a Scylitzes edit. Venet. 1570. fol. 91. pag. 2. „ Imperator autem Constantinopo- „ lim profectus mense Januario anno 6524. classem ad Chazariam mittit, Duce Il- „ longo Andronici Ducis Lydi filio, & opera Sphangi fratris Bladimeri, Impera- „ toris generi, subegit regionem, principe ipsius Georgio Zulo, primo impetu „ capto.

b Leg. *Chiovien. Pscovien.* seu *Plescovien.* & *Novogorodien.*

c Leg. *Sorore.*

„ Russiam introduxit (*a*) anno 989. Urbem insuper Uladi- „ miriam exstruxit, & Imperii in ea sedem posuit. Obiit anno „ Chr. 1005. relictis XII. filiis „. Herbersteinius denique mortem Uladimiri ad annum Chr. 1015. consignat: sic enim scribit de ejus Baptismo, nuptiis cum Anna, & Annæ ipsius, atque Uladimiri obitu. „ Hæc acta sunt anno mundi 6496. „ (*idest Chr.* 988.) a quo tempore Russia in fide Christi per- „ mansit. Anna moritur XXIII. anno post nuptias, (*idest an-* „ *no Chr.* 1011.) Volodimerus vero anno post obitum uxoris „ quarto „ (*idest Chr.* 1015.) Verum Cedrenus & Scylitzes inter annum Chr. 1022. & 1025. Annæ, virique ejus Uladimiri obitum ponunt. Nimirum inter reportatam a Basilio Imp. de Abasgis victoriam, & inter ipsius Basilii mortem. Sic enim Cedrenus pag. 718. de Abasgis narrat. „ Porro quum Geor- „ gius Abasgiæ Dux violato quod ei cum Romanis erat fœde- „ re, vicina incursionibus vexaret, exercitum contra eum „ educit Basilius, domi relictis Nicephoro (*b*) Patricio Xi- „ phia, & Nicephoro Patricio filio Bardæ Phocæ. At ii indi- „ gnissime ferentes, non se quoque una ad id bellum jussos „ ire, contracto e Cappadocia, Rodanto, & aliis vicinis re- „ gionibus utcumque exercitu, rebellionem concitant. Ejus „ rei nuncius Imperatori allatus, exercitui magnam incussit „ sollicitudinem: metuebant enim, ne in medio inter Abas- „ gos & perduelles (quippe ferebatur ea de re Xiphias cum „ principe Abasgorum per internuncios egisse) inclusi, extre- „ ma pati cogerentur. Imperator ergo literas & ad Xiphiam, „ & ad Phocam mittit, ei qui perferebat mandans, ut quam- „ maxime alteri, altero ignorante, eas reddere curaret: „ Quod quum is effecisset, Phocas statim Xiphiæ ad se scriptas „ recitavit. Xiphias autem omnino ad se quicquam scriptum „ negans, Phocam die quadam ad colloquium vocat, venien- „ temque præparatis ad hoc insidiis necat. Hoc modo statim „ dissipata ea conjuratio; & Imperator de morte Phocæ factus „ cer-

a *In Russiam introduxit anno 989.* Atqui Uladimirus quidem christianam fidem suscepit anno 988. uti supra ostendi. At Russicæ gentis baptismus octennio post contigit, uti ex Annalibus Russor. docui supra pag. 43.

b Hujus primi Nicephori nomen deest apud Cedrenum, sed ex Scylitze suppletur, nec non ex iis intelligitur, quæ mox de utroque Nicephoro apud eundem Cedrenum referuntur.

„ certior, Theophylactum Damiani Dalasseni filium mittit, „ qui captum Xiphiam Constantinopolim in vinculis ad Joan- „ nem ablegat Protonotarium: is eum rasum in Antigoni insu- „ sula monachum facit. Imperator proinde metu rebellium li- „ beratus, cum Abasgis pugnam committit. Et quamvis „ multi Romani occubuere, tamen incerta victoria discessum „ est. Alterum deinde prælium initum die Septembris unde- „ cima, Ind. VI. Anno ab origine mundi 6531. (*Chr.* 1022.) „ In eo cadit Liparites, Georgii copiarum Dux primarius, & „ cum eo validissima Abasgici exercitus pars. Georgius in „ montes Iberiæ interiores fuga elapsus, paulo post missis le- „ gatis, cum Imperatore pacem componit, cedens ei sua, „ quantum ejus hoc Imperator volebat, ditione: filiumque „ suum Pancratium dans obsidem: quem Imperator Magi- „ strum creavit, ac domum rediit. Qui se Xiphiæ ac Phocæ „ seditionis socios præbuerant, eos bonis suis mutilatos in car- „ cerem abdidit: solum Patricium Phersam interficit, qui „ & primus omnium se perduellibus adjunxerat, & quatuor „ curatores vicinorum Principum necaverat, suaque manu „ spadoni cuidam Imperatorio caput amputaverat. Est & Cu- „ bicularius quidam Imperatoris leonibus objectus, convictus „ quod Imperatorem in Xiphiæ gratiam conatus esset veneno „ tollere „. His de expeditione Abasgica præmissis, sequitur de Rossico motu, in hæc verba pag. 719. „ Mortua Anna Impe- „ ratoris sorore in Russia, defuncto jam ante Bladimero ma- „ rito, Chrysochir quidam Bladimeri cognatus octingentos vi- „ ros adscivit, iisque in naves impositis, Constantinopolim „ venit, stipendia se facere velle simulans. Quum autem Im- „ perator, eum positis armis petere siquid vellet, juberet, „ non obtemperans, Propontidem trajecit: quumque ad Aby- „ dum venisset, conserta navali pugna cum eo qui oram mari- „ timam tuebatur, nullo negotio vicit, ac Lemnum perve- „ nit. Ibi Rossi a classe Cibyrræotarum, & Davido Achridensi „ Sami præfecto, ac Nicephoro Cabasila Duce Thessalonicæ, „ per fraudem omnes sunt interfecti „. Postremo subjungitur de Basilii Imp. obitu. „. Posthæc in Siciliam molitus expeditionem „ Basilius, Orestam quemdam de fidissimis suis eunuchis præ- „ mittit cum magnis copiis: ipse fato interceptus, subsequi non

„ valuit: nam menfe Decembri, Indictione IX. Anno 6534. „ (*Chr.* 1025.) fubito correptus morbo decefsit „. Itaque & Uladimirus (Græcis teftibus) ante Annam uxorem fato cefsit, & Anna aut anno Chrifti 1022. aut paulo poft, five ante, mortua eft. Quæ omnia Rufsicis Annalibus repugnant.

XXIV. A Ruffis inSanctorum catalogo adfcripti Olga feu Helena, & Uladimirus, ejus ex filio nepos. Quid de Uladimiri vitiis Ditmarus?

In Faftis Ruthenorum tum Unitorum, tum Mofcovitarum coluntur tamquam Sancti, ad diem quidem XI. Julii, *Olga feu Helena*, Igori conjux, mater Svatoslai, & Avia Uladimiri: ad XV. autem ejufdem menfis, *Uladimirus* feu *Ulodimirus*, Dux Ruffiæ, Svatoslai filius. De his tamen nulla inter Sanctos fit mentio neque apud Latinos, neque apud Græcos. Silent etiam de illis Tabulæ noftræ Capponianæ; eorum denique nomina non apparent in Kalendario Sanctorum, tam in manufcriptis Codicibus Slavicis Vaticanis, quos Tom. I. Part. I. cap. 8. a p. 109. ad pag. 114. recenfui; quam in vetuftiffimo Codice noftro, Evangelicas Lectiones per anni circulum juxta ritum Ecclefiæ Græcæ complectente, in membranis fcripto, prifcis Characteribus, ut vocant, Hieronymianis; quem Codicem omnium, quotquot hactenus vidit, five Cyrilliano five Hieronymiano charactere exaratorum vetuftiffimum effe teftatur, Slavicæ linguæ peritiffimus, Matthæus Caramanus, Archiepifcopus Jadrenfis non fine honoris præfatione mihi commemorandus, in pererudita Differtatione, qua adverfus quemdam neotericum Slavicæ Linguæ Literalis præ Vulgari tum antiquitatem, tum pretium demonftrat: cujus Differtationis alibi, Deo favente, epitomen referam. Quid? quod Ditmarus Epifcopus Merfepurgenfis, auctor coævus, de rebus anno Chr. 1008. geftis lib. 7. cap. 103. verba faciens, Uladimirum carpit, in hæc verba: „ Amplius progrediar difputando, Regifque Rufforum Uladomiri actionem iniquam perftringendo. Hic a Græcia ducens uxorem Helenam (*a*) nomine, Tertio Ottoni defponfatam, fed ei fraudulenta calliditate fubtractam, Chriftianitatis fanctæ fidem ejus hortatu fufcepit, quam juftis operibus non ornavit. Erat enim fornicator immenfus, & crudelis, magnamque vim Danais mollibus ingeffit. Hic tres „ ha-

a Fallitur Ditmarus. Anna fuit, non Helena, Uladimiri uxor: Uti fupra oftenfum eft.

„ (*a*) habens filios, uni eorum, Bolizlavi Ducis (*Poloniæ*) „ nostrique persecutoris, filiam in matrimonium dedit: cum „ qua missus est a Polonis Reinbernus Præsul salsæ (*leg. sacræ*) „ Colbergiensis. Ille in pago Hassegun dicto natus, liberali„ que scientia a prudentibus magistris educatus, gradum Epi„ scopalem ascendit, ut spero, dignus. Quantum autem in „ cura sibi commissa laboraverit idem, non mea sufficit scien„ tia, nec etiam facundia enarrare. Fana idolorum destruens „ incendit; & mare dæmonibus cultum, immissis quatuor la„ pidibus sacro Chrismate perunctis, & aqua purgans benedi„ cta, novam Domini omnipotentis propaginem in infructuo„ sa arbore, idest in populo nimis insulso, sanctæ prædicationis „ plantationem eduxit. Vigiliarum & abstinentiæ, & silentii „ assiduitate corpus suum affligens, cor ad speculum divinæ „ contemplationis infixit. Quem prædictus Rex, audiens fi„ lium suimet, hortatu Bolizlavi tacito, reluctaturum sibi, „ cepit cum eodem & uxore, & in singulari custodia claudit. „ In qua Pater venerabilis, quod in aperto fieri non potuit, in „ secreto studiosus in divina laude peregit. Hic quum se la„ crymis assiduæque orationi ex corde contrito prolatæ hostiam „ summo Sacerdoti reconciliaret; exacto corporis carcere so„ lutus, ad libertatem perennis gloriæ gaudens transiit „. Hæc Ditmarus de sancto Episcopo Reinberno, in carcere e carcere, ut ait, corporis liberato: Ubi de *Uladimiro* quidem Russorum Rege scribit, eum *fornicatorem immensum fuisse*, *&* *crudelem*, *& magnam vim Græcis intulisse*, *& Christianitatem*, *quam hortatu Annæ uxoris suæ* (quam per errorem Helenam vocat) *susceperat*, *justis operibus non ornasse*, *denique tam filium suum*, *quam ejus conjugem Bolislai Ducis Polonorum filiam*, *ac Reinbernum Episcopum*, *custodiæ tradidisse*, *huncque Præsulem in carcere vitam consummasse*. De *Boleslao* autem Poloniæ Duce, ait Ditmarus, eum hortatu tacito suggessisse filio Uladimiri, cui filiam suam uxorem dederat, ut patri reluctaretur, idest, in patrem rebellaret; eundemque Boleslaum vocat *suum*, idest, Germanicæ gentis, *persecutorem*: „ Atqui, (uti ad hunc Ditmari locum Pagius observat ad an-

„ num

a In hoc etiam errat Ditmarus: nam Uladimiro filios duodecim tribuunt Annales Russorum. Certe plures, quam tres fuere, uti infra ostendam.

„ num 1008. num. IV.) Boleslaus hujus nominis primus, secundus Dux aut Rex Christianus Polonorum, multis virtutibus claruit, omnemque operam adhibuit, ut superstitiones, ritusque idololatriæ, siqui adhuc usquam extarent, penitus exstirparet; Volodimirus vero, primus Rex Christianus Russiæ (*post aviam nempe Helenam*) cujus filius Boleslai filiam uxorem accepit, a Russis uti Sanctus colitur, sicuti suo loco (*a*) diximus. Verum ob perpetua bella, Germanos inter & Russos ac Polonos exorta confectaque, horum populi mutuo sæpius abalienati fuere. Quare non mirum, si Ditmarus Mersepurgensis in Germania Episcopus, Volodimirum & Boleslaum in invidiam vocet; quum id nostris temporibus ab historicis non raro fieri constet. Præterquam quod videtur Ditmarus de iis, quæ extra Germaniam gesta, non bene edoctus fuisse. Notabile tamen, quod narrat de Reinberno Colbergæ in Pomerania ulteriori Episcopo, qui Boleslai filiam in Russiam comitatus est. Pomerania enim ulterior ultra Oderam fl. posita, & Marchiæ Brandeburgicæ pars, Polonis diu paruere, ibique anno 965. fundatus Episcopatus Colbergensis, qui anno millesimo Gnesnensi Archiepiscopo subjectus fuit, ut suis locis (*b*) ostendi, cujus Reinbernus primus Antistes fuit, quem successores habuisse incompertum; quia Pomerani superstitionum suarum tenacissimi adversus Poloniæ Duces sæpe rebellarunt. *Et post pauca*. Seculo sequenti (*c*) sanctus Otto Episcopus Bamber-

a Nimirum ad ann. 987. num. 8. „ Papebrochius Tom. 1. SS. mensis Maji præfixit Ephemerides Græcor. & Moschorum, in quibus ad diem xv. mensis Julii legitur nomen *Bladimeri*, alias *Vvlodimiri*: & ad diem xxiv. ejusdem mensis habetur: *Boryssus*, *Glebus*, *Principes martyres*. Sunt vero hi filii Vvlodimiri, Christianis nominibus *Romanus* & *David* appellati, a Jaroslao fratre post victum fratricidam Svvatopolcum, contumulati Vvissogradi.

b Ad ann. 965. a num. VI. ad XI. ubi de Miescone sive Miecislao Poloniæ Duce, qui ducta in uxorem Dambrouca Boleslai Bohemiæ Ducis filia, primus se Christianum Principem professus est, agit. Item ad ann. 1000. num. 2. quo Otto III. Imper. causa orationis ad venerandas S. Adalberti Epis. & Mart. Reliquias in Poloniam perrexit.

c Anno 1124. S. Otto Episc. Bambergensis auctor fuit Boleslao III. Poloniæ Duci, ut Adelaidem Henrici Imp. sororem uxorem duceret, post mortem primæ uxoris suæ Sbislavæ Kiovensium Principis filiæ: quumque in Pomeraniam perrexisset, Uratislaum Ducem ejusque filios baptizavit: iterumque anno 1128. in Pomeraniam & Lentitiam profectus, multos ad Christi fidem convertit, dictus Pomeranor. Apostolus. Obiit anno 1129. mense Julio. Vide Pagium ad ann. 1124. num. 1. & 1128. a n. 23. & Helmoldum in Chron. Slavor. lib. 1. cap. 41.

„ bergensis, & Pomeranorum Apostolus, Adelbertum in Po-
„ merania constituit Episcopum, ut testatur Anonymus Syn-
„ chronus in ejus vita, hicque Sedem Episcopalem posuit *Ju-*
„ *lini* seu *Vollini* in insula Pomeraniæ ulterioris *Julino* dicta.
„ Ex ea urbe Episcopatus anno 1175. *Caminum* translatus fuit
„ a Casimiro Pomeraniæ Duce, quod postea Clemens III. con-
„ firmavit, ut scribit David Chytræus in Supplemento Krantzii.
„ Situm autem *Caminum* in Pomerania ulteriori e regione in-
„ sulæ Vollinæ. Tandem tam Episcopatus Caminensis, quam
„ Collegium Canonicorum, pace Monasteriensi anno 1648.
„ suppressa sunt. Quæ hic indicare præstat, quia scriptores
„ Poloni in Ecclesiarum suarum originibus ita cæcutiunt, ut
„ Michovius lib. 2. cap. 1. de Miescone, qui sæculo præterito
„ sacro Baptismo initiatus est, & de Episcopatibus tunc, ut
„ ipse existimat, fundatis verba faciens, tradat: *Camienen-*
„ *sis primus Julinus*; licet tam *Julinum*, quam *Caminum*,
„ urbium nomina sint, non vero alicujus Præsulis, eæque non
„ nisi seculo Ecclesiæ duodecimo Sede Episcopali exornatæ
„ fuerint, idque diverso tempore, una scilicet post alteram „.
Itaque (ut nunc ad Ditmarum redeam) is vel quia de rebus Russicis non bene edoctus fuit; vel propter mota inter Germanos, & inter Russos Polonosque bella, Polonis Russisque iniquior, ea quæ supra sunt recitata, Boleslao atque Uladimiro vitia objecit. Fuerat enim Uladimirus, ante susceptum Baptismum, *fornicator immensus*: octingentas quippe concubinas, (præter quinque justas uxores, *Varegam*, *Bulgaram*, *Græcam*, binasque *Bohemas*, si Herbersteinio credendum est,) habuerat: *Græcis* etiam *vim intulerat*, (utpote qui in eorum fines invadens, Chersonam aliasque illis urbes eripuerat:) crudelitatis denique notam incurrerat, dum *Rochwolochdam* Pleschoviæ Principem, & suum ipsius fratrem *Jaropolcum* interficiendos curavit: talis, inquam, tamque impius antea fuerat Uladimirus: verum postquam ducta in uxorem Anna salutari lavacro regeneratus fuit, nimio plus iniquus censendus est Ditmarus, qui antiqua ei crimina exprobret.

XXV. Bellum inter Poloniæ Ducem Boleslaum, & inter Ja-

Ceterum, ad Boleslai filiam filio Uladimiri conjugio copulatam quod attinet, neque Russi, neque Poloni scriptores ullam ejusce rei mentionem faciunt. Solus Ditmarus id narrat;

roslaum Uladimiri Russiæ Regis filium exortum. Ex Guagnino, Miechovio, & Cromero,

rat; nec tamen nobis exprimit, quisnam e XII. Uladimiri filiis is esset. Guagninus, Miechovius, Cromerus, aliique Polonicarum Rerum historici, dum bellum a Polonis in Russos motum enarrant, haud obscure significare mihi videntur, non aliam ob causam Svatopolchi Russiæ Ducis, Uladimiri filii, patrocinium Polonos sumsisse, nisi quia is filiam Boleslai conjugem duxerat. Guagnini verba recito. „ Jaroslaum quoque Ducem „ præcipuum Russiæ (loquitur de Boleslao I. Poloniæ Rege) „ validissimo exercitu fretum, insidiose contra se procedentem, Boleslaus memorabili cruentaque clade prostravit, Kioviam urbem Russiæ Metropolim cepit, indeque thesauros „ ingentes asportavit, & omnes Principes Russiæ tributarios „ sibi effecit „. Causam suscepti hujus belli silentio premit Guagninus: At Miechovius & Cromerus disertim scribunt, restituendi in principatum Kioviensem Svatopolchi causa eam a Polonis expeditionem adversus Russos fuisse susceptam. Et præmittunt quidem, Boleslaum, Chabry dictum, Poloniæ Regnum anno 999. iniisse: ab Ottone III. Imperatore in Poloniam ad colendas sacras S. Adalberti Episc. & Mart. reliquias adveniente, anno 1001. coronam Regiam accepisse: anno 1003. cum Uladimiro Russiæ Principe, non recuperatis iis, quæ is patri ipsius Miecislao ademerat, pacem fecisse: bello denique in Bohemiæ Ducem Boleslaum moto, Bohemiam vastasse. Tum vero pergunt ad enarrandas Russicas ipsius expeditiones, ab anno (ut inquiunt) 1008. usque ad 1018. susceptas. Miechovii verba hæc sunt libr. 2. capit. 6. „ Sollicitante „ Svatopolkone (*a*) Duce Russiæ, & personaliter implorante reductionem in Ducatum Kioviensem, de quo fuit expulsus per Jaroslaum germanum ejus, annuit, & exercitu valido collecto de propriis militibus jamjam pugnare assuetis, „ scientibus stare & sequi, in unum coire, & ordines promte constituere; habens secum prænominatum Svatopolkonem, ingressus est Russiam, invasiones, spolia ac injurias „ olim

a Crassus est Hofmanni error, dum in Lexico univesali in v. *Russia*, pro *Svatopolco*, quem Boleslaus Kioviensi principatui restituit, *Isaslaum* ponit, in hæc verba. „ Russiam subjugavit Boleslaus Poloniæ Princeps, quod Isaslaum pulsum restitutumque denuo ejecissent, Anno Chr. 1058. „ Errat præterea in anno. Nam Svatopolcus post Uladimiri obitum anno circiter 1016. Kioviam occupavit, nec ad annum 1034. quo Boleslaus mortuus est, pervenit.

„ olim Regno Poloniæ illatas vindicaturus: recepitque civi-
„ tates expugnatu faciles (ligneæ enim erant) usque ad flu-
„ men Bug. Quo quum pervenisset, invenit Jaroslaum Du-
„ cem Rusiæ, parte ab altera cum ingentibus copiis ex Ru-
„ thenis, Varajis, & Pyeczinigis conflatis. Excursionibusque
„ aliquot diebus utrinque habitis; Budus alumnus Jaroslai
„ Ducis, stans in altera ripa exprobrabat & deturpabat Re-
„ gem Poloniæ Boleslaum, dicens se in brevi extracturum
„ crassum viscus ejus. Boleslao vero graviter id ferente, &
„ injuriam suam ultum iri Polonis committente, repente ar-
„ mis correptis fluvium Bug transiverunt; & in ordines prom-
„ pte concurrentes, Ruthenos aggresi, prosternunt, & ad ul-
„ timum vincunt. Jaroslao, ne in manus Polonorum veniret
„ vivus, primum in Kiow, depost in loca paludosa fugiente,
„ ad Kiow Rex Boleslaus perveniens, obsesione & fame eam
„ expugnavit: pro illa tempestate civitatem insignem & ma-
„ gnam, trecentas Ecclesias & ultra habentem: quarum aliquæ
„ nunc stant, aliarum autem ruinæ dumtaxat apparent. Ingre-
„ diens urbem Rex Boleslaus, evaginato gladio percusit in
„ portam, per quam ingrediebatur, dictam auream, eam
„ scindendo in signum victoriæ; & castro obtento, universos
„ thesauros ducales comprehendens, moratus est, & illic
„ hiemavit. Deprehendensque, Svatopolkonem (quem in
„ sedem Kioviensem, de qua pulsus erat, restituerat) quos-
„ dam milites suos in stativis hibernantes & victualia quæren-
„ tes occidisse; iratus contraxit suas copias, Svatopolkone fu-
„ giente, & Kiow spoliata, spoliisque & captivis onustus, in
„ Poloniam remeabat. Insequente eum clandestine Jaroslao
„ cum grandi exercitu, ut quum in metis dimitteret exerci-
„ tum, invaderet & trucidaret Regem cum reliquiis exerci-
„ tus: nec fefellit eum opinio: transito enim flumine Bug,
„ Poloni ad propria veloci cursu properabant, & Jaroslaus
„ propere Boleslao appropinquabat. Rex per exploratores
„ certior factus, quos potuit revocavit, coasistentesque ani-
„ mavit, & commisso prælio, diu anceps bellum agebatur,
„ donec Jaroslai exercitus rarefactus retrocedere cœpit. Tunc
„ pasim quisque Ruthenorum fugam maturabat, & Jaroslaus
„ Dux eorum fugiens permutando equos non substitit, donec

„ in Novogrod pervenit. Boleslaus ergo, & ſuus exercitus „ ex ſpoliis ditatus, in Poloniam felix reveniens, Deo aucto„ ri victoriæ gratias egit „. Et paucis interjectis de Bello Saxonico, Pomeranico, & Prutenico, anno 1012. & ſeqq. ſuſcepto: „ Ultimam (inquit cap.7.) expeditionem egit Boleslaus „ in Ruſsiam adverſus Jaroslaum Ducem Ruſsiæ volentem „ Poloniam clam ingredi. Et ipſe ad reprimendum hoſti„ litatem ejus, clam ingreſſus Ruſsiam, circa fluvium „ Bug ſimul convenerunt. Equidem Boleslaum dies Domini„ cus a pugna diſtinebat. Verum coqui & ſervi carnes & equos „ lavantes, miſsilibus cum hoſtili exercitu ſe laceſſerunt in tan„ tum, ut totum exercitum in arma commoverent. Uni„ verſus ergo Boleslai exercitus armatus, equis aſcenſis, flu„ mine tranſvadato, Ruthenos nondum ſub ordinibus conſi„ ſtentes, & pavidos obtruncat, dirumpit, & proſternit. Dux „ Ruthenorum fugit: reliquum agmen tamquam acephalum „ ſine Duce e prælio ſeceſsit, Polono in ore gladii fugientes „ perſequente, & caſtra Ruthenorum diripiente. Proceſsit „ tandem Boleslaus cum ſignis victricibus ad interiora Ruſsiæ, „ caſtra ejus expugnavit: alia per deditionem accepit: pa„ cem confecit, & moderatum tributum Ruthenis inſtituit.

XXVI. Uladimirus vivens, Regnum Ruſsiæ inter filios partitus, poſtquam cladem a Pieczynigis accepiſſet. Ex Miechovio. Filiorum Uladimiri nomina. Bellum inter ipſos invicem, necnon ab ipſis cum Poloniæ Duce Boleslao commiſſum.

Eadem de Svatopolco, Jaroslao, & Ruſsis atque Polonis repetit Miechovius lib. 2. cap. 10. initio a Uladimiro deſumto. „ Vaſtatis Karuatis, Vvlodimirus Dux Ruſſorum etiam „ Pyeczinigorum exercitum juxta fl. Trubiesza profligavit, „ poſt ſingulare certamen unius ex Pyeczinigis gigantææ ſta„ turæ dejecto & occiſo a Rutheno de Pereaſlaw mediæ ſtatu„ ræ, quo cum duellum ingreſſus fuerat. Sed Pyeczinigi re„ collectis viribus anno ſequenti vehementi cæde ac igne ter„ ras Ruſsorum vaſtaverunt, Vvlodimirum eis occurrentem „ cum ſuo exercitu conterendo, & fugientem perſequendo, „ donec ſub pontem, qui fugienti occurrerat, ſe recondit, & „ ejus beneficio hoſtes inſequentes ſefellit. Hac de cauſa Ec„ cleſiam Transfigurationis in Kiow exſtruxit, quoniam in fe„ ſto Transfigurationis ſecundum Ritum Græcorum ſua evaſio „ contigerat. Tandem veritus Vvlodimirus ne decedente eo „ inter filios bella orirentur, ſic inter eos Regnum diviſit. „ *Viſlao* natu majori dedit Novogrod. *Iſoslao* Polozko. *Sva-*

„ *to-*

„ *topolkoni* Thurow. *Jaroslao* Rostow: sed Visoslao fatis „ rapto, Jaroslao Novogrod: *Borisz* Rostow. *Hleb* Moronye. „ *Svatoslao* Drewianie. *Wsevoldo* Wladimiriam. *Mscislao* „ Thimutuchani: cæteris junioribus Kiow, & Berestow prin„ cipatus, post mortem suam reservavit. At Jaroslaus sorte „ sua non contentus, creditus in pace venisse, castrum Kiow „ occupat. Quod pater Wlodimirus molestissime ferens, ex „ omnibus suis & filiorum principatibus bellatores adversus „ Jaroslaum contrahit. Jaroslaus vero resistentiam patri fa„ cturus, Pyeczinigos cum Varajis conducit. Non potens au„ tem Wolodimirus præ mentis ægritudine ordinationi belli „ adesse, præfecit exercitui suo Borisz; ipse vero post paucos „ dies in castro Berestow moritur, & in Kiovia in Ecclesia Vir„ ginis Mariæ, quam vivens ædificaverat, sepelitur. Ignoran„ tes patrem Wolodimirum mortuum bini filii Borisz, & Sva„ topolk, certamen cum Jaroslao inierunt, & eum superave„ runt. Svatopolkus ergo rapit principatum Kioviensem, & „ germanum suum Borisz loco patris se colentem, per subor„ dinationem quorumdam Novogrodensium in cubili sui oran„ tem, lanceis transfodit, & cum armigero ejus Gregorio „ Hungaro interfecit. Misit & alios nequam viros, & Hleb „ alium fratrem abscisso capite interfecit. Colit Ruthenica „ Ecclesia hos duos fratres pro sanctis Martyribus, in Ecclesia „ S. Basilii Kioviensi in uno sepulcro tumulatos. Nec impu„ nis fuit Svatopolkoni occisio fratrum. Venit namque con„ tra eum Dux Jaroslaus cum Ruthenis & Varajis, Svatopol„ kone cum Ruthenis & Pyeczinigis circa castrum Lubiecz „ resistentiam opponente, flumine Dniepr utriusque exerci„ tum dirimente. Et post trimestre spatium, Jaroslaus supe„ rato flumine, invasit exercitum Svatopolkonis inermem, „ diffugientemque in lacus: fragiles glacies habentes cum „ submersione plurium interfectioneque multo majori alio„ rum. Svatopolkus vix manus hostiles evadens, præpeti „ cursu in Poloniam fugiens, Boleslai Chrabry personale auxi„ lium & reductionem in sedem Kioviensem meruit, per Ja„ roslai circa fluvium Bug profligationem, & Kioviæ expu„ gnationem, ut paulo ante de Boleslao dictum est. Contra „ Svatopolkonem iterum Dux Jaroslaus anno sequenti cum

„ novo exercitu processit, & occurrente Svatopolkone in lo-
„ co, ubi Borisz occisus fuerat, succubuit Svatopolkus. Et
„ contractis copiis ex Pyeczinigis celerrime revertitur in for-
„ titudine magna. Cui occurrente Jaroslao circa fluvium
„ Olham, in crastino (& fuit dies Veneris) sole oriente con-
„ flixerunt. Et Svatopolkus victus fugit in Brzescze ad præ-
„ fectum Boleslai Regis Poloniæ, exinde Poloniam ad rescin-
„ dendum suas calamitates processurus. Sed in itinere repen-
„ tino correptus languore, mortuus est, & in loco ignoto ac
„ deserto sepultus. Post cujus mortem Jaroslaus pacifice
„ Kioviensem possedit principatum. Et quamquam pro uno
„ extincto adversario Svatopolkone alter adversarius nepos
„ ejus Brzetislaus filius Isoslai Ducis dePoloczo consurrexerit,
„ & sub eo Novogrod occupaverit; tamen & hunc duro certa-
„ mine superavit, Novogrod recuperando. Et Rededa Duce
„ de (a) Koschohon singulari certamine vicit, & tributa ei
„ regionique gentis Koschohon imposuit. Posthæc Mscislaus
„ Dux de Thimutukani, comparato exercitu de Kozaris &
„ Koschoys, invasit Jaroslaum fratrem suum Ducem Kiovien-
„ sem, & licet Jaroslaus in sui auxilium Ducem Vorahimorum
„ Jakuy accivisset, & duplici certamine conflixisset, tamen
„ succubuit, & Kiow in Mscislai ditionem concessit. Qui se-
„ dem Kioviensem fastidiens, Jaroslaum securitate promissa
„ reduxit, sedemque Kioviensem ei resignavit. Repete, in-
„ quit, frater, sedem Kioviensem, quoniam natu major es,
„ & ea pro tuo libito utere, quam ego victor victo, æquo ani-
„ mo, restituo. Hæc omnia in diebus Chrabry Boleslai Rus-
„ sitis facta contigerunt: cui Boleslao Dux ipse Ruthenorum
„ Jaroslaus de anno Domini 1018. novum & ultimum intima-
„ vit bellum clandestine inferre; sed dexteritate Boleslai viri-
„ liter superatus est, quemadmodum historia de Boleslao su-
„ praposita continet „. Addit cap. XI. de Miecislao Poloniæ
Rege loquens, qui mortuo Boleslao patri anno 1025. succes-
sit: „ Ruthenos tamen defectionem meditantes, Jaroslao &
„ Mscislao Ducibus Russiæ (quosdam agrestes & dominio Po-
„ lo-

a Casachiam fortasse intelligit, cujus descriptionem habes supra Tom. 2. p. 369. Cromerus infra Kozaros sine Chazaros tantummodo commemorat. Utrisque nimirum Rededa præerat, & Casachis, & Chazaris.

„ lonorum captos circa Kioviam supra fluvium Porszi locantibus) adhærere volentes, in fide Rex Myecziaus continuit, „ per hoc quod principaliores eorum captivavit, & in castris „ Poloniæ loco obsidum, aliquot annis tenuit „. Et cap. XII. ad ann. 1034. quo Casimirus Myeczlai filius est inauguratus: „ Extincto Mscislao, Duce Cirniejoviensi, Jaroslaus Dux Kioviensis in principatu ei succesit, & Monarcham Rusiæ sese „ gerere cœpit, quod lingua Ruthenorum sonat Yedzynawlasecz. Pyeczinigos autem Kioviam grandi multitudine vallantes, celeriter contractis undique copiis Jaroslaus superveniens, fortiter deturbavit, & ipsos vicit, quibusdam „ Pyeczinigis captis, ceteris aut fugatis, aut in aqua mersis. „ In signum victoriæ Jaroslaus Ecclesiam Divæ Sophiæ in Kiow „ erexit, turrimque ejus deauratis tabulatis texit. Eidem pro „ adornamentis vasa aurea & argentea, libros & vestes pretiosas largiendo, & Metropolitanum in ea instituendo. Portam insuper versus Poloniam pro magnificentia sua & urbis, „ profuso sumptu ædificavit: cacumen ejus seu pinnaculum „ tabulis deauratis ornavit, & Auream vocari jussit „. Et cap. XIII. sub eodem Casimiro Rege ad ann. 1038. „ Iterum „ ab Oriente Jaroslaus Dux Rusiæ invasit Poloniam, bellis „ plurimum attritam, & oram Mazoviæ, igne, cæde & spoliis „ depopulatus, cum magna præda hominum utriusque sexus, „ in Rusiam libere rediit „. Denique quum Casimirum cap. XIV. anno 1058. decessisse narrasset, subjicit cap. XV. de Jaroslao: „ Jaroslaus Russorum Monarcha ad augendum gloriam & divitias, misit filium suum natu majorem Vvladimirum cum exercitu navali in Constantinopolim: confractisque „ navibus tempestate exorta, vix aridam attigerunt, ubi pedes „ in patriam redeuntes, lacessiti, & continuo a militibus Imperatoris Græcorum persecuti sunt, donec prælio inito Græcos in fugam converterunt, sicque in pace Rusiam attigerunt. Ista refert historia Rusitarum. Sigebertus vero prodit in Chronica, quod Russorum Rex sciens Græcos occupatos bello contra Saracenos, & custodia insularum, misit mille naves vel plures ad Constantinopolim. Præsentiens autem „ Imperator Græcorum Romanus, milites contra eos misit, „ qui pice Græca & flammis in naves Russorum injectis, plurimos

„ rimos submerserunt, alios captos decapitarunt, pauxilli admodum fuga salvi evaserunt. Non dixit Sigebertus tempestate, sed expugnatione militum Græcorum fractos. Sentiens sese Jaroslaus gravatum & senio confectum, hortatus est filios suos, ut quilibet sorte sua esset contentus, quam hoc modo divisit: Saslao natu majori Kiow: Svantoslao Czirnieiow: Vvsevoldo Pereaslaw: Gregorio Vvladimiriam: & Veczeslao Smolensko. Post hoc moritur Jaroslaus septima Novembris, an. ætatis suæ 76. sepultus in Ecclesia Divæ Sophiæ, quam ædificaverat in Kiow. Citoque post eum mortui sunt bini filii ejus, Veczeslaus Dux de Smolensko, & Gregorius Uladimiriensis.

XXVII. Nomina filiorum Uladimiri ex Cromero, Ditmaro, Herbersteinio, Culcinio, & aliis. Svatopolchi & Jaroslai bella.

Mira est hic circa Russiæ Principum genealogiam resque gestas Scriptorum varietas. Miechovium hactenus audivimus. Nunc Cromeri est recitanda narratio, simulque cum Russicis auctoribus conferenda. Sic igitur scribit lib. 3. cap. 3. de Boleslao I. Chrabry dicto, Poloniæ Rege. „ Deinde anno Chr. 1008., quemadmodum Dlugosso placet, Russicum bellum eum excepit, majore apparatu, ac prolixius, sed non minus prospero eventu gestum. Russiæ Principatum amplissimum Vvolodimirus vivens inter XII. filios partitus erat; & *Vvisseslao* natu maximo Novogrodum: *Isaslao* Pultuscum (nisi forte Poloscum legendum est) *Stopolco* Turoviam, nescio an Tuveram potius: *Jaromiro* (*a*) Rostoviam: nec multo post, quum Vvisseslaus obiisset, translato Novogrodum Jaroslao, Rostoviam *Barislo*. (*b*) *Glebo* Muromum: *Stoslao* Derevos: *Vvsievolodo* Vulodimiriam: *Mescislao* Torocanum: *Stanislao* Smolenscum: Plescoviam *Sudislao*: Volyniam *Posuisdo* attribuerat. Verùm ii partitione paterna non contenti, post (*c*) mortem patris, mutuo inter se Principatus invadebant, bellumque civile concitabant: Ex his Stopolcus, sive Sventopelkus, qui cognita morte patris, Kioviam occuparat, duobus fratribus Glebo & Borislo, quos Russi in divorum numerum postea retulerunt, dolo occisis, ab Jaroslao tertio fratre, cæsorum „ ne-

a Leg. *Jaroslao*.
b Leg. *Boriso*, seu *Borislao*.
c Supra dixit Miechovius, Jaroslaum adhuc vivente patre, forte sua non contentum, Kioviam occupasse: atque exinde bellum inter ipsum, & Borisum fratrem cœpisse.

„ necem ulciſcente, ſuperatus, & Kiovienſi Principatu ejectus, in Poloniam ad Boleslaum Regem confugit. Ejus rogatu ſuſcepit impigre Boleslaus expeditionem adverſus Ruſſos, cum ut exulem ſupplicem reduceret, tum ut ea quæ pater ſuus Miecislaus amiſerat, recuperaret, & Regni ſuſfines cum gloria longius proferret.

Antequam ulterius progrediar, illud animadvertendum cenſeo, *Svatopolcum* ab Herberſteinio dici *ex Græca Uladimiri uxore natum*: Nimirum, ex *Anna*, ut puto, Imperatorum Baſilii & Conſtantini ſorore. At vero Culcinius & Papebrochius a nobis mox laudandi, *Jaroſlaum Uladimiri & Annæ* filium aſſerunt. Sed quum qui Annam matrem habuit, mortuo patre, ſummum Ruſſorum Principatum ambiiſſe legatur, quumque ab altero fratre ſuperatus, ad Boleſlaum Poloniæ Principem Svatopolcus, non Jaroslaus confugerit, argumento eſt, eundem Svatopolcum, & tamquam Annæ omnium Uladimiri uxorum nobiliſſimæ filium, Regnum Ruſſicum ſibi potius, quam reliquis fratribus, qui ignobiliores matres nacti erant, debitum exiſtimaſſe; & tamquam affinitate cum Rege Polonorum conjunctum (filiam quippe Boleſlai, Ditmaro teſte, uxorem duxerat:) ad hunc potius, quam ad alios finitimos Principes confugiſſe.

Jam vero ad *filios Uladimiri* quod attinet, & numerus, & nomina, & ditiones eorum, aliter apud alios ſcriptores referuntur. *Tres* filios habuiſſe Uladimirum, Ditmarus ſcribit, cujus verba ſupra recitavi. *Novem* filios enumerat Herberſteinius, *Iſoslavum* ſcilicet, *Jeroslaum*, *Serwoldum*, *Svetopolcum*, *Saslaum*, *Swatoslaum*, *Stanislaum*, *Boris*, *& Chleb.* duas præterea *filias*. Præter *Novem*, juniores alios ait fuiſſe Uladimiri filios Miechovius, *Vislaum*, nempe, *Iſoslaum*, *Svatopolcum*, *Jaroſlaum*, *Boriſzum*, *Hlebum*, *Svatoslaum*, *Vvſewoldum*, *Mſcislaum*, *ceteros Juniores*. Cromerus, præter duas filias, quarum unam *Prædislavam* vocat, filios XII. recenſet: nimirum, *Viſſeslaum*, *Iſaslaum*, *Stopolcum*, *Jaroslaum*, *Borislum*, *Glebam*, *Stoslaum*, *Vviſievoldum*, *Meſcislavum*, *Stanislaum*, *Sudislaum*, *& Poſuiſdum*. Culcinius in Appendice filios Uladimiri vocat, 1. *Svatopolcum*, qui *ab anno* 1008. ad 1017. regnaverit. 2. & 3. *Boriſum*, & *Hlibum*, a Svatopolco interfectos. 4. *Jaroslaum* alias *Georgium* dictum, qui ab anno

anno 1017. ad 1054. Russis Monarcha præfuerit. 5. *Brecislaum*, alias Prædislaum, Czernihoviensium Ducem. Memorat præterea in eadem Appendice, 1. *Izaslaum*, Jaroslai filium, quem ait ab anno 1054. ad 1079. imperasse. 2. *Vseslaum*, Brecislai filium, qui Izaslaum e Kioviensi principatu dejecerit, & mox ab eodem Izaslao victus fuerit. 3. *Svatoslaum*, Izaslai fratrem, qui per insidias eundem Izaslaum sustulerit. 4. *Usevolodum*, alterum Izaslai fratrem, filiumque Jaroslai, qui a patre Uladimiriensium Dux constitutus, Svatoslaum fratricidam interficiens, ducta in uxorem filia Constantini Monomachi, ab anno 1079. ad 1093. regnaverit. 5. *Svatopolcum*, hujus nominis II., Usevolodi fratrem, qui pro Uladimiro ejusdem Usevolodi filio adhuc impubere, regnum ab anno 1093. ad 1113. administraverit. 6. *Uladimirum*, hujus nominis II., *Monomachum* nuncupatum, Usevolodi filium, qui quum Regiam coronam ab Alexio Comneno Græcorum Imp. sibi per Metropolitam Ephesinum Neophytum missam accepisset, Russis præfuerit ab anno 1113. usque ad annum 1130. quo mortuo Russicum Regnum inter filios divisum. 7. *Mstislaum*, Uladimiri II. filium natu majorem ab anno 1130. ad 1132. quo vita regnoque ab juniore fratre Jaropolco privatus sit. 8. *Jaropolcum*, Uladimiri filium, qui cæso fratre *Mstislao*, ab anno 1132. regnaverit. 9. *Vvissesłaum*, alterum Uladimiri filium, fratremque Mstislai & Jaropolchi, qui ab *Igoro* & *Usevolodo* Czernihoviæ Ducibus Kiovia ejectus, iis tandem profligatis, thronum recuperavit, eumque ab anno 1138. ad 1145. tenuit. 10. *Izaslaum*, Mstislai filium, qui post duos patruos, folium adeptus, *Igorum* ac *Usevolodum* memoratos Czernihoviæ Duces, egregie repulit, regnavitque Kioviæ ab anno 1145. ad 1158. quo decessit, *Rostislao* filio Regni Russici hærede relicto. Hofmannus in Lexico Universali V. *Ruricus*, filios XII. Uladimiro attribuit: „ obiit (inquiens) Uladimirus anno 1005. (*error manifestus*) „ relictis XII. filiis; unde Russia in totidem Ducatus divisa est, „ e quibus præcipui *Novogrodensis*, *Rostoviensis*, & *Volodimiriensis*. Sed anno Chr. 1033. Jaroslaus, qui solus mansit superstes, Russiam universam iterum conjunxit: donec in V. „ Partes ea denuo discerpta est anno Chr. 1052., Ducatum „ videlicet, *Smolenscensem*, *Uladimiriensem*, *Kioviensem*,

„ *Czerni-*

„ *Czernicejovienſem*, *&* *Pereaslavienſem*: a quo tempore variis diſſidiis Ruſſia collidi cœpit. Duo autem præcipui Ducatus fuere, *Kiovienſis*, & *Uladimirienſis*, quibus qui potiebantur, ii veluti Ruſſorum Monarchæ erant; Kiovia quidem Ruſſiæ Nigræ, Uladimiria vero Ruſſiæ Albæ, ſede exiſtente „. Eadem apud eund. Hofman. in V. *Ruſſia*, & in V. *Uladimirus*. Itaque quum in recenſendis Uladimiri filiis Auctores ſecum ipſi non conveniant, aliis filios *tres*, aliis *novem*, reliquis *duodecim* enumerantibus: quumque idem ipſe Culcinius in Appendice quidem filios *quinque* eum habuiſſe dicat; in Synaxario vero *SS. Boriſii & Hlibi*, duodecim nominet, *Vviſſeslaum* nempe, *Izaslaum*, *Svatopolcum*, *Jaroslaum*, *Boriſum*, *Hlibum*, *Svatoslaum*, *Uſevolodum*, *Mſtislaum*, *Stanislaum*, *Bracislaum*, & *Sudislaum*: concludendum videtur, in numero *filiorum duodecim* Uladimiri, etiam *filios filiorum ejus*, hoceſt, *nepotes*, referri. Sic enim quos Culcinius in Synaxario Uladimiri *filios* appellat, eoſdem in Appendice *nepotes* fuiſſe aſſerit, uti paulo ſuperius dixi.

XXVIII. Boriſus, dictus Romanus, & Glebus alias David, germani fratres, Uladimiri filii, martyres. Eorum geſta & cultus apud Ruſſos. A Svatopolcho fratre interfecti.

Nunc ad reliqua *Svatopolchi*, *&* *Jaroslai* geſta pergo. Et primum ex Ruſſorum Synaxario do martyrium Sanctorum fratrum *Boriſi & Hlibi*, cujus cauſa bellum inter Jaroslaum & Svatopolcum exarſit.

Culcinius a nobis modo laudatus in *Specimine Eccleſiæ Ruthenicæ* ad diem XXIV. Julii pag. 31. „ Magnam (inquit) apud Ruſſos hi Sancti, Boriſus & Hlibus, dicti Romanus & David, habent venerationem, de quibus adeſt in meo Anthologio (*a*) Officium prolixum cum Synaxario, quod eſt tale „. Sancti & glorioſi martyres Boriſes, & Hlibus fuere filii (*b*) Uladimiri, qui Baptiſmo Ruſſiam illuſtraverat. Habuit ipſe (*c*) XII. filios, quibus „ diſtri-

a Officium de SS. Martyribus ac fratribus ſecundum carnem, Boriſo & Hlibo, dictis in Baptiſmo Romano & Davide, e Slavico ſermone Latine editum ab eodem Culcinio exſtat in Appendice ad Specimen Eccleſiæ Ruthenicæ a pag. 14. ad 28. Ibi de Svatopolco pag. 22. hæc canuntur Ode V. „ Furore ſuccenſus fratricida, ut olim Cain, infelix Svatopolcus, omnem legem confringere, & peccato invidiæ aliud gravius fratricidii adjicere non horruit, libidine dominandi ſeductus: „ ſed juſtam Dei vindictam non evitavit.

b Ex conjuge Bulgara, uti ſcribit Herberſteinius.

c XII. filios. Vide ſupra.

„ distribuit suas ditiones hoc modo. Visseslao Novogorodum. „ Izaslao Polockum. Svatopelco Turoviam. Jaroslao post obitum Visseslai Novogorodum. Boriso Rostovum. Hlibo Muromum. Svatoslao Dereva. Usevolodo Uladimiriam. Msstislao Tmucorokaniam. Stanislao Smolenscum. Bracislao Luceoriam. Sudislao Pscoviam. Vocavit vero Uladimirus Borisum Kioviam: is enim erat ipsi charior præ reliquis filiis: & quum nunciatum esset, Pecenigos invadere Russiam, lecto magno exercitu, expedivit eundem Borisum ultra Boristhenem; ipse enim infirmus jacebat, & paulo post obiit. „ Post cujus obitum Svatopelcus ingressus Kioviam, occupavit solium paternum, & repletum est iniquitate cor ejus, dixitque in se: Mactabo omnes fratres meos, & fiam Monarcha in Russia. Hæc cogitans, profectus est noctu Vvissegorodum, & convocatis suis magnatibus, Putsa, Jelovicio, & Lasco, dixit ipsis: euntes occidite fratrem meum Borisum, & eritis intimi mei familiares. Promiserunt ipsi scelus: & quum Borisus non inventis Pecenigis, ac dimisso exercitu rediens cum pauco comitatu pernoctasset ad fluvium Altam, huc venientes sicarii, hastis eum confoderunt, impositumque currui corpus, conduxerunt Vvissegorodum, & in templo divi Basilii tumulaverunt. Misit posthæc Svatopelcus nuncium ad Hlibum, dicens cum dolo: Veni absque mora: parens enim noster infirmatur: Veni autem cum parvo comitatu. Hlibus ignarus fraudis fraternæ, accinxit se itineri; & quum esset ad Volgam, ob repentinum ex equo casum læsus uno pede, conscendit currum, quo properanter vectus, quum intrasset silvam Smiadinam, exceptus fuit a sicariis, duce Horasiro, quo jubente circumdederunt currum: unus autem e famulis Hlibi, nomine Torcinus, qui erat præfectus culinæ, educto ense confodit dominum suum divum Hlibum, qui migravit ex hac vita die 5. Septembris. Corpus ejus projectum in silva inter duo ligna, luce cælitus labente, Deus revelavit pastoribus, qui nunciarunt incolis Smolenscensibus: ipsi vero venientes cum crucibus ac cereis, tulerunt reverenter sacras exuvias, & posuerunt in templo. Profligato postmodum Svatopelco, & occupata urbe Kiovia, pius Princeps Jaroslaus jussit transferre corpus „ S. Hli-

„ S. Hlibi Viſſegorodum, ubi poſitum fuit ad latus divi Boriſi. „ Utrumque vero Dominus clarificavit miraculis: morbos „ enim curant, lumine captos illuminant, claudis greſſum re- „ ſtituunt, dæmonia e corporibus obſeſſis expellunt, e carce- „ ribus vinculiſque liberant, & Principes Ruthenos prælliantes „ contra infideles precibus juvant. Utinam & nos humiles ipſo- „ rum interceſſione conſequi divinam gratiam hic, & nunc, „ ac in die judicii digni efficiamur.

XXIX. De Svatopolco & Jaroſlao, Uladimiri filiis. Bellum inter eos exortum: in quo Boleslaus Poloniæ Dux ſeſe immiſcuit. Svatopolco pulſo, Jaroslaus rerum potitur.

Hæc de Sanctis Boriſo & Chlebo a Svatopolco interfectis. Ipſius autem Svatopolchi & Jaroslai geſta, idem Culcinius in Append. pag. 111. ſic enarrat. „ Svatopolcus (a) Uladi- „ miri filius, interfectis crudeliter divis Boriſo & Hlibo fra- „ tribus ſuis, occupaverat per vim ſedem imperii Kioviam, „ quærebatque opprimere reliquos fratres, ut ſolus eſſet Ruſ- „ ſiæ Monarcha; ſed frater ejus Jaroslaus Novogorodenſium „ Dux a patre conſtitutus, pepulit invaſorem ab urbe Kiovia; „ quam tamen ipſe denuo recuperavit, vocato in auxilium „ Boleslao I. Poloniæ Rege. Jaroslaus tandem collectis e toto „ Regno viribus, adſcitiſque in ſocietatem conſanguineis „ Varagis, ejecit ac fugere coëgit impium fratricidam: qui „ profugus, quum nil impetraſſet a Polonis, abiit in Boë- „ miam, ibique interiit, tellure ſub pedibus aperta, ut fer- „ tur, abſorptus. Pulſo Svatopolco, ſopitoque bello civili, „ quod novem annis Ruſſiam afflixerat, tandem Jaroslaus „ (b) Uladimirides cœpit quiete regnare anno 1017. Poten- „ tiſſimus hic Princeps ac feliciſſimus, cum finitimis gentibus „ multa prælia commiſit, urbes non paucas fundavit; in tem- „ plis vero erigendis, privilegiis dotationibuſque Eccleſia- „ rum amplificandis, ſat ſplendidus fuit ac liberalis. Demum „ data filia ſua Anna in conjugem Henrico I. Galliarum Regi „ (ut alibi (c) dixi) celeberrimus, quum imperaſſet an- „ nis 37. obiit, magnificentiſſime ac regio cultu ſepultus.

I 2 Paulo

a Hunc regnaſſe ait ab anno 1008. ad ann. 1017.

b Hunc etiam Culcinius in Ruſſia imperaſſe ſcribit ab anno 1017. ad ann. 1054.

c In Præfat. ad Specimen Eccleſiæ Ruthenicæ Culcinius citat hæc Papebrochii verba Præfat. ad Ephemerides Græcorum figuratas: „ Ad Ruſſos quod attinet, oſtendit „ magiſter meus Godefridus Henſchenius fidem Chriſtianam primum apud ipſos prædi- „ catam, aut ſaltem ſtabilitam eſſe circa annum 990. a Michaële quodam, qui miſ- „ ſus illuc a Nicolao Chryſoberga Patriarcha Conſtantinop. vere Orthodoxo, & unio- „ nis

Paulo aliter gesta Svatopolchi & Jaroslai narrat Cromerus. Sic enim in Boleslao Poloniæ Rege pergit, expeditionem Russicam, Svatopolchi profugi rogatu, suscipiente. In- „ gressus fines Russiæ, obiter obvia quæque populatur, in- „ cendit, diripit, arcibus oppugnandis abstinet, quæ tamen „ perpaucæ munitæ erant. Nam pagis, vicis, & oppidis fere „ nulla arte munitis, Russi itidem atque Poloni, & omnes fe- „ re Septentrionales gentes, antiquitus habitant. Jamque ad „ Lucensem sive Volyniensem oram Rex infesto exercitu per- „ venerat. Ibi occurrit ei ad Bogum fluvium, quem Hipanim „ esse volunt, Jaroslaus cum expeditis suorum copiis, & ma- „ gnis Varajorum atque Pecinigorum auxiliis: quarum gen- „ tium memoria quoque jam extincta est. Prior Rex maledi- „ cto Bludi Palatini Russi Jaroslao charissimi irritatus, copias „ suas celeriter armatas fluvium trajicit, hostes subita re tu- „ multuantes & instruenda acie impeditos adortus, magna „ strage quamvis acriter repugnantes profligat, castra opulen- „ ta diripit, Jaroslaum fugientem persequitur, quem ubi suis „ diffisum, in remotiores paludes sese recepisse accepit, Kio- „ viam insignem ea tempestate urbem, cujus amplitudinem & „ splendorem ingentes ruinæ adhuc testantur, non longi tem- „ poris obsidione & fame propter infinitam hominum multitu- „ dinem, quæ undique eo confugerat, adactam, per deditio- „ nem accepit, intactamque, thesauro tantum Principis in „ donativa militum & in sumptus belli ablato, Stopolco resti- „ tuit. Distributo in hiberna exercitu, ipse Kioviæ cum par- „ vo præsidio, stabiliendi Stopolco Principatus gratia, hiema- „ re statuit. Quo explorato, Jaroslaus raptim coacto exerci- „ tu, Boleslaum securum & inopinantem opprimere conatus „ est.

„ nis cum prima Sede retinendæ studiosissimo, Uladimirum baptizavit, eique in matri- „ monium conjunxit Annam Basilii & Constantini Orthodoxorum Imperatorum soro- „ rem, ex qua natus Jaroslaus, ac imperii fideique hæres factus, genuit Annam, „ Henrico I. Galliæ Regi desponsatam anno 1051. quæ deinde, eo mortuo vidua, „ secundis nuptiis juncta fuit Rodulpho Secundo Crepiaci atque Valerii Comiti; „ testibus Sanmarthanis in historia Genealogica: tandemque hoc etiam mortuo, in „ patriam rediit, utique optime catholica, & fundata apud Silvanectum S. Vincentii „ Ecclesia memorabilis „. Circa hanc Annam Jaroslai filiam, nolo cum Papebrochio aut Henschenio contendere. At vero Jaroslaum ejus patrem, filium fuisse Annæ Basilii & Constantini Imperatorum sororis, id negat Herbersteinius, qui ex Russorum Annalibus affirmat, *Jaroslaum* ex *Rochmida* principis Plescoviensis filia natum. Vide eum supra.

„ eſt. Sed re per exploratores Regi nunciata, non modo fruſtratur, ſed magna iterum obſidione ſuperatus, Novogrodum, quæ (*a*) urbs in ditione ejus, patris inſtituto, erat, profugit. Novogrodenſes, ut erant potentes & opulenti, Ducem ſuum ulteriorem fugam, abjecta ſpe omni, meditantem recreant, confirmant, ſtipendio militibuſque ad inſtaurandum bellum juvant. Dum hæc fiunt, Kiovienſes pertæſi impendiorum, tamque diuturnæ moræ Regis apud ſe, milites Polonos nihil tale metuentes per omnem occaſionem clam excipere ac trucidare, ſive jubente, ſive connivente Stopolco. Hac injuria commotus Boleslaus, quum nihil amice monendo proficeret, in prædam dat Kioviam militibus indignantibus. Arcem receptam de poteſtate Ducis, & alia quædam loca opportuna præſidiis munit: ipſe cum reliquo exercitu, primoribus Ruſſis compluribus, atque duabus filiabus (*b*) Volodimiri Ducis in loco obſidum deductis, quarum unam Prædislavam, ut habent Annales ipſorum, per vim ſtupraverat, primo vere victor in Poloniam revertitur, quum tres columnas ferreas permagnas fixiſſet in Boriſthene ſeu Nepre, qua Zula fluvius influit, ad memoriam victoriæ ſempiternam. Diſcedentem Jaroslaus cum valido exercitu apud Novogrodum comparato, ad Bogum conſequitur: ſed tamen victorem quamvis incompoſite revertentem ac dilabentem jam exercitum adoriri non auſus, bene gerendæ rei occaſionem, clam ſubſequens, captabat. Cujus adventu ab exploratoribus cognito, Rex revocatis celeriter quos potuit militibus, pauca apud eos concionatus eſt, quibus eos fiducia ſuperiorum victoriarum ad delendas reliquias bis victi hoſtis inflammaret: ſimul periculi imminentis & ignominiæ admoneret, ſi pugnam detrectarent, aut adeo trepidarent, & cum præteritas victorias ſibi eripi, tum patriam cædibus & incendiis fædari, uxores, liberos, & parentes ſuos chariſſimos in ſervitutem & in contumeliam abripi paterentur. His dictis incenſos, & ad mortem, ſi-

„ quid

a Aliud autem hoc eſt Novogrodum in ditione Severienſi, ab illo, quod magnum vocatur: quod quidem ad occidentem ſolem & Livoniam vergens, longiſſime abeſt a Kiovia. Hæc Cromerus.

b Erant ſorores Jaroslai ex eadem matre Rochnida. Vide Herberſteinium.

„ quid durius accidat, pro patria, pro libertate, & pro gloria
„ nuper parta paratos, in hostem ducit. Ille Polonorum pau-
„ citate contempta, acriter initio manus conferit. Sed urgen-
„ tibus nostris, Regeque & imperatoris & militis officium fa-
„ ciente, pelluntur Russi. Magna in prælio, major multo in fu-
„ ga cædes editur, ita ut Bogus sanguine cæsorum rubuisse di-
„ catur. Vivi multi in potestatem venere, capta impedimen-
„ ta, relata complura signa militaria: Dux hostium, abjectis
„ Ducalibus insignibus, mutatisque equis evasit.

Hactenus Cromerus de tribus Russicis præliis, quæ Boleslaum Poloniæ Regem adversus Jaroslaum Russorum Ducem movisse asserit, consentanea quidem iis, quæ sunt supra ex Miechovio recitata; verum viderit uterque, quo hæc auctore antiquo ac fide digno, memoriæ prodiderit. Nam Russorum Annales, ut idem ipse Cromerus testatur, nullam neque secundi neque tertii hujus prælii mentionem faciunt; sed post discessum Regis e Kiovia Stopolco restituta, Jaroslaum contra Stopolcum arma resumpsisse memorant; eum vero Pecinigorum auxilium implorasse; commissoque prælio prope eum locum, ubi Borissus interfectus erat, totum diem dubio marte dimicatum esse; ad extremum, Stopolcum victum, in Poloniam profugisse, & in solitudine quadam inter Poloniam & Bohemiam hiatu terræ haustum periisse. Quæ tamen quum Cromerus refellere non sit ausus, ea etiam post tertiam victoriam, & posteaquam Boleslaus Rex Russia excessit, accidere potuisse affirmat. Quodsi hoc quoque Cromero concedatur, non igitur Kiovia a Boleslao recepta, aut præsidio Polonorum post ejus discessum munita, aut in potestate ejusdem mansit, quemadmodum ipse hæc, & alia multa de suo affingit. Quum enim Saxonicum & Prussicum bellum ab eodem Boleslao susceptum feliciterque confectum narrasset, quartum insuper Russicum bellum subjungit in hæc verba. „ Interim optatam pacem Jaro-
„ slaus Dux Russorum turbavit. Is enim, dum Boleslaus aliis
„ bellis, quæ modo commemoravimus, distinetur, Kioviensem Principatum, Stopolco fratre, uno, quemadmodum
„ supra indicavimus, sive duobus, secundum Dlugossum, se-
„ cundis præliis victo, & dum ad Boleslaum refugit, in itine-
„ re mortuo, denuo invaserat: Novogrodensem etiam a Præ-
„ dis-

„ dislao, Isaslai fratris filio, sibi ademtum receperat: Rededam Cosarorum Ducem singulari certamine victum interfecerat, gentemque illam tributariam sibi fecerat: & quamvis a Miecislao fratre superatus, & Kioviensi Principatu exutus esset, tamen fratris ejusdem benignitate & misericordia restitutus erat, quemadmodum a nostris memoriæ proditum est. Nam Russorum Annales hoc loco Kioviæ captæ & restitutæ nullam faciunt mentionem. Illud modo memorant: post atrox prælium inter fratres commissum, Mescislaum partitum esse cum Jaroslao Principatum Russiæ, ita ut ei quidquid cis Neprum est, concederet; ipse Severiensi ditione ultra Neprum contentus. His igitur constitutis rebus, cum fratre Jaroslaus bellum adversus Boleslaum Regem magno apparatu renovabat. Rex non rumoribus modo, sed crebris atque certis præfectorum suorum & præsidii, quod in Russia reliquerat, nunciis excitus, contra hostem cum exercitu proficiscitur. Ducebat & Jaroslaus ingentes copias, in Poloniam invasurus. Veniunt in conspectum apud Bogum amnem exercitus. Decreverat eo die Boleslaus prælio non dimicare, ob reverentiam diei Dominici, simul ut hostium copias & consilia prius cognosceret. Sed magnam in bellis vim fortuna habet, parvisque interdum momentis permagna fit rerum atque consiliorum mutatio: ut tunc accidit. Nam pugna inter paucos primum lixas & aurigas, dum adaquant equos, apud flumen, quod castra dirimebat, orta, mox pluribus utrinque concurrentibus incaluit, eminus res sagittis & jaculis, & cominus etiam ab audacioribus nonnullis in flumine gerebatur: quum Polonicus exercitus omnis celeriter armatus fluvium tranat. Committitur acre prælium: cedere loco hostes: nostri magis instare: ibi Dux hostium a suis impulsus, fuga saluti suæ consuluit. Tunc effuso cursu omnes passim ex acie diffugiunt. Magna strage cum in prælio, tum in fuga concisis atque debilitatis hostibus, Rex pacem dedit supplicibus, tributum modicum imposuit: captivos omnes, quos vel hoc, vel superiori bello ceperat, vel obsidum loco habuerat, liberaliter dimisit. Hoc bellum anno post Christum natum 1018. confectum est, ut vult Dlugossus.

Plu-

XXX.
Animadversiones ad ea quæ de Svatopolcho & Jaroslao Russis, deque Boleslao Poloniæ Duce narrantur. Jaroslai & Mescislai mors ad annum 1036. igitur Uladimiri ad an. 1015. Post Jaroslaum Russis imperat Izaslaus.

Plura hic quoque sunt animadvertenda, quæ non ab Annalibus Russorum modo, sed etiam a veritate longe abhorrere mihi videntur. In primis, Uladimirus magnus Russiæ Princeps, Jaroslai pater, non ante annum 1015. (uti supra ostendi) vitam finiit. Quæ igitur a Miechovio & Cromero Russica bella anno 1008. & sequentibus usque ad 1018. a Boleslao Poloniæ Rege pro Stopolco, & adversus Jaroslaum gesta narrantur, ea certe anno non suo referuntur. Deinde quod de *Predislao*, *Isaslai filio*, dicitur, eum scilicet Jaroslao patruo Kioviensem Principatum ademisse, quem postea Jaroslaus receperit; hoc & Russicis Annalibus adversatur, & Culcinio in Appendice sic de Izaslao Jaroslai filio scribenti: „ successit patri „ Jaroslao (anno uti perperam notat, 1054.) filius Izaslaus, „ princeps revera pius, rectus, & justus: qui tamen bello in„ testino diu fuit vexatus: nam primo Usеslaus Brecislai Czer„ nihoviensium Ducis filius, nepos vero (*a*) Izaslai, pepulit „ suum patruelem Kiovia, thronumque ejus per vim usurpa„ vit: sed collecto exercitu Izaslaus, ejecit ingratum (*b*) ne„ potem, soliumque suum recuperavit „. Non itaque *Predislaus* Isaslai filius, neque *Jaroslao* Uladimiri filio, sed *Useslaus Brecislai filius*, *Izaslao* Jaroslai filio Kioviensem Principatum ademerat. Præterea tributum Russis a Boleslao Poloniæ Rege impositum negant Annales Russorum, idque confirmare videtur continuum adversus Polonos ab Jaroslao susceptum bellum.

Postremo si Annales Græcorum cum iis, quæ supra sunt relata, conferantur, deprehendemus, tum falsum esse quod Miechovius de excursione Russorum in Byzantinam urbem sub Jaroslao ejusque filio Uladimiro facta narravit; tum etiam a vero abhorrere quæ de anno obitus ejusdem Jaroslai sive ad annum 1054. uti Culcinius existimat, sive ad annum 1058. quemadmodum Miechovius contendit, dicuntur. Cedrenus enim pag. 739. & Scylitzes fol. 102. pag. 2. ad annum mundi 6544. Christi 1036. mortem Jaroslai & Misistlai ponunt, quos *Hierostlabum* & *Noristhlabum* vocant. „ Anno (in„ quiunt)

a Leg. *Jaroslai*. Nam fratres erant Jaroslaus & Brecislaus: hujus filius Useslaus, alterius Izaslaus.

b Imo, patruelem. Vide not. superior.

„ quiunt) ab origine mundi 6544. Indictione quarta, verno „ tempore, Patzinacæ ter impressionem fecerunt in Romanam ditionem, obviis omnibus excisis, & quoscumque cepissent, nullius habita ætatis ratione, interfectis, ineffabilibus cruciatibus in captivos debacchati. Vivos quoque cepere quinque ductores, Joannem Dermocaitem, Bardam Petzem, Leonem Chalcotubam, Constantinum Pterotum, & Michaëlem Strabotricharem. Mortui sunt etiam Principes Russorum, Νοσίσθλαβος, (a) Nosisthlabus, & Ἱερόσθλαβος Jerosthlabus. Et Serbia, quæ morte Romani Imperatoris jugum excusserat, rursus Imperio conjuncta est „. Post Nosisthlabi & Jerosthlabi mortem, statim subjicitur apud Scylitzem: καὶ ἄρχειν προεκρίθη τῶν Ῥῶς συγγενὴς τῶν τελευτησάντων Ζυνίσθλαβος „ & delectus fuit, qui ipsis Russis imperaret, mortuorum consanguineus Zynisthlabus „. Ubi Latinus interpres pro, *consanguineus mortuorum*, perperam reddit, *Angemes mortuorum*, nimirum vocem συγγενὴς, depravate vertendo *Angemes*. Nullum igitur dubium, quin *Jerosthlabus* & *Nesisthlabus*, iidem sint, ac *Jaroslaus* & *Mescislaus*, quibus anno Christi 1036. defunctis, successerit in Russorum Monarchia *Zynisthlabus*, idest, *Izaslavus*: ita enim solent Græci Russica nomina proferre, sicuti pro *Svatoslao* Uladimiri patre, supra dixerunt, *Sphendosthlabus*.

XXXI. Uladimiri, & Jaroslai, constitutiones a Basilio confirmatæ. Metropolitæ Kiovienses, post Michaelem & Leontium, *Theopemptus* & *Hilarion*: quorum ætas a Culcinio tradita emendatur. Ante Cerularianum Schisma constat vixisse Jaroslaum Ducem, & antedictos Metropolitas.

Hinc Græcorum scriptorum testimonio corruit Chronologia Episcoporum Metropolitanorum Russiæ, qui post Michaëlem & Leontium, sub Jaroslai Principatu sedisse apud Culcinium in Specimine Ecclesiæ Ruthenicæ Par. 3. pag. 111. dicuntur. Verba Culcinii refero. 111. „ Theopemptus e Græcia oriundus, Kioviensem Ecclesiam regere cœpit ann. 1033. „ qui teste Stricovio lib. 5. cap. 2. duo insignia templa in urbe „ Kiovia, alterum Divæ Sophiæ sacrum, alterum sub titulo „ Annunciationis B. Virginis, a Jaroslao Uladimiride erectum, „ solemni ritu consecravit. IV. Hilarion genere Ruthenus „ creatus est Primas Russiæ hoc modo. Theopempto vivis „ erepto, pervenit fama in Russiam, renovari a *Michaele* Cerulario in Græcia Photianum execrabile schisma: quod, & „ cu-

a Scylitz. Νεσίσθλαβος Nesisthlabus.

„ cujus auctorem detestantes Prælati Rutheni, non miserunt „ Constantinopolim pro impetranda Bulla; sed convenientes „ Kioviam, annuente magno Duce Jaroslao Uladimiride, in „ Templo S. Sophiæ Hilarionem in Metropolitam anno 1051. „ elegerunt ac consecrarunt. Laudatur hic Archipræsul a Scri- „ ptoribus, quod a juventute Institutum Monasticum professus, „ in Berestoniensi crypta, propriis manibus elaborata, diu ac „ sancte vixerit „. Idem Culcinius in Appendice pag. 32. e Slavico sermone in Latinum convertisse se asserit „ Constitu- „ tionem magni Ducis Jaroslai Uladimiridis, de causis ad Me- „ tropolitam spectantibus. *Initium*. Ecce ego magnus Dux „ Jaroslaus filius Uladimiri, juxta præceptum patris mei, ini- „ to consilio cum Metropolita Hilarione, transcripsimus Græ- „ cum (*a*) Nomocanonem, & quas causas non licet judicare „ Principi ac Magnatibus, eas dedimus judicandas Metropoli- „ tæ & Episcopis, juxta præscripta Canonum & Nomocano- „ nis, in omnibus civitatibus & in cunctis nostris ditionibus „. Continet articulos xx. qui apud eundem Culcinium legi possunt. Hæc Jaroslai Constitutio unacum antecedente patris ejus Uladimiri, confirmata fuit a Basilio (*b*) Demetrii filio, magno Russiæ Duce, quemadmodum apparet ex hac ipsius Basilii Constitutione apud eund. Culcin. pag. 35. „ Ecce ego magnus „ Dux

a Nomocanonem Græcum & Uladimirus & Jaroslaus laudant, eumque in Slavicum sermonem se vertisse testantur. „ Primus, quod sciam (verba hæc sunt Cavei in „ hist. liter. dissert. 2. de libris & officiis Ecclesiasticis Græcorum): Primus quod „ sciam, qui talem Nomocanonem nobis dedit, fuit Joannes Scholasticus, anno 564. „ Patriarcha CP. factus. Cujus Nomocanonem in L. Titulos distributum, Gr. Lat. „ ediderunt Justellus & Voellus Biblioth. Juris Canon. Tom. 2. pag. 603. Post Joan- „ nem, Nomocanonem in xiv. Titulos dispertitum contexuit Photius . . . . Hunc „ Balsamonis commentariis illustratum ex Cod. Palat. primus edidit Christophorus „ Justellus tum Græce tum Latine Parisiis 1615. 4. Cetera. Sed quoniam, ut ibid. observat Caveus, *Nomocanon* quandoque apud Græcos pro libro Pœnitentiali usurpatur, hinc *Nomocanon*, & *Canon*, liber Pœnitentialis est, in quo peccantium ἐπιτίμια constituta sunt, & Sacerdotes dicuntur pœnitentes Κανονίζειν, quum peccata ipsorum ad Canonum rigorem examinant, pœnamque Canonibus præscriptam iis imponunt, quo sensu Κανονικὸν τοῦ ἁγίου Ἰωάννου τοῦ Νηστευτοῦ hoc est, Nomocanon Joannis Jejunatoris, Patriarchæ CP. inscribitur. Hunc Nomocanonem potius, quam Joannis Scholastici, aut Photii, respexisse videntur Uladimirus & Jaroslaus Russiæ Principes, dum in suis Constitutionibus pœnas pro delictis decernunt: aut, si mavis, utrumque Nomocanonem; *juxta præscripta* (ut inquit Jaroslaus) *Canonum, & Nomocanonis*, idest, *Canonum* Ecclesiasticorum, tum Apostolicorum, tum Conciliorum particularium & generalium; & *Nomocanonis* de pœnis, quæ peccatis præscribuntur.

b Basilius iste Demetrii filius in Russia regnavit ab anno Chr. 1390. ad ann. 1425. Vid. Culcin. pag. 122.

„ Dux Basilius Demetrii filius, sedens cum patre meo Cypria- „ nō Metropolita Kioviensi & totius Russiæ, confirmavimus „ antiquum Nomocanonem de judiciis Ecclesiasticis, prout „ decreverunt majores mei, sanctus Princeps Uladimirus, & „ filius ejus magnus Dux totius Russiæ Jaroslaus. Volumus „ itaque ac in perpetuum statuimus, ut omnia jura ac privile- „ gia Ecclesiæ Metropolitanæ, & aliarum eidem subjectarum „ serventur juxta leges pristinas inviolabiliter, non obstanti- „ bus quibuscumque, & maneant firma ac immobilia, prout „ eadem prædicti Divi & Magni Principes tradiderunt ac cor- „ roboraverunt „. Laudandi sane Russi, qui suos majores fidem catholicam puram, illibatam, & a schismate immunem sub Uladimiro a Græcis accepisse affirmant: neque enim aliter fieri potuit, quum, regnante Uladimiro, Ecclesia Constantinopolitana esset ejusdem cum Romana fidei: Nimirum jampridem extincto Photiano schismate, & Cerulariano nondum exorto: Michaël quippe Cerularius, qui Photianum schisma apud Græcos instauravit, die 25. Martii (*a*) anno 1043. post Alexii obitum, Byzantinus Patriarcha inauguratus, in festo S. Michaëlis, quod Græci die 8. Junii celebrant, anno 1059. depositus fuit; (*b*) vitamque cum morte commutavit, substituto in ejus locum Constantino Lichude. Proinde Pagius ad ann. 1058. num. XI. de Cerulario schismatis auctore, deque recta Russorum fide vere pronunciat: „ Is tamen (Michaël „ scil. Cerularius) schismatis auctor, quod post tot secula „ perdurat. Neque enim Photius, vir in rebus Theologicis

 „ ver-

a Cedren. edit. Reg. pag. 758.

b Scylitzes edit. Reg. pag. 808. Quare quum Archangelorum dies festus advenisset, egreditur Patriarcha (*Michael Cerularius*) ad Suburbana loca, ut ibi studiose ac solenni ritu, quæ ad diem festum pertinerent, perageret. Imperator autem (*Isaacus Comnenus*) ut lucro sibi oblata occasione arrepta, veritus nequis tumultus aut perturbatio fieret, turmam militum misit, qui communi lingua appellantur Barangi, qui ipsum non sine ignominia e Throno correptum, ac mulo impositum, usque ad litus quod est in Blachernis impellentes deduxerunt & ipsum & patrueles ejus: atque inde lembo impositum, ad Proconesam, ut exularet, perducendum curant. Ipse cum aliquibus Metropolitis collocutus, & de ipso abdicando spectatissimis ipsorum electis, eorum opera nunciat, ut Archiepiscopatum deponat, priusquam ipsum cum dedecore amittat, iisque quæ contra ipsum decreta erant, expositis & propalatis Synodo & Concilio. Sed quum ipsis visus esset ejusmodi, qui expugnari & deprimi non posset, quantum ad ipsum attinebat, desperata fuit depositio sacerdotii, de qua Imperatore assidue cogitante, interea vitam cum morte Patriarcha tranquille commutat. Vide Pagium ad ann. 1058. num. XI.

„ verſatus, Græcæ & Latinæ Eccleſiarum ſciſſuræ auctor dici „ poteſt; quum Joannis VIII. indulgentia, Eccleſiæ Romanæ „ reconciliatus fuerit, & in Romanis tabulis varia Græcorum „ nomine legantur, qui poſt Photii mortem floruere. Quo „ fundamento innixi ſupra diximus, Wolodimirum Ruſſiæ „ Regem à Ruſsis ante hæc tempora cultum, tuto a Latinis „ ſanctum haberi poſſe, quod & de Simeone Metaphraſte, „ aliiſque non paucis pariter dicendum „. Verum, quum Jaroslaus, (uti Græci Scriptores teſtantur) anno Chr. 1036. deceſſerit, Hilarionis & Theopempti Metropolitanorum inauguratio conſequenter eſt retrahenda, illius quidem ante annum 1033., Hilarionis autem ante annum 1036., ut nimirum vera eſſe poſsint quæ Jaroslaus in ſua Conſtitutione dicit, ſe conſilio inito cum Metropolita Hilarione Græcum canonem tranſcripſiſſe: Adeoque locum non eſſe ei Culcinianæ Adnotationi circa ejuſdem Hilarionis inaugurationem: quod „ Theo„ pempto vivis erepto, pervenit fama in Ruſsiam renovari a „ Cerulario in Græcia Photianum execrabile ſchiſma: quod, „ & cujus auctorem deteſtantes Prælati Rutheni, non miſe„ runt Conſtantinopolim pro impetranda Bulla, ſed conve„ nientes Kioviam, annuente magno Duce Jaroslao Uladimi„ ride, in Templo S. Sophiæ Hilarionem in Metropolitam an„ no 1051. elegerunt ac conſecrarunt „. Jaroslaus quippe quum ſit mortuus anno 1036. quumque is eligendum Hilarionem curaverit, id totum peractum fuerit oportet, antequam Michaël Cerularius ad Patriarchatum evectus fuiſſet, quem Patriarchatum non ante annum 1043. aſſequutus eſt, uti modo dicebam.

XXXII. Res Byzantinæ ab anno 1025. ad 1036.

Jaroslao in Ruſsia regnante, Imperium Orientis poſt *Baſilium* Porphyrogenitum, Bulgaroctonum appellatum, anno, ut ſupra dixi, exeunte 1025. defunctum, *Conſtantinus* ipſius frater adminiſtravit uſque ad 9. Nov. anni 1028. quo *Romanum* (*a*) *Argyrum*, data ei Zoë una ex tribus ipſius Conſtantini

a Cedrenus pag. 722. „ Romanus in Palatium adducitur, daturque ei optio, „ ut vel oculos ſibi erui patiatur; vel dimiſſa ſua legitima uxore, filiam Imperatoris „ ducat, ac Cæſar deſignetur. Hæſitante eo, uxor marito metuens, ultro comam „ poſuit, ac ſeculo renunciavit: utroque & oculos ſervavit, & Imperium paravit „. Non mirum igitur, a Ruſſis Principibus Græcanicum hujuſmodi abuſum uxores dimittendi, fuiſſe uſurpatum.

fini filiabus uxore, succesforem sibi designans, triduo post decessit. Romano vero die XI. Apr. 1034. veneno a Zoë conjuge extincto, succedit *Michael* Καταλάκτης (*a*) *Paphlago* in thorum non minus quam in Imperium. Michaëlem denique Monachi habitum induentem, & paulo post 10. Decemb. 1041. mortuum excipit *Michael Calaphates*, Paphlagonis sororis filius, a Zoe adoptatus, sed quam mox cum Joanne Paphlagonis fratre exauctoravit; Calaphati autem post effossos oculos die 21. Apr. 1042. exauctorato, inque Monasterium detruso, substituitur *Constantinus Monomachus* die XI. Junii adminiculo Zoës, quam (*b*) deinde duxit: Imperavit autem Monomachus usque ad annum 1054. quo vitam cum morte commutavit.

Sub Constantino Porphyrogenito hæc gesta narrant Cedrenus ac Scylitzes. „ Antiochiæ (*c*) Ducem fecit Spondylem „ quemdam Eunuchum, & Iberiæ Nicetam e Pisidia oriun- „ dum,

a Catalactus, pro, Catalepticus. Vide Cangium in Familia Basilii Macedonis cap. 19. pag. 145. edit. Reg.

b Cedren. pag. 753. Adducto (Constantino Monomacho) Zoe Augusta nupsit, consecrante matrimonium primo novæ Romæ Presbytero, cui Stypes erat nomen, die Junii XI. anni ejus quem supra indicavimus (In Græc. textu, anni 6550. h. e. Chr. 1042.) Postridie coronatus est a Patriarcha. At Pagius ex Michaele Psello ad ann. 1042. num. 5. de Constantino Monomacho ait: „ Postquam priorem uxorem „ morte amiserat, ad secundas nuptias transiit, duxitque sororis illius Pulcheriæ „ filiam, quæ quondam Basilio Sclero nupta, unicæ prolis filiæque parens extiterat. „ Quare quod communibus ex conjugii ratione abutentium legibus erat, earum „ formidine absterretur Patriarcha Alexius. Atque is quidem tempori indulget (dicam & Deo) quæcumque velit: ipsi tamen etiam corollis susceptis haud manus „ imponit: nuptiis vero copulatos ac corollis donatos salutat ac recipit. Notat „ autem Cedrenus Matrimonium die XI. Junii, currentis scilicet anni peractum, & „ postridie Constantinum a Patriarcha coronatum esse „. Hactenus Pagius: qui tamen allucinatur, confundens primum Monomachi conjugium cum secundo: nam die XI. Junii, quo & Augustus creatus fuit, Zoen conjugem duxit, uti scribit Cedrenus; non autem sororis Pulcheriæ filiam Basilio Sclero quondam nuptam, quemadmodum autumat Pagius. Quinimo Scleræna illa, si Cangio fides est adjungenda, concubina fuit, non uxor. Sic enim Cangius in Famil. Byzant. cap. 19. pag. 145. „ Is postea „ concubinam Scleræнam palam in Palatium induxit, Augustam appellavit, & me- „ dius inter illam & Zoen sedens, in publicum processit.

c *Excursus de Rebus Antiochenis & Hierosolymitanis*. Parcat benignus Lector, si de rebus Antiochenis & Hierosolymitanis, (nostris scilicet) longiorem hanc Adnotationem apponere coacti sumus, ut Chronographi Virdunensis oscitantiam coarguamus. Antiochia anno Chr. 969. sub Nicephoro Phoca Imp. Saracenis erepta in potestatem Græcorum venit. Cedren. 656. & seqq. Cum Saraceni Antiochiæ degentes Christophorum Patriarcham interiecissent, & Hierosolymitani Joannem Archiepiscopum vivum combussissent, & pulcherrimum Templum Dominici Sepulcri incendissent. Idem pag. 661. Joannes Zimisces Imperio potitus, in locum Christophori anno

,, dum; utrumque malitiæ infamis. Hi tumultibus omnia & ,, confusione implentes, everterunt propemodum Imperium, ,, quod jam inde a Romano hujus (*Constantini*) patre, sce- ,, ptrum ordine gerentibus Nicephoro, Tzimisca & Basilio, ,, floruerat.... Nicephorum Comnenum, virum prudentem ,, ac

---

anno 970. Theodorum Patriarcham Anthiochiæ instituit. Idem pag. 665. Saraceni conflato centum millium exercitu, Duce Zuchare obsident Antiochiam, sed ab exercitu Græcorum, cui supremus Dux præerat Nicolaus Patricius, una pugna dissipati sunt. Idem p. 666. Basilius Porphyrogenitus primo imperii sui anno hoc est Chr. 976. Michaëlem Burzam, ad Magistri evectum dignitatem Ducem Antiochiæ ad Orontem sitæ constituit. Idem pag. 685. Basilius Imp. rebellione Bardæ Phocæ compressa, cum Sclero anno 989. reconciliatus, rebus in Iberia compositis, in Phœniciam pergit, ibique Tripoli, Damasci, Tyri, Berytique Ameras (nam hi paulo ante ipso civili contra Phocam bello detento, inito fœdere, contra Antiochiam arma tulerant, & Damianum Patricium ejus urbis præfectum pugna congressum interfecerant, urbique haud exiguum periculum objecerant) coëgit Romanis parere, & quantum ejus fieri poterat, rebus istis in tutum redactis, acceptis etiam obsidibus, redit Byzantium. Idem pag. 701. Anno 1001. Numeritæ, & Ataphitæ Arabes quum Cœlesyriam, ipsamque etiam Antiochiam graviter vexarent incursionibus, Magistrum Nicephorum Uranum Imperator Basilius Prætorem Antiochiæ mittit, succedere ei in præturam Thessalonicæ jusso Patricio Davide Arianita, & Philippopolis præturam ob gravem ætatem resignante Theodorocano, eam Nicephoro Protospathario Xiphiæ mandat. Uranus ut Antiochiam venit, duobus aut tribus præliis Cisirinitam Arabum Ducem contudit, facileque persuasit, ut is porro quiesceret, omniaque reddidit pacatissima. Idem pag. 705. Indict. VIII. anno mundi 6518. (*Chr.* 1010.) Ægypti princeps Azizius ob levem causam, & offensas ne relatu quidem dignas, fœdere quod ei cum Romanis erat, rupto, & Templum Hierosolymis ad Sepulcrum Christi sumptuosissime conditum evertit, & religiosa perdidit monasteria. Idem pag. 706. Post mortem Basilii Constantinus frater Imperio potitus, anno 1026. Antiochiæ Ducem fecit Spondylem. Idem pag. 720. Romano Argyro anno 1028. mense Novembri Imperium adepto, ultima Octobris die ann. 1029. classis Romana haud exiguam passa est cladem, Antiochiæ prætore Michaële Spondyla. Is a quodam Arabe Musarapho deceptus, castello Menico extructo ipsum Musaraphum præfecit, mille Romanis præsidii loco impositis. At Musaraphus cum Amera Tripolis & Tusbeto summo Ægyptii principis Duce re composita, missum ab iis exercitum in castellum admisit, Romanoque præsidio cæso, ipsi tradidit. Romanus ergo Imperator Spondyle loco moto, successorem mittit Constantinum Carantenum sororis suæ maritum, & ipse eum sequitur, atque ad bellum Saracenis inferendum sese comparat: infelici tamen eventu, Leone Chœrosphacta patricio, excubit cum Duce, a Saracenis Chalepensibus intercepto. ejusque cohorte dissipata, & Constantino Dalasseno turpiter fugam in castra arripiente. Ergo die X. Augusti Ind XIII. anno mundi 6538. (*Chr.* 1030.) omnibus portis castrorum apertis, Romani iter Antiochiam versus ingrediuntur. In eos castris egressos, Arabes impetum faciunt, quem nemo sustinuit, sed fugam fecere periculosissimam, aliis captis, aliis a se invicem conculcatis. Imperator ægre Antiochiam pervenit, fuissetque ab hoste captus, nisi Imperatorii sodales strenue pugnando se ipsumque eripuissent. Discedens autem Syria, Simeonem soceri sui Constantini ministrum creat Scholarum Domesticum; Antiochiæ Nicetam a Mithia præficit, atque his mandat, ut in recipiendo Menico castello, quod a Musarapho erat conditum, omne studium collocent, itaque incursionibus Syriam liberent. Theoctistum insuper Protospatharium in Syriam cum magno ex Romanis aliisque gentibus collecto exercitu dictatorem misit.

„ ac virtute & fortitudine inclytum, qui Aſpracaniæ præfectus „ finitima ſubegerat, nullam ob juſtam cauſam, ſed virtuti „ hominis invidens, majeſtatis reum fecit, ac luminibus pri- „ vavit. Is enim Nicephorus ſæpe cum vicinis in Media Sara- „ cenis congreſſus, quum videret ſuos milites hoſti turpiter „ terga

---

ſit, juſſitque eum ſe conjungere cum Pinzaracho Tripolis Amera, qui ab Ægyptio Amerumna defecerat, & ad Imperatorem Romanum ſe recipiebat. Horum adventu, Tusber perterritus, domum rediit: ſed & Muſaraphus hoſtium impreſſionem non ſuſtinens, Menico deſerto, fugit, ac deprehenſus in montibus apud Tripolim occiſus eſt. Menicum a filio fratris Muſaraphi deditum Theoctiſtus recepit, aliudque etiam caſtellum in prærupto ſitum ſaxo, nomine Argyro caſtrum. Anno mundi 6540. (*Chr.* 1031.) Indict. xv. menſe Septemb. ad Imp. Romanum venit filius Ameræ Chalepi, fœdus antiquum renovari petens, & antiquum tributum ſe perſoluturum promittens. Anno eodem Georgius Protoſpatharius Maniaces, Gudelii Maniacæ filius, præfectus urbium ad Euphratem ſitarum, Samoſatis degens, fugato Martyropolis ſeu Miepherchin Amera, Edeſſam Meſopotamiæ cepit. Vita turpiter defuncto Azizio Ægyptio, qui in Chriſtianos ſævierat, Templumque Chriſto Hieroſolymis dicatum everterat, filius ejus natus ex quadam Romana, captiva ejus, inſtaurationem liberam fecit. Ad eam rem ſuos miſit Imperator Romanus Argyrus: ſed eo morte præveoto, ſucceſſor *Michaelus* opus abſolvit. Cedrenus a pag. 724. ad pag. 731. Poſtremo, ut alia omittam quæ de Antiochiæ Ducibus apud Scriptores Byzantinos leguntur, contentus ero hoc Curopalatæ Scylitzæ teſtimonio, ubi de rebus geſtis ſub Michaële Duca vulgo Parapinaceo appellato, anno Chr. 1073. differit: „ Saronites (inquit Curopalates pag. 852.) Bodinum miſit Imperatori vinctum: relegatus autem „ in S. Sergii monaſterium, paulo poſt Iſaacio Comneno traditur, jam Antiochiæ „ Duci declarato, & productus eſt in Antiochiam „. Itaque ex dictis perſpicue apparet, Antiochiam urbem Saracenis ereptam anno 969., in Græcorum poteſtate manſiſſe ſaltem uſque ad annum 1073. & Templum Hieroſolymitanum S. Sepulcri anno Chr. 1010. ſive 1009 ab Azizio, ſive potius ab Hakemo Azizii filio everſum (Vide Ademarum apud Pagium ad annum 1009. a num. 4. ad 6.) nonniſi anno 1031. permiſſu ejuſdem Hakemi a Romano Argyro inſtaurari cœptum fuiſſe, & opus a Michaële Romani ſucceſſore abſolutum, uti Baronius & Pagius ex Cedreno & Curopalata narrant. Quæ quum ita ſint, ſuſpectæ fidei videtur narratio *Chronographi Virdunenſis*, qui de *Richardi Virdunenſis Abbatis*, *Gratia-Dei* nuncupati, *peregrinatione Hieroſolymitana* apud Pagium ad annum 1027. a num. 8. hæc habet: „ Venit ergo Antiochiam „ ubi quum eum itineris neceſſitas aliquot diebus remorari coëgiſſet, vir Dei Simeon, „ qui nunc Trevirenſem Eccleſiam corpore & virtutibus adornat, in amicitiis ei „ junctus eſt. Et fratribus qui erant cum eo, adoptans ſibi illum in patrem. *& poſt* „ *pauca*. Nitebatur (Leg. mittebatur) autem iſdem B. Simeon a fratribus Monaſterii „ montis Synn (*Leg. Sinai*) pro Eleemoſyna, quæ de terra Richardi Comitis Norman- „ niæ Monaſterio eidem debebatur „. Et paucis interpoſitis „. Jam vero ubi ad ur- „ bem (ſcilicet Antiochiam) (Hæc nota eſt Pagii.) veniſſet, ante murum urbis „ pſallebat Salvatori ſuo, & Miſſarum ſolemnia ibidem celebrabat, Paganis deſu- „ per ſaxa jacientibus, ut capiti ejus illiderent. *& poſt pauca*: optatæ itaque (Poſtquam ſcil. Conſtantinopolim adiiſſet, ubi honorifice ab Imp. exceptus dicitur, & cum bona gratia dimiſſus, ut Hieroſolymam peteret) viæ dimiſſus cum gratia, per multi- „ moda pericula apprehendit Hieroſolymæ loca deſiderata... Occurrit autem ei ve- „ nienti Patriarcha Hieroſolymitanus: audierat enim famam ejus omnium ore cele- „ bratam: & conſalutati mutuo, dato pacis oſculo lætati ſunt in Domino.... Intro- „ ductus igitur in ſanctam Sion, Miſſarum ſolemnia celebravit, adſtante Pontifice & „ Cle-

„ terga objicere, exprobrando eis mollitiem, hortandoque,
„ ne fuga turpi, sed fortiter pugnando se tuerentur, ad forti-
„ tudinem excitavit: quumque ab iis etiam jurejurando sibi
„ promitti posceret, cum ipso ad mortem usque se in hostem
„ pugnaturos, scripto libello ad hoc se obligavere: in quo
„ dirissi-

„ Clero, & sic locum sanctum Sepulcri Domini cordis affectu revisens, omnem-
„ que locum sanctum pia devotione perlustrans, quum se desiderio satisfecisse crederet,
„ iterum æstuantem devota sollicitudine satiabat animum . . . Quid multa? Venit dies
„ sancti Sabbati, quo expectabatur Ignis a Domino, & Gentiles armati, Christianis
„ intro inclusis, & beneplacitam voluntatem Domini de Igne suscipiendo, præsto-
„ lantibus, totam obseravetant ECCLESIAM, ut si Ignis non adveniret, omnes
„ gladio perimerentur: quum ecce hora circiter nona omnibus orantibus, in una lam-
„ pade Ignis accensus est a Domino, nullius mortalium suffragante adminiculo: & Gen-
„ tiles omnes stupor apprehendit & pavor, Christianos vero gaudium & exultatio:
„ ut ab omnibus tota certatim caneretur Ecclesia: Magnus Dominus noster, & ma-
„ gna virtus ejus, & sapientiæ ejus non est numerus. Illico vir beatus sacris indutus
„ vestibus, Missa inchoata, Kyrie eleison solemne, elata in excelsum voce pronun-
„ ciavit . . . Sed jam quid moramur redeuntem? reddamus patrem filiis, ut gratulen-
„ tur in invicem, & pro absentiæ tædio, quod perpessi sunt, ipsi sibi sint consola-
„ tio. Non autem prætermittamus Antiochiam Sancti Simeonis præsentia claram. Ibi
„ enim invenit pater amantissimum filium, ibi recepit filius patrem charissimum, ibi
„ socii socium, frater fratrem, comites agnoverunt comitem . . . Delectatus igitur
„ uterque comparis præsentia, delegerunt simul Virdunum redire, ut quod supererat
„ temporis, simul explerent in exercitio spiritualis Philosophiæ. Venientes autem
„ ad civitatem Bellegradam, quæ est in confinio Bulgarorum & Hungarorum, a ci-
„ vitatis infelicissimo Principe prohibitus est cum eis transire: & ita lugens & do-
„ lens, divisus est a patre & fratribus lugentibus & dolentibus. Domnus Simeon
„ per multa pericula ivit Rotomagum pro implenda obedientia: Pater Richardus
„ Gratia-Dei longo & vario itineris labore redditus est finibus Galliæ Belgicæ „.
Agit de S. Simeone Syracusano Pagius ad annos 1027. 1029. 1033. 1037. ostendit-
que, eum natum in civitate Syracusana, Constantinopolim sacris literis imbuen-
dum missum, Hierosolymam devotionis causa venisse, indeque post aliquot annos ad
radices montis Sinai successisse, tandemque Antiochiam, unde in Franciam, Trevi-
rosque profectum, cum Poppone Archiepiscopo Trevirensi Hierosolymam ivisse,
cumque eodem Treviros rediisse, & in quadam turri apud Treviros inclusum usque
ad mortem vixisse; mortuum autem fuisse anno 1034. & a Benedicto IX. Rom. Pont.
anno 1042. Ind. IX. Henrici III. Conradi Regis filii anno IV. Benedicti IX. anno X.
feria quarta, XV. Kal. Decembris, in Sanctorum numerum relatum fuisse. Scripsit
ejus vitam Evervinus, seu Ebervinus Monachus, natione Germanus, & post a Ab-
bas monasterii Theologiensis seu Tolejensis, in Archiepiscopatu Trevirensi siti, qui
in comitatu fuit S. Simeonis, quando Antiochia in Belgium venit, a Surio ad diem
primum mensis Junii recitatam. Jam vero, ut ad Chronographum Virdunensem re-
deam, in primis error Typographicus est in nomine *monasterii Montis Sion*, cujus Mo-
nasterii fratres dicuntur misisse S. Simeonem pro eleemosyna, *quæ de terra Richardi
comitis Normanniæ ei monasterio* debebatur; unde pro *montis Syon*, emendavi, *montis
Sinai*: sic enim legitur in vita ejusdem S. Simeonis, Evervino auctore apud Surium:
„ Consolatione ergo accepta, Bethlehem, nativitate Christi præclaram civitatem,
„ adiit, seque in monasterium S. Mariæ admitti expetiit: quod & obtinuit. In omni
„ vero monasterii distinctione probatus, atque Diaconi officio functus, post duos
„ annos, ad aliud monasterium, quod est situm ad radices montis Sinai, in eo ścili-
„ cet

,, dirissimis sese devovebant imprecationibus, nisi fortiter in
,, pugna starent, & ad mortem usque cum Duce persevera-
,, rent. Hoc ubi rescivit Constantinus, illico magistratum
,, Comneno abrogat, reductumque Constantinopolim in judi-
,, cio conspirationis contra Imperatorem accusat: damnatoque
,, criminis, oculos eruit... Romani Scleri filio Patricio Basi-
,, lio,

,, cet loco, ubi Sanctus Moyses ardentem vidit non ardere rubum, secessit: ubi ab
,, Abbate receptus. per aliquot annos in servitio fratrum permansit. *& post pauca*.
,, Interea fratres aliquot pro necessitatibus loci in Occidentales partes directi mo-
,, riuntur. Pecunia, cujus causa fratres abierant, quæ de terra Richardi Comitis
,, Nortmannici monasterio debebatur, ab ipso diligenter conservatur; utque aliquis
,, fidelis mittatur frater, qui eam ad monasterium perferat, per legatos mandatur. Com-
,, muni consilio id negotii famulo Dei Simeoni committitur,,. Cetera. Deinde falsum
est omnino quod Chronographus Virdunensis de Antiochia scribit ,, nimirum, *ante*
,, *murum urbis* Richardo Abbate Virdunensi missarum solemnia celebrante, Paganos
,, desuper saxa jecisse, ut capiti ejus illiderent,,. Nam Antiochia, ut supra est
ostensum, ab anno 969. saltem usque ad annum 1073. in ditione Græcorum Impera-
toris manebat: Unde nulli in ea Pagani seu Saraceni, qui e mœnibus urbis saxa jacu-
larentur in Richardum Abbatem ant anno 1027. uti Pagius autumat, aut anno circi-
ter 1017. quemadmodum Brovvero visum est, qui lib. XI. Annalium Trevirensium scri-
bit, sanctum Simeonem monachum Syracusanum sub annum 1018. Treviros, ubi ul-
timos vitæ annos egit, venisse. Verior est Evervini narratio, cujus hæc sunt verba
in Vita S. Simeonis ,, Quo (*vilissimo vestimento*) indutus Simeon, per multas tribula-
,, tiones & angustias (*ex Ægypto in Syriam profectus*) Antiochiam venit; ubi a fidelibus
,, viris amanter susceptus, induitur, amplexatur, & honorifice sustentatur. In
,, brevi Patriarchæ, & ipsis Principibus habetur notissimus. Omnes enim, qui
,, eum noverant, quasi dulcissimum patrem venerabantur & diligebant. Ea tempesta-
,, te contigit, Richardum Abbatem, virum perfectis viris imitabilem, piæ devotio-
,, nis gratia, Hierosolymæ velle videre loca. Dum ergo iter per Antiochiam habe-
,, remus, ibique necessitate itineris cogente, aliquandiu moraremur, famulus Dei
,, Simeon junctus est nobis amicitia, prædictum Richardum Abbatem adoptans sibi in
,, patrem, cui quum exposuisset per ordinem, quæ sibi injuncta essent, vel quæ con-
,, tigissent, addidit, nullis periculis vel angustiis se retineri posse, quo minus Ab-
,, batis sui mandata exequatur pro viribus. Imus ergo (*Hierosolymam scilicet*) & re-
,, dimus (*Antiochiam*) eumque nobiscum paratum invenimus. Quumque in comita-
,, tu esset nostro, frequenter injuriis atque flagellis (*in itinere terrestri per Illyricum*
,, *versus Pannoniam*) afflictus, seu ovis mansuetissima, patienter tulit. Pervenien-
,, tibus autem nobis usque ad civitatem Bellegradum, quæ est in confinio Bulgarorum
,, atque Hungarorum, a civitatis infelicissimo principe (*Græco scilicet, quem Impe-*
,, *rator Constantinopolitanus urbi præfecerat*) prohibitus est nobiscum transire,,. No-
lebat enim Græcus Princeps, Græcum Monachum Simeonem, unà cum Francis in
Franciam pergere. Postremo quum Templum S. Sepulcri ab anno 1009. seu 1010.
usque ad annum 1031. funditus eversum jaceret, quumque illius Templi instauratio
Anno 1031. incepta, nonnisi sub Michaële Paphlagone, qui anno 1034. imperium
iniit, absoluta fuisset, perspicue ostenditur, fabulosum esse, quod a Chronographo
Virdunensi narratur,, de Paganis Ecclesiam S. Sepulcri obserantibus, de Igne divinitus
,, in Sabbato sancto adveniente, deque Richardo Abbate post ejus Ignis adventum, Mis-
,, sarum solemnia ibidem celebrante,,. Hæc enim omnia a Neotericis Peregrinatio-
num Hierosolymitanarum Scriptoribus literis commendata, ad ea tempora, quibus Au-
gustissimum illud Templum in ruinis jacebat, perperam sunt a quodam sciolo traducta.

„ lio, adversus Prusianum Bulgarum Magistrum ac Bucellariorum præfectum incidit contentio, ventumque est etiam ad pugnam. Qua eos discordia in Imperii majestatem impudenter deliquisse judicans, alterum in Oxiam insulam, alterum in Platen relegavit. Et paulo post Basilium delatum, quod fugam esset meditatus, excæcavit. Prusianum, quum is quoque in periculum de suis oculis venisset, missum fecit. Oculos eruit præterea Romano Curcuæ, qui sororem Prusiani in matrimonio habebat: Bogdano, Glabæ, & Gudeli. Linguam etiam præcidit Zachariæ, Bestæ Phebdati cognato, commentus eos sibi insidias struxisse. Hoc anno (*nempe* 1026.) Patzinacæ irruperunt in Bulgariam, & plurimos homines, Duces, ac cohortes occiderunt. Itaque Constantinum Diogenem Sirmii præfectum, Bulgariæ Ducem creat: qui sæpe cum iis palantibus commissa pugna eos fudit, cogitque trajecto Istro quiescere. Ea tempestate (*anno ineunte* 1028.) classis Agarenorum Cyclades insulas invasit; eam Sami prætor Georgius Theodorocanus, & Periboës Chii præfectus adorti, profligarunt, captis duodecim navibus cum ipsis vectoribus, ac reliquis dissipatis.

Romano Argyro imperante, *Prusianus Bulgarus* (*anno* 1029.) Magister delatus, ut qui, conspiratione cum Theodora Augustæ Zoës sorore inita, Imperium affectaret, in Manueli Monasterium (*a*) in custodiam datur: & ingravescente crimine, oculis privatur, & mater ejus Zoste urbe ejicitur. Et Constantinus Diogenes, cujus uxor fratre Imperatoris nata erat, Sirmii præfectus, inde transfertur, ac Thessalonicæ Dux constituitur: accusatusque ab Oresta, qui Basilii Imperatoris fuerat minister, quod defectionem moliretur, prætor ad Thracenses mittitur, ac comperto crimine vinctus in urbem adducitur, inque turrim conjicitur. Socii conjurationis, Joannes Syncellus, Eustathius Patricius, ac Dux Daphnomelus, Michaëlus Theognostus, & Samuelus, Magistri Michaëlis Burtzæ (*b*) ἔκγονοι nepotes, Georgiusque & Barasbatze, qui in monte Atho Iberorum monasterium condidit, patrueles Patricii Theudati, graviter verberati, & per viam publicam pro-

a Cedren. pag. 723.
b Lat. interpres, filii.

producti deportantur. Theodora etiam pulsa Palatio, in Petrium relegatur. Ultima Octobris die, stella ab occasu versus ortum trajicere visa est: Eademque die (*anno ut supra* 1029.) classis Romana haud exiguam est passa cladem, Antiochiæ prætore Michaële Spondyla. Hanc cladem supra narravi ex Cedreno in Adnotatione. Cæterum Imperator dum (ut acceptam in Syria cladem exsarciret) milites cogit, interim Abasgiæ Princeps Georgius ex morbo decedit. Uxor ejus, legatis ad Imperatorem donisque missis, fœderis renovationem, & filio suo Pancratio conjugem petit.. Cui assensus Imperator, fœdus firmat, Helenamque sui fratris filiam in Abasgiam nuptum mittit, & Pancratium Curopalatæ honore insignit... Anno (*a*) mundi *6539*. Ind. XIV. (*Chr.* 1031.) Prusianus pro monacho raditur, ejusque mater a Mantineo Buccellarii Monasterio in Thraciam transfertur, & Constantinus Patricius Diogenes turri eductus, monachi habitu in Studianum monasterium detruditur. Anno mundi *6540*. Ind. XV. mense Septembri (*Chr.* 1031.) Zoë Augusta post Exaltationem Crucis, subito in Petrium ivit: sororemque suam Theodoram rasam in Monacharum ordinem redegit, causata aliter finem insidiis & offensis non posse imponi. Suam quoque ex fratre neptem Romanus magna cum dote Armeniæ magnæ regulo nuptum dedit. Secundum hæc iterum in Syriam ducturus, Mesanacta venit. Ibi eo commorante, Zoæ Augustæ Theophanes Thessalonicæ Episcopus indicat, Constantinnm (*b*) Diogenem & Theodoram, re inter se composita, instituisse in Illyricum aufugere, conscio rei Metropolita Dyrrhachii, & Episcopo Peritheorii. Illico igitur arripiuntur & Episcopi, & Diogenes. Hic, quum in eum quæstio exerceretur in Palatio a Joanne Præposito, qui deinde pupillis alendis est præfectus, & fratre Michaëlis ejus, qui deinde Imperator fuit, seipsum de muro præcipitem dedit, confractaque cervice, eo abjectus est, quo solebant qui sibi ipsis mortem conscivissent. Episcopi ad Imperatorem Mesanacta missi, ab eoque dimissi sunt. Julii mensis 28. die (*anno* 1032.)

a Cedr. pag. 729.

b Zonaras pag. 232. Constantinus Diogenes post Imperatoris ex urbe discessum, Regnum affectans, dum in Illyricum aufugit, captus est: qui quum interrogaretur, se præcipitem dedit, morique præoptavit potius, quam vi coactus prodere conscios.

quæ fuit ſeptimanæ ſexta, hora noctis ſecunda, ſtella trajecit a meridie verſus ſeptentrionem, quæ terram totam fulgore illuſtraret. Pauloque poſt triſtes nuncii de rebus Romanis allati ſunt, Arabes in Meſopotamiam uſque ad Melitenam graſſari, Patzinacas (*a*) Iſtro tranſmiſſo Myſiam infeſtare, Saracenos graſſationibus & incendiis oras Illyrici vexandas uſque ad Corcyram perrexiſſe. Ac reliqui ſane hoſtes illæſi domum redierunt. Saraceni a Raguſinis & Nicephoro Patricio Nauplii præfecto, Caranteni filio, male ſunt multati, & prælio victi: & majorem navium partem quum amiſiſſent, domum redeuntes, naufragio in Siculo mari perierunt. Sub idem tempus (anno Chr. 1033.) Alda Georgii (*b*) Abaſgorum reguli quondam uxor, gente Alana, Imperatori ſe adjunxit: tradiditque Anacuphen arcem munitiſſimam: cujus filium Demetrium Magiſtri dignitate ornavit Imperator.

Anno mundi 6533. Indictione 3. menſe Septembri (anno Chr. 1034. Michaëlis Paphlagonis I.) ignea columna (*c*) apparuit verſus ortum, vertice ad meridiem inclinante. Per eos ipſos dies & Saraceni Myra ceperunt, & Berœenſes Chalepitæ præfectum ipſis ab Imp. miſſum expulerunt: & Pancratius Abaſgus, Romani Imperatoris, nimirum ut patrui uxoris ſuæ, ulciſcendi cauſa, pacem cum Romanis factam reſcidit, arceſque & caſtella pridem iis conceſſa recuperavit. Et Patzinacæ Iſtrum transgreſſi, univerſam Myſiam uſque Theſſalonicam populati ſunt. Et Afrorum naves Cycladibus inſulis non levia damna intulerunt. Nihil horum omnium curæ Joanni fuit, in id unum intento, ut Conſtantinum Dalaſſenum accurate cuſtodiret: ne is ſe ipſius caſſibus explicans ſubduceret. Itaque eum ab inſula Plata, in quam tertia die Auguſti, Ind. 2. anno 1034. relegatus fuerat, in turrim transfert, cuſtodibuſque ſtrenuis aſſervandum mandat. Georgium quoque Maniacem avocat Edeſſa, & præficit Mediæ ſuperiori, quæ & Aſpracania dicitur, miſſo Edeſſam Leone Lependreno. Quum autem ulcus Orphanotrophi os depaſceretur, & medici de ope ferenda deſpe-

a Zonar. pag. 232. Iis temporibus Arabes Meſopotamiam, Patzinacæ Bulgariam, & oram Illyrici maritimam Agareni.

b Cedren. pag. 732.

c Cedren. pag. 737.

ſperaſſent, per inſomnium ei viſus magnus miraculorum effector Nicolaus, monuit, ut quamprimum Myra iret, ibi ſanitatem recepturus. Celerrime igitur eo profectus, Nicolai Clericos unguentis aliiſque ſumptuoſis rebus demeritus, Metropolim Myra muro validiſsimo cinxit, morboque ſolutus rediit. Anno 1035. orto intolerabili gelu, & Iſtro glacie durato, Patzinacæ eum tranſgreſsi, Myſiam & Thraciam uſque ad Macedoniam non leviter vexarunt. Anno mundi 6544. Indict. 4. (*anno* 1036.) verno (*a*) tempore, Patzinacæ ter impreſsionem fecerunt in Romanam ditionem, obviis omnibus exciſis: & quoſcumque cepiſent, nullius habita ætatis ratione, interfectis, ineffabilibus cruciatibus in captivos debacchati. Vivos quoque cepere quinque ductores, Joannem Dermocaitam, Bardam Petzem, Joannem Chalcotubam, Conſtantinum Pterotum, & Michaëlem Strabotricatem. Mortui ſuut etiam Roſsorum Principes Noſiſthlabus & Hieroſthlabus. Et Serbia, quæ morte Romani Imperatoris jugum excuſſerat, rurſus Imperio conjuncta eſt. Amere Ægypti (*b*) Amerumna mortuo, uxor ejus Chriſtianæ religioni dedita, cum filio legatos de pace ad Imperatorem mittit: cujus is petitioni aſsentiens, triginta annorum pacem compoſuit.

Anno

a Cedren. pag. 739.

b Elmacinus hiſt. Saracen. lib. 3. pag. 260. Poſt mortem Hakemi, ſucceſſit in Regno Ægypti ejus filius Ali Abulhaſan, nuncupatus Taherus Lezaz-Dinalla, ſeu abſolute, Taherus, idque die martis, ultimo Scevali, anno Hegiræ 411. Chr. 1020. Et pag. 266. obiit Taherus anno Heg. 427. menſe Sciaabano, hoc eſt, anno Chr. 1036. cui ſucceſſit filius ejus Maadus Abutamimus Moſtanſerus Billa. Vide Pagium ad annum 1036. num. v. Ubi de Jeroſtlavo Ruſſorum Principe hæc habet. „ Quoad Jeroſtlabum, ſeu Jaroſlaum Ruſſiæ Ducem, fuit is S. Wolodimiri, qui fidem Chriſtianam in Ruſſiam induxit, filius, cujus filiam Annam Henricus Francorum Rex uxorem duxit, qui poſt Mathildis Reginæ humationem (inquit auctor Aquitanicæ hiſtoriæ apud Ducheſnium Tom. IV. de Henrico Rege loquens) accepit aliam conjugem, videlicet filiam Juriſclot (nomen a librario corruptum) Regis Ruſſorum, nomine Annam, quæ ei genuit tres filios, Philippum, Hugonem, Rotbertum, quorum Rotbertus puer obiit. Idem in eo Tomo legitur in excerpto veteris Chronici, niſi quod librarii errore Anna dicitur filia *Georgii*, loco Jaroſlai. Wippo tamen in vita Conradi Salici ad annum 1034. Mathildem non uxorem, ſed ſponſam Henrici Regis fuiſſe his verbis teſtatur „. Eo tempore filia Imperatoris Conradi & Giſelæ Imperatricis Mathilda nimium formoſitatis puella Henrico Regi Francorum deſponſata obiit Wormatiæ, ibique ſepulta eſt „. Hactenus Pagius ex Francorum hiſtoriæ ſcriptoribus. Quodſi Culcinium audimus, idem ipſe *Jaroſlaus* aliter *Georgius* appellabatur, quemadmodum & pater ejus *Volodimirus* idemque *Baſilius*: primum nomen Principis, alterum Baptiſmi. Cromerus lib. 4. cap. 2. in Caſimiro I. Poloniæ Rege anno Chr. 1041. inaugurato, huuc ait cum Jaroſlao Ruſſorum prin-

XXXIII. Stephanus Boisthlabus Serblorum Princeps an.1038.

Anno Mundi 6546.Ind. VI.(Chr.1038.) Quum Pancratius Abasgiæ Dominus vehementer urgeret Jasitam superioris Iberiæ principem, Joannes contra eum emittit Constantinum Domesticum Scholarum, fratrem suum, cum omnibus Orientalibus copiis, pollicitus ei, missurum se Dalassenum consiliarium ac collegam belli gerendi. Quod quum non fieret, re infecta Domesticus discessit. Anno 1040. Ind. 8. Joannes quum ad fratrem Imperatorem Thessalonicæ degentem, auri centenaria decem mitteret, navis turbine venti correpta, Illyricis allisa est litoribus, & periit. Aurum princeps Serborum Stephanus, qui & Boisthlabus, abstulit. Is paulo ante ex urbe profugerat, & Serbiam occuparat, pulso inde Theophilo Erotico. Imperator autem Thessalonicæ de amisso auro certior factus, Stephanum per literas monet, ut sibi suum mittat, neque ultro belli causam præbeat. Hoc quum pro nihilo putaret Stephanus, Georgium Probatam spadonem cum exercitu adversus eum mittit Imperator. Qui in Servia illapsus inconsiderate in locorum difficultates & invias convalles, toto exercitu amisso ægre evasit. Hunc Diocleates *Dobroslavum* pro Boislavo appellat: atque ex ejus historici fide Cangius in Familiis Dalmaticis cap. 3. num. XXXVI. pag. 279. edit. Reg. de ipso hæc scribit. „ Tradit Scylitzes pag. 739. tum primum Serviam in Imperatorum Constantinopolitanorum jus venisse sub Michaële Paphlagone: aitque anno Chr. 1036. Ind. 4. Regnum istud, quod hos ut supremos Dominos post Romani Lacapeni mortem agnoscere desierat, jugumque excusserat, rursum Imperio fuisse conjunctum. Verum haud multo post Dobroslavus, quem Boisthlabum, seu Boëslavum vocant idem Scy- „ litzes

principe fœdus & affinitatem injisse, sorore ejus Maria, cujus mater Constantinopolitanorum Imperatorum soror fuerat, uxore cum ampla dote ducta: quam ingenti pompa Cracoviam advectam, Gnesnam deduxit: Græcorum schisma abdicantem, Ecclesiæ Catholicæ reconciliavit, Reginam solemni ceremonia fecit, & pro Maria, Dobrognevam appellavit: Jaroslaum affinem jure omni, quod pater avusque suus in Russia habuere, donavit: societatem tantum & auxilia contra quosvis hostes pactus. Hæc Cromerus. Verum duo obstant. Primum ætas Jaroslai non congruit inaugurationi Casimiri: hic enim anno, juxta Cromerum, 1041. Regnum iniit: Jaroslaus anno Chr. 1036. obierat. Alterum, Græcorum schisma a Michaële Cerulario, qui anno 1043. Sedem Byzantinam occupare cœpit, originem habuit. Emmanuel autem Calecas lib. 4. adversus Græcos asserit, post Photium unitatem in Ecclesia Orientali durasse per XVII. Patriarchas usque ad Cerularium. Orthodoxam itaque fidem colebat Maria Jaroslai filia, non erat Schismatica.

„ litzes pag. 745. & Zonaras pag. 197. & Stephani præterea „ nomen habuiſſe tradunt, quum Conſtantinopoli, ubi pro„ vinciis ſuis exutus morabatur, clam exceſſiſſet, conciliatis „ ſibi Dalmatis, & Serviis, utramque provinciam invaſit, „ pulſo inde Theophilo Erotico, cæſiſque ab incolis, Græcis „ omnibus. Imperator vero comparato exercitu, eidemque „ præfecto Harmenopulo (*hoc ex fide Diocleatis*, *nam apud* „ *Græcos non legitur*) Zentanam provinciam ingreditur, Do„ broslavum ſeu Stephanum, priuſquam vires animumque „ collegiſset, oppreſsurus. At is, filiuſque Rodoslavus, coa„ ctis raptim copiis, obviam progreſsus, Harmenopulum ad „ Vraniam prælio fundit deletque. Quo quidem in certami„ ne quum fortiter ſe geſſiſset Rodoslavus, Kezcanam Jupa„ niam in accepti beneficii gratiam ei conceſſit parens. Sed & „ ſub idem tempus ferme accidit, ut Dobroslavus (*hoc ſolum* „ *narrat Scylitzes pag.* 745.) navim quæ ad Imp. Michaelem „ Paphlagonem, Theſsalonicæ tum degentem, magnam auri „ vim vehebat, turbine correptam, & ad Illyrici litora impul„ ſam expilaret: quam quum repeteret Michael, id pro nihilo „ habenti Dobroslavo bellum rurſus indicit, miſso Georgio „ Probata ſpadone, qui in Serviæ locorum difficultates & in„ vias convalles incaute illapſus, toto amiſso exercitu ægre „ evaſit „. Hactenus de Serbis ſub Michaele Paphlagone.

XXXIV. Petrus Deleanus, Byzantio inBulgariam profugiens, Bulgarorum Rex proclamatur.

Hoc ipſo anno (Chr. 1040.) verba Cedreni ſunt pag. 745.) & Bulgari defecerunt. Petrus quidam Bulgarus, cognomento (*a*) Deleanus, ſervus cujuſdam Conſtantinopolitani, profugus ex urbe, Bulgariam pervagando, *ἄχρι Μωράβου καὶ Βελεγράδων*, uſque ad Morabum & Belegrada pervenit, quæ ſunt caſtella Pannoniæ trans Iſtrum ſita, *καὶ γειτονοῦντα τῷ Κράλῃ Τουρκίας*, & vicina Regi Turciæ: & filium ſe Romani, nepotem Samuelis jactando, gentem Bulgaricam concitavit, quæ non ita pridem cervices jugo ſubdiderat, ac libertatem magnopere appetebat. Quo factum, ut fidem homini haberent, eumque Re-

a Zonar. pag. 240. Bulgari porro ab Imp. Baſilio, ut dictum eſt, ſubacti, ſuo Regno everſo, jugum ſervitutis ad tempus tulerunt. Tandem vero quum de eo excutiendo & detrectandis imperatis cogitantibus Dux & auctor deeſſet, vir quidam obſcuro ille quidem genere ortus Dolianus, ſed doli & aſtutiæ plenus, Byzantio, ut fertur, fuga elapſus, & ſe filium naturalem, non legitimum Aaronis, qui frater Samuelis fuit, Principis Bulgarorum profeſſus, a Barbaris Rex eligitur. Cetera.

Regem Bulgariæ designarent, & per Naissum, ac Scupias primariam Bulgariæ urbem, eum circumducerent, faustis acclamationibus Regem celebrantes, & Romanos, in quos incidissent, crudeliter interficientes. Id ubi comperit Basilius Synadenus Dyrrhachii præfectus, celeriter ejus loci copias in Deleanum duxit, occurrendum ratus, priusquam vires hoc incendium sumeret. Quum autem ad locum, cui Debra nomen, pervenisset, & dissensio ei quædam cum uno tribunorum militum Michaële Dermocaita orta esset, apud Imperatorem falso crimine affectatæ tyrannidis accusatur, privatusque magistratu, Thessalonicam ducitur & in custodiam datur. Dermocaites (hic enim ei succedere jussus fuit) imperite ac male gerens magistratum, exiguo tempore omnia vertit. Expilati enim ab eo injuste, suisque equis & curribus spoliati, aliisque rebus quas charas habebant omnibus, contra eum insurgunt, atque is insidias sentiens sibi parari, noctu effugit. Ipsi ergo sibi ab irato Imperatore metuentes, deficiunt palam, & quemdam de militibus prudentiæ ac fortitudinis notæ, Teichomerum nomine, Regem Bulgariæ constituunt. Duæ jam erant Bulgarorum factiones, altera Deleanum, Teichomerum altera Regem salutans. Ibi Deleanus Teichomerum per literas ad societatem invitatum, ad se pertrahit: quumque in unum coissent copiæ, in concionem universis advocatis postulat, ut si quidem se Samuelo prognatum certo crederent, ac se Regem habere vellent, Teichomerum amoveant: sin id non videretur, se abdicare, & regnum Teichomero permittere. Ut enim duos erithacos unum arbustum non alit, sic unum regnum feliciter a duobus Principibus administrari non potest. Hæc eo fato, grandis exoritur tumultus; vociferatique se soli Deleano regnum deferre, illico lapidibus miserum illum & regno quasi per insomnium potitum Teichomerum obruunt. Deleanus solus omnem nactus potestatem, suas copias ad Thessalonicam contra Imperatorem ducit. Sed hic incomposito agmine Byzantium abiit, omnibus impedimentis, ac quidquid erat auri, argenti, ac vestium, relictis: atque ea Manuelus Ibatza Imperatoris domesticus secum auferre & sequi jussus, acceptis iis, cum Cœtonita quodam Eunucho Cubiculario, ad Deleanum transiit. Tanta etiam siccitas eo tempore fuit, ut juges fontes ac

ac perennes fluvii ferme exaruerint. Fuit etiam incendium in Exartesi VI. die Augusti, omnesque ibi stantes triremes cum suis armamentis conflagrarunt. Ceterum Deleanus gnaviter rem gessit, missoque exercitu, Duce Caucano, Dyrrhachium cepit: aliasque in Græciam copias misit, ductore Anthimo, cui apud Thebas obviam factus Allacasseus, multis Thebanis occisis, pellitur. Tunc etiam provincia Nicopolitana, sola excepta Naupacto, ad Bulgaros descivit. Etenim Byzantinus quidam Joannes Cutzomytes, missus eo ad exigendum publicum tributum, quum iniquius tractaret incolas, sibi ipsi exitium paravit, & ipsis deficiendi occasionem præbuit. Est enim ab ipsis ob intolerabilem avaritiam in frusta concisus; & Romanorum Imperatorem detestantes, ejus jugo excusso, Bulgaris se conjunxerunt, non tam studio Deleani impulsi, quam odio Orphanotrophi (*a*) ob insaturabilem ejus in exactionibus avaritiam. Nam Basilius quidem Imperator quo tempore subegit Bulgaros, nihil prorsus immutaverat, sed omnia pristina conditione manere permiserat, neque a Samuelis exactione aliam instituit: ea autem fuerat, ut quicumque Bulgarus jugum boum possidebat, is in publicum conferret unum frumenti, unum milii modium, & vini urnam. Orphanotrophus ea in pecuniam mutarat. Quod moleste ferentes Nicopolitæ, oblata occasione Deleani motus, Romano Imperio rejecto, ad suos gentiles (*b*) redierunt.

XXXV. Alusianus, Aaronis Bulgarorum quondam Regis filius, ad Bulgaros e Byzantio profugiens, Petro Deleano excæcato, in gratiam Imperatoris redit.

Anno mundi 6549. Indictione IX. mense Septembri (currente adhuc anno Chr. 1040.) Alusianus Patricius & Theodosiopolis præfectus, secundus Aaronis filius, subito ex Urbe profugus, ad Deleanum se contulit. Quum enim injustitiæ accusatus esset, priusquam de causa cognosceretur, Joannes ab eo exegerat auri libras quinquaginta, ademeratque ei mulierculam elegantissimam, quam in Charsiano habebat. Quumque multis apud Imperatorem precibus non obtinuisset, ut sui haberetur ratio, desperatis suis rebus, Armenio habitu sumpto, simulansque se Basilii Theodorocani famulum esse, atque Thessalonicam ad Imperatorem ire, clam omnibus aufugit: Ostrobumque pervenit, ubi tum cum omni exercitu castra Deleanus habe-

a Joannis nempe, fratris Michaelis Imperatoris.
b Ergo Bulgari Nicopolitanam provinciam jam possidebant.

habebat. Magna hunc cum lætitia accepit Deleanus, metuensque ne ad ipsum potius inclinarent Bulgari, ut regio sanguine natum, consortem (ut præseferebat) Imperii adscivit, ac cum exercitu quadraginta millium ad oppugnandam Thessalonicam misit, cui tunc præerat Constantinus Patricius, patruelis Imperatoris. Eo profectus Alusianus, urbem vallo cingit, ac machinis admotis, summa industria oppugnat. Sed quum per sex dies frustra oppugnasset, undique repulsus, spe expugnandæ abjecta, obsidione eam capere statuit. Oppidani quadam die ad sepulcrum martyris Demetrii accesserunt, supplicationeque per totam noctem tracta, usque unguento, quod ex eo sepulcro scaturit, uno impetu apertis portis in Bulgaros se emiserunt, habentes secum legionem τῶν μεγαθύμων, Magnanimorum: hostemque improvisa impressione perterritum in fugam conjecerunt, nemine subsistere aut se defendere auso. Ductor Romanæ aciei fuit Martyr, iterque complanavit: quod Bulgari captivi juramento confirmarunt, dicentes, vidisse se juvenem equitem, qui Romanæ phalangi præiret, ex quo ignis exsiliens, adversos cremaret hostes. Cecidere amplius xv. millibus Bulgarorum, captique haud pauciores: reliqui turpissima fuga cum Alusiano ad Deleanum evaserunt. Hoc ipso anno (*Chr.*1041.) die Junii x. hora diei xII. terræmotus fuit. Accepta autem clade, conjuncti Deleanus & Alusianus, alter de altero sinistra suspicari cœperunt: hic ob rem male gestam pudore affectus, ille proditionem opinans intervenisse. Itaque insidias invicem struebant, & occasiones quærebant. Tandem Alusianus re cum familiaribus quibusdam suis communicata, Deleanum ad convivium invitat, ibique crapula & ebrietate capto oculos eruit, nemine prorsus Bulgarorum id sentiente. Ipse (*a*) Mosynopolim ad Imperatorem profugit. Hunc Imperator ad Magistri dignitatem evectum, Constantinopolim ad Orphanotrophum amandat. Ipse per Thessalonicam in Bulgariam

a Zonar. pag. 242. Sic Alusianus Scythicæ gentis imperio solus potitus, Imperatori secreto nunciari jubet, se illi deditionem facturum, si clementer suscipiatur, & justis præmiis non fraudetur. Ille nec accessum ejus abnuit, & parem gratiam relaturum pollicetur. Quum igitur venisset, Magister creatur. Imperator vero gentem Rege destitutam & dispersam, statim haud difficulter superatam Romano Imperio rursus subjicit, & in urbem reversus triumphat, cum multos alios captivos, tum Dolianum cæcatum adducens.

gariam venit, comprehensumque Deleanum, Thessalonicam mittit. Inde ad interiora pergens, septum ligneum, quod Manuelus Ibatza apud Prelapum fecerat, ut copias Imperatoris progressu arceret, & ipse interiora obtineret, celerrime perrupit: ac Bulgarorum dissipata coitione, Ibatzam cepit. Rebus deinde Bulgariæ constitutis, ac provinciæ dato præside, Urbem ingressus est, secum ducens Deleanum & Ibatzam. Post morbo suo prorsus confectus, salute corporis omnino desperata, raditur, & fit Monachus, opera Cosmæ Tzintzulucæ Monachi, qui semper cum eo fuit, & quantum opus erat præceptis instruxit. Decembris x. die, Indictione x. Anno mundi 6550. (Chr. 1041.) vita excessit, pœnitentia acta, & peccata sua pie confessus, ac lacrymis suum in Romanum Imperatorem scelus prosecutus.

XXXVI. Tempore Constantini Monomachi Imp. Serbli cum bellum a Stephano Boisthlabo adversus Græcos susceptum. Stephani successor Michael in Serbliæ Principatu, pacem cum Imp. facit.

Ubi Constantinus Monomachus Imperio potitus est, sexta Octobris die, Indictione xi. Anno mundi 6551. (Chr. 1042.) Cometa apparuit (a) ab Oriente ad occasum proficiscens, totoque illo mense fulsit. Is portendebat calamitates (b) mundi eventuras. Quum enim Stephanus, qui & Boisthlabus, fuga (ut ante docuimus) ex urbe elapsus, Illyricos occupasset montes, ac Triballos, & Servos, indeque viciniam Romanis subjectam populationibus vexaret; Monomachus earum grassationum impatiens, Michaëli (c) Patricio Anastasii Logothetæ filio, tum Dyrrhachii præfecto, mandat per literas, ut collectis & suis, & aliis militibus quotquot in vicinis ac Romanis subditis provinciis dispositi erant, unacum ordinum ductoribus, in Triballos proficiscatur, & Stephanum debellet. Is vero Michaël rei bellicæ ignarissimus, quippe in umbra & inter delicias educatus, inepte & inscite rem aggressus, magnam rei Romanæ calamitatem invexit. Contractis enim, ut jussus erat, copiis, ad 60. millia militum eæ continebant, in Triballos duxit itineribus acclivibus, asperis, salebrosis, ac ita angustis, ut

M 2 ne

a Cedren. pag. 754.

b Quæ erat eorum temporum ignorantia.

c Ex Diocleate & Luccario Cangius in Famil. Dalmat. cap. 3 num. 36. pag. 280. Adscitis in armorum consortium Russiæ Jupano, Bosinensi Bano, & Eliutovido Semiidræ filio Chelmensi Jupano ac Principe, coactoque 60. militum millium exercitu, eundem Dyrrhachii præfectum præficit, quem Curfilem Diocleates vocat. Verum unde hæc hauserit, ipse viderit.

ne bini quidem simul ire equites possent, Servis (ut fertur) dedita opera cedentibus ac intrare eum sinentibus, neque de reditu sollicitum, neque justo præsidio angustias occupantem. Ita ingressus, campestria direptionibus incendiisque vastabat. At Servi fauces itinerum ac prærupta insidere, & reditum ejus præstolari. Michaël, ut satis prædæ captivorumque partum, tempusque domum reducendi putavit, & in reditu in angustias pervenit; ibi vero Servi de sublimioribus locis Romanos saxis, sagittis, omnisque generis missilibus impetere, neque armis, neque manibus uti valentes, aut ullo modo rem gerere, ita alii missilibus prosterni, alii per præcipitia devolvi miserabili clade, adeo ut adjacentes convalles atque cavitates, cadaveribus impletæ, persequentibus perviæ essent. Perierunt ad XL. millia, & septem Duces: reliqui per saltus ac silvas montium dissipati, & conspectui hostium subducti, in cacumina evaserunt, noctuque ad sua pervenerunt, miserandum ac lacrymabile spectaculum. Inter hos fuit etiam ipse Michaël, simili usus fortuna. Atque hæc de Servis sub Stephano seu Boisthlavo, quem Diocleates scribit, Gliutovidum, deinde Zermizam, ceterosque deinceps Banos ac Jupanos variis præliis fudisse, Regnumque firmasse, Græcosque subinde semper lacessivisse. Stephano vero mortuo, *Michael* ejus filius in solidum Rex Serviæ proclamatus, a Constantino Monomacho, icto cum eo fœdere, Protosphatharii honore donatus, & in album sociorum ac amicorum Imperii adscriptus est sub annum 1050. ut scribit Cedrenus pag. 789.

XXXVII. Græcos inter & Russos pax firmata, Uladimiro ac Jaroslao regnantibus. Uladimirus Monomachus post Izaslaum Russorum Princeps, Constantinopolim anno 1043. obsidet.

Sed cessante Serblico bello, exarsit Russicum. Nam anno Chr. 1043. Indict. XI. Mense Junio (a) Rossica gens contra Romanum Imperium insurrexit. Hactenus pacem amicitiamque cum Romanis Rossi coluerant (Uladimiro scil. ac Jaroslao regnantibus) liberaque invicem fuerant commercia, & mercatores ultro citroque commearant. Tunc vero in Urbe orta rixa cum quibusdam Scythicis negotiatoribus, res ad manus venit, & est quidam de nobilioribus Scythis interfectus. Proinde ejus gentis Regulus Bladimerus, homo iracundus, atque animo inquieto, casum hunc sibi annunciatum ægerrime ferens, nulla interposita mora, ad arma vocatis subditis quot-

a Cedren. pag. 758.

quotquot bello habiles erant, copiisque auxiliaribus adscitis haud exiguis a nationibus, quæ Oceani insulas Septentrionales inhabitabant, collecta ad hominum (ut ferunt) tercentum millium multitudine, eam usitatis apud ipsos navigiis (Μονόξυλα, lintres nos vocamus, unica arbore cavata factos) imponit, & adversus urbem tendit. Imperator ejus conatu intellecto, legatis missis petit, ut ab armis discedat, pollicitus se quidquid peccatum esset, compensaturum, modo ne ipse levi de causa tot jam per annos coalitam pacem rumperet, gentesque bello committeret. Quum autem barbarus literis acceptis legatos ignominiose proturbaret, responsis superbis datis: Imperator desperata pace, ipse quoque se pro viribus bello parat. Scythicos negotiatores in urbe degentes, necnon qui ut socii aderant, per provincias in custodiam dividit, ne quæ ab ipsis domi essent metuendæ insidiæ. Tum adornatis, quantum ejus præceps occasio rei ferebat, Imperatoriis triremibus, & impositis in eas qui e militibus ea tempestate Byzantii agentibus legi poterant classiariis, ipse quoque Imperiali conscenso Dromone, barbaris occurrit, in faucibus maris ad Pharum stationem habentibus, juxta per continentem comitante equitatu haud exiguo. Instructa utrinque ad pugnam classe, neutra pars prælium incipiebat, Scythis intra occupatum portum se continentibus, & Romanis eorum motum expectantibus. Quum tempus tereretur, & ad vesperam dies inclinaret, rursum legatos de pace mittit Imperator: eosque rursum contumeliose Barbarus rejicit, non aliter se arma depositurum significans, quam acceptis in singula suorum classiariorum capita tribus auri libris. Quod responsum quum videret summe absurdum Imperator, pugna decernendum statuit. Barbarisque etiamnum quiescentibus, vocato ad se Magistro Basilio Theodorocano mandat, ut cum tribus velocibus triremibus levi pugna Scythas tentet, atque ad prælium provocet. Basilius acceptis triremibus, non levi prælio eorum animos explorat; sed in medios hostes invectus, septem naves artificioso igne cremat, tres cum ipsis vectoribus demergit, unaque potitur, in eam insiliens, & classiarios partim cædens, partim audacia ipsius perterritos fugans. Scythæ cum universa classe accedere Imperatorem videntes, atque id quod res erat cogitantes, quum

quum ne trium quidem triremium sustinuissent impetum: quid eventurum esset, si cum tota classe confligendum foret, fugam faciunt, & se in locum immittentes, saxa ac scopulos sub mari delitescentes habentem, plerasque naves perdunt. Sed & milites e continenti eos invadunt, magnamque stragem edunt. Sane cadaverum hostilium in litore inventa sunt postmodum quindecim circiter millia. Superatis hoc pacto Scythis, Imperator totum biduum ibi locorum commoratus, tertio die Byzantium rediit, duabus legionibus & quas vocant Sodalitates, relictis; Ducibus Nicolao Cubiculario & Magistro Basilio Theodorocano, mandato, ut oram maritimam custodirent, neque exscensionem facere barbaros paterentur, utque tota clasis apud Pharum in statione esset. Hi litora, ut jussi erant, circumeuntes, qua cadavera barbarorum æstus ejecerat, ingenti præda ac spoliis potiti sunt. Verum viginti quatuor triremes Romanæ avulsæ ab reliqua clase, fugientes barbaros insecutæ, eosque prætervectæ sunt, quum ii in quendam portum naves subduxissent. Scythæ ergo paucitate hostilium navium cognita, compertoque non plures esse quam visæ erant, a promontoriis ab utraque parte sitis cornua extenderunt, & contenta usi remigatione, circumvenire eas cœperunt. Romani priore labore remigandi, insequendique defatigati, & multitudine hostilium navium perterriti, ad fugam inclinarunt. Quum autem barbaricæ naves fauces sinus circumdedissent, & in altum exire non daretur, Constantinus Patricius Caballurius Cibyrrhæotarum Dux cum sua & aliis x. triremibus fortiter in hostem pugnans, concisus est: captæ a barbaris quatuor triremes cum ipsis vectoribus, ipsaque etiam prætoria navis: homines in iis omnes interfecti: reliquæ Romanorum naves in brevia, litora incommoda & saxa ejectæ ac contritæ sunt. Classiarii alii in aqua perierunt, alii a barbaris vel trucidati, vel captivi abducti sunt. Superstites nudi pedites que ad suorum stationem redierunt. Scythæ quum præter spem ipsis institutum cecidisset, domum versus iter instituerunt. Quum vero non mari modo, sed terra etiam redirent, (neque enim tantæ multitudini satis erat navium, quum prælio multæ essent demersæ, multæ captæ, multæ naufragio periissent) in Catacalonem Bestam Ambustum tunc Istro vicinæ regioni præfectum inci-

inciderunt in ora maris apud Barnam, fusique sunt, & magna clade affecti: octingentos eorum vivos in compedibus ad Imperatorem misit. Is Ambustus, & quum primum Scythæ ad Constantinopolim tenderent, inque ipsius provinciam ingressi pabularentur, militibus suis collectis fortiter invaserat, pulsosque ad sua confugere navigia coëgerat; & tunc iterum oram suæ provinciæ maritimam custodiens, exituique intentus, hoc facinus edidit.

XXXVIII. Referuntur ac refelluntur Asystata, quæ a Culcinio, Miechovio, & Cromero de Russorum Principum Epocha gestisque narrantur.

Ex hac Græcorum Auctorum narratione evertuntur quæcumque Miechovius, Cromerus, & Culcinius de Russorum Principum epocha gestisque narrant. Constat enim, Jaroslaum Uladimiri filium anno 1036. obiisse: *Izaslaum* ei successisse: & *Uladimirum* anno 1043. jam Russorum Monarcham, Constantinopolim obsedisse. Ubi Culcinius quidem, ut supra vidimus, Jaroslai vitam usque ad annum 1054. producens, ejus filios *Izaslaum*, *Usevolodum* & *Svatopolcum* regnasse perhibet usque ad annum 1113. *Uladimirum* autem, hujus nominis secundum, *Usevolodi* filium ab anno 1113. ad annum 1130. Miechovius autem ad annum 1058. Jaroslai obitum figens, primum quidem sibi ipse repugnat, dum Jaroslaum scribens ad augendam gloriam suam misisse filium suum *natu majorem Wladimirum* cum exercitu navali in Constantinopolim, ubi Russicæ naves orta tempestate sint confractæ; statim subjungit, eundem *Jaroslaum* morti proximum ditionem suam sic inter filios divisisse, ut *Zaslao natu majori* Kioviam, *Svatoslao* Czernigoviam, *Usevolodo* Pereaslaviam, *Gregorio* Uladimiriam, & *Veczeslao* Smolenscum traderet: Deinde narratis multis præliis a Boleslao Poloniæ Rege adversus Russos commissis, frequentique facta *Zaslai*, *Wisseslai*, *Usevolodi* mentione, Lib. 2. cap. 21. *Zaslaum* decessisse ait anno 1076. relictis filiis *Uladimiro* natu majore, & *Jaropolco*; Russiæ autem Duce ipsius Zaslai fratre *Usevolodo* constituto. Si enim, ut supra dixerat, Jaroslai natu major *Uladimirus*; quonam pacto ejusdem Jaroslai filius alter Zaslaus natu major, & vivente quidem adhuc Uladimiro, qui, juxta eundem Miechovium, non obiit nisi an. 1126.? Pergit porro Miechovius eod. lib. 2. cap. 2. enarrans *Jaropolcum* e Uladimiria redeuntem, cæsum, & in Kioviam deductum, in Ecclesia S. Demetrii sepultum „ Usevolodo Duce, „ & bi-

„ & binis ejus filiis *Uladimiro* & *Roscislao*, item Joanne Me„ tropolitano, & Boyariis, universisque ordinibus Kioviensi„ bus præsentibus „. Lib. 3. cap. 1. Uladislaum Poloniæ Regem anno 1088. ordinasse Meczlao, alias Myeszco, filiastro suo ex Hungaria reducto, Eudoxiam Svatopolki Ducis Kioviensis germanam in consortem, ut Ruthenos in fide & obedientia conservaret. Lib. 3. cap. 3. Ruthenorum Duces, Wlodimirum Novogrodensem, David Olech Pereaslavien. Volodor Præmislien. & Jaroslaum Jaropolcicz, Poloniam exercitu quadripartito ingressos & usque ad fluenta Vislæ grassatos, dum præda abducta in Russiam redirent, a Boleslao Uladislai, qui anno 1102. decessit, filio fusos prostratosque, prædamque de manibus eorum receptam. Lib. 3. cap. 6. Boleslao e Polonia excedente & in Hungariam migrante, *Vasilko* Roscislavicz Ducem Russiæ in Poloniam excurrisse: Usevolodum Jaroslai filium & Ducem Kioviensem die 13. Apr. anno 1083. peste absumptum, & sepultum in Ecclesia S. Sophiæ Kioviæ, relictis duobus filiis, *Uladimiro* & *Roscislao*. Uladimirum natu majorem, quum timeret ne Svatopolko filius Zaslai Ducatum Kioviensem invaderet, hunc ei libenter cessisse, & in Czirnicoviam abiisse; Roscislaum vero ejus fratrem in Pereaslaviam: commisso cum Polowczis bello, Svatopolkonem fugisse Kioviam, Roscislaum in flumine Stulanya submersum, Uladimirum tranato eo flumine cadaver fratris Kioviam deportasse. Pace cum Polowczis facta Svatopolkonem filiam Thuhortkani eorum principis in uxorem duxisse. Olecho Czernicoviam cessisse Uladimirum, ejusque loco Pereaslaviam accepisse. Prussos anno 1089. in Russiam invasisse. Isaslaum Uladimiri Ducis Kioviensis filium ab Olecho occisum: Mscislaum Isaslai occisi fratrem vocatis in auxilium Kioviensibus, & Polowczis, & fratre Veczeslao a patre Uladimiro misso in fugam Olechum conjecisse. Svatopolkonem Ducem Kioviæ cum Davide Hreorovicz conspiratione facta, Ducem Vasilkonem Roscislavicz excæcasse: Uladimirum propterea, Olechum, Davidem Svatoslavicz bellum Svatopolconi movisse: alia insuper bella inter hos & inter alios Russorum principes exarsisse. Lib. 3. cap. 13. Volodorum Przemisliæ Ducem ex Polonia prædas agentem, a militibus Polonis comprehensum & Cracoviam Duci Boleslao addu-

adductum, a Vasilkone fratre Præmisliensium Duce viginti millibus marcarum argenti redemptum, statimque datis 12. millibus, pro residuo filium Jaroslai obsidem positum. Anno 1123. a Boleslao Poloniæ Duce Jaroslaum Ducem Uladimiriensem affinem suum in Russiam reductum, qui apud eum in Polonia per quadriennium moratus fuerat: quumque Hungaris & Polonis opem ferentibus, bellum adversus Uladimirum Kioviæ Ducem, qui eum castris suis olim spoliaverat, inferret, vulneribus confossum, paucis post diebus mortuum fuisse, post ejus obitum cum Polonis Hungarisque & cum Uladimiro inita pace, Volodori & Vasilkonis Præmisliensium Ducum opera. Lib. 3. cap. 1. quum Uladimirus Volodori Ducis Præmisliæ filius, eam oram quæ est a Præmislia usque ad Byecz, absente Boleslao deprædatus esset, moto in eum a Boleslao bello victum fuisse, ejusque patrem Volodorum in fugam versum, ad Halicz divertisse, ibique obiisse, in Ecclesia S. Joannis, quam ipse in Præmislia fundaverat, sepultum; relictis duobus filiis, Uladimiro cui cessit Swinigrod, & Roscislao, cui Præmislia obtigit. Lib. 3. cap. 15. Anno 1135. Jaropolcum Uladimirwicz Ducem Kioviæ una cum Hungaris & Halicienfibus conserta manu fudisse copias Boleslai Poloniæ Ducis: qui mœrore confectus anno 1139. decessit. Lib. 3. cap. 16. Russorum Duces Svatopolk, Volodimir, David, Olech, & Jaroslaum, facta conventione cum Ducibus Polowczorum pacem confecisse, datis acceptisque obsidibus. Sed paulo post, Polwczis, pace non servata, in Russiam invadentibus, Svatopolcum Kioviensem, David Svatoslaviæ, David Useslaviæ, Mscislaum nepotem Hreorii, Vieczeslaum Jaropolcziz, & Jaropolcum Wladimirivicz, anno Dom. 1103. prælio commisso, victoriam de Polowczis retulisse, ducibus 20. cæsis, castrisque direptis. Aliud pari felicitate adversus Polowczos bellum initum anno 1107. 12. Augusti, a Russorum Ducibus Svatopolco, Wladimiro, Olecho, Svatoslao, Mscislao, Vyeczeslao & Jaropolco. Post hoc, anno 1112. die 16. Apr. obiisse Svatopolcum Kioviæ Ducem, socerum Boleslai Erzivousti, tumulatum in Ecclesia S. Michaëlis Kioviæ quam exstruxerat: in locum ejus suffectum Wladimirum germanum ejusdem Svatopolki. Jaroslaum filium Svatopolki, cujus germanam Sbislavam Boleslaus Dux Poloniæ ha-

habuit in uxorem, possedisse Uladimiriensem Ducatum: mox timore Uladimiri patrui, cum uxore, filiis & omni supellectile in Poloniam ad Ducem Boleslaum confugisse, ibique quadriennium degisse, donec eum Colomanus filius Regis Hungariæ reduceret. Castrum Uladimiriæ post discessum Jaroslai, deditum Uladimiro Duci Kioviæ, in quod filium suum Romanum transmisit, eoque celeriter mortuo, alterum filium Andream subrogatum. Uladimirum Jaroslai patruum, Ducem Kioviensem, anno 1126. 10. Maji mortem obiisse, sepultum in Ecclesia S. Sophiæ Kioviæ: eique successisse in sedem Kioviæ Mscislaum seniorem filium; Jaropolcum vero alterum fratrem, Pereaslaviæ Ducatum possedisse. Hæc in Russia ad partem Orientalem. Ad occasum vero, filios Volodiri olim Ducis Præmisliæ Uladimirum & Roscislaum in dissensionem versos, aliena auxilia comportasse; Roscislaum Ruthenorum, videlicet, Mscislai Kiovien., Gregorii, ac Juan Vasilcovicz; Uladimirum vero Hungarorum: factoque tractatu de pace per Barones, nec pace confecta, Uladimirum in Hungariam perrexisse cum uxore, filiis & tota familia, auxilia adducturum. Mortuo Mscislao Duce Kiovien. anno Dom. 1129. subrogatum fratrem Jaropolcum, Ducem Pereaslaviensem. Proinde juxta Miechovii supputationem colligitur, *Jaroslaum* Uladimiri filium obiisse anno 1058. *Zaslaum*, seu *Izaslaum*, anno 1076. *Usevolodum* anno 1083. *Svatopolcum* anno 1112. *Uladimirum* II. anno 1126. *Mscislaum* anno 1129. cui Jaropolcus frater eodem anno successerit, & anno Christi 1140. die 10. Febr. obierit, in Ecclesia S. Andreæ sepultus. Quæ omnia quam sint Græcis scriptoribus repugnantia, ex supra enarratis perspicue apparet.



C A-

CAPUT II.

Origines Ecclesiasticæ Hungarorum, post Arpadem & Soltanum, Toxo, Geyza, & Sancto Stephano regnantibus.

I. Hungarorum Res gestæ sub Toxo, Soltani filio, Arpadis nepote, ab anno 934. ad 955.

NUNC ad Hungaros redeat oratio. Vidimus supra, reportatam de illis anno 955. ab Ottone I. Germaniæ Rege insignem victoriam, quam ex Witichindo lib. 3. Pagius ad eundem annum a num. 2. describit. Hungaricum istud bellum Sigebertus perperam ad annum 957. differt, in hæc verba. ,, Hungaris iterum Regnum Ottonis Imperatoris, (*a*) ductu ,, Conradi Ducis depopulantibus, Imperator eos bello exce- ,, pit, Conrado ab Hungaris ad eum pœnitendo refugien- ,, te, & orante Deum, ut pro pœna perfidiæ suæ in ipso bello ,, ab Hungaris perimeretur. Quo bello in tantum sunt Hun- ,, gari victi & attenuati, ut ultra jam nec mutire ausi fuerint. ,, In tantum quippe contriti sunt, ut nullus aut rarus eorum ,, evaderet. Conradus tamen secundum votum suum ibi occu- ,, buit. Tres reguli Hungarorum in bello capti, suspendio pe- ,, rierunt ,,. *Toxus*, nimirum, *Bulcho*, & *Leel*. Ante hunc annum, impressionem Turcorum (sic enim Hungaros Græci scriptores appellant) experti fuerant Byzantini. Nam Cedrenus de rebus gestis sub Romano Lacapeno & Constantino Porphyrogenito pag. *629*. ,, Mense Aprili (inquit) Indict. VII. (*hoc est* ,, *anno Chr.* 934.) Turci facta impressione, occidua omnia ,, usque ad Urbem (*b*) populantur. Missus Patricius Theo- ,, phanes Protovestiarius cum iis pacem componit, Romano ,, ut captivos reciperet, nulli rei parcente. *Idem pag. 631.* ,, Prima Indictione (*hoc est*, *anno Chr.* 943.) quum rursus

N 2 ,, Turci

---

a Nondum eo anno Imperator coronatus fuerat.

b Non sine risu legenda est hic fabula, quam Thuroczius Par. 2. cap. 26. narrat de obsidione Constantinopolitanæ urbis ab Hungaris vigesimo primo anno facta, postquam apud urbem Augustam anno 955. victi fuissent. Petrus Ranzanus in Epitome Rer. Ungaricar. Indice VII. refert, Hungarorum excursionem, Opurdo Duce, in Thraciam usque ad urbem Constantinopolim *anno vigesimo post Augustanam cladem*. Utrobique error manifestus. Sic enim ea excursio contigisset anno Chr. 975. vel 976. quum tamen triplex Hungaror. in Romanor. fines irruptio annis dumtaxat 934. 943. & 948. acciderit.

„ Turci impressionem in Romanorum fines fecissent, Theo-„ phanes Cubicularius egressus, pacem cum iis composuit, ac-„ ceptisque obsidibus rediit „. Et pag. *636.* ad ann. Chr. 948. agit de *Gyla & Bulosude*, (qui alias *Bulogudes*, *Bologudes*, *Bulczo*, & *Pultzi* appellatur) duobus Turcorum principibus, Christianam religionem amplexis, & fœdere cum Byzantii Imperatore conjunctis, quorum hic postea in Græcos sæpe expeditionem suscepit, ac tandem ab Ottone Rege (ut supra dixi) anno 955. unacum Toxo & Leele captus & palo suffixus fuit: Gylas autem Hierotheum monachum a Theophylacto Patriarcha Episcopum consecratum secum assumens, multos e barbarica fraude ad Christiana sacra traduxit, de quibus fuse differui. Ex quibus refellitur scriptor rerum Hungaricarum Ranzanus, qui (*a*) de Toxo sic scribit: „ Hæc & alia permulta, dictuque au-„ dituque terribilia, atque admiratione dignissima, feliciter „ gessere Hungari, non modo sub septem illis copiarum, de „ quibus est facta mentio, sed sub aliis quoque Ducibus, qui „ illis successere, quorum imperiis paruerunt, ex quo tempo-„ re sibi subegere Pannonias, usque ad Toxum, virum profe-„ cto singulari virtute præstantem, ex Arpadii ductum ge-„ nere. Eo namque Duce administrata est res eorum publica, „ magna fide, ac summa prudentia, ad tempestatem usque „ Geichæ, patris Stephani Regis „. Quisnam enim fuerit *Toxi* finis, modo audivimns.

II. Geyza Hungarorum Rex, pater S. Stephani, in Christianos propensus.

Toxo e vivis sublato, *Geyza* filius successit, de quo hæc Aventinus lib. 5. pag. 499. „ Porro Ugri, qui domi reliqui „ erant, tanta suorum ruina animo fracti (*post cladem nempe* „ *Augustanam anni* 955.) vallo, fossa, sudibus contra nos „ (idest, contra Teutones seu Germanos, quibus Rex Otto „ dominabatur) in locis palustribus muniunt, nedum fines „ alienos invadere (sicuti per annos quinque & quinquaginta „ hactenus continenter factitarant) animo posthac concipe-„ rent: contusi viribus, territique potentia Ottonis (sicuti „ Liutprandus Ticinensis, & (*b*) Benedictus VI. Pontifex maxi-„ mus, qui eadem tempestate vixerunt, narrant) ne mutire „ qui-

a In Epitome Indict. VII. pag. 221.
b Errat Aventinus. Non. VI. sed VII. Benedictus mentionem Hungaror. facit, uti patet ex ipsius ad Piligrinum Lauriacensem Epistola.

„ quidem de cætero ausi fuere: Regem tamen creant Geizo„ nem filium Toxi parentem divi Stephani. Is licet alienus a „ religione Christi esset, nostros tamen amavit, ab Ottone „ pacem impetravit: bonus Christianis, suis sævus extitit. „ Sunt qui tradant Ugrorum ductorem fuisse Schirorum prin„ cipem Arnulphum, quem alii Ottonem, alii aliter nomi„ nant; mihi non fit verisimile. Equidem nihil certi, licet „ curiosius isthæc indagarim, comperi: fabulæ sunt, nisi for„ san Heroldus, qui & Herulphus, ex ea familia oriundus „ fuit, & similitudo nominum peperit (ut fit) errorem, Ar„ nulphumque pro Herulpho imperiti accepere „. Certe post Toxum Hungaris Geizam imperasse, non Herulfum, æquales eorum temporum historici narrant. Quod autem ait Aventinus, Geizam Christianis quidem bonum fuisse, suis autem sævum; hoc Chartuitus Episcopus confirmat in vita S. Stephani Hungariæ Regis, ejusdem Geizæ filii, in hæc verba: „ Ea qui„ dem tempestate, qua Hungarorum gens Dei Ecclesiam po„ pulabatur, fuit in ea Princeps quidam, quartus ab eo, qui „ Hungaris in Pannoniam ingressuris Ducem se præbuit. Is „ Geisa dicebatur, severus sane & crudelis homo in suos, po„ tenter eis imperans: erga alios vero, præsertim Christia„ nos, humanus, misericos, & liberalis. Etsi autem Paga„ nismi adhuc erroribus esset implicatus, attamen cælestis gra„ tiæ luce spiritali appropinquante, cum omnibus vicinis cir„ cumquaque provinciis de pace cœpit accurate tractare, ut „ jam in illo liceret animadverti, cujus optaret esse filius, di„ cente in Evangelio Domino Salvatore: Beati Pacifici, quo„ niam filii Dei vocabuntur. Edicto quoque proposito, jussit „ Christianis omnibus in ipsius ditionem sive Ducatum ingredi „ volentibus, hospitalitatis & publicæ fidei studium & curam „ impendi. Porro Clericis & Monachis fecit potestatem in „ ipsius quoque conspectum veniendi, eosque propenso animo „ audivit: atque ita factum est, ut Orthodoxæ fidei semen „ in pectoris ejus horto satum, in fruges erumpere gestiret.

III. Prima Christianæ fidei apud Hungaros semina, sub Gyla & Geyza, tum opera Græcorum,

Ex Epistola Agapiti Papæ II. ad Gerardum Archiepiscopum Lauriacensem, quæ Tom. IX. Concil. Labb. p. 618. refertur, perspicue apparet, Pannoniam Orientalem Lauriacensi, Occidentalem Salisburgensi Archiepiscopo concessam fuisse.

Ad

tum studio Gerardi Lauriacensis Episcopi.

Ad tollendam omnem enim dissensionem, quæ inter duos illos Archiepiscopos exorta erat: „ distribuere (inquit Agapitus Pon„ tifex) atque determinare ita vobis Parochias, bonum & pa„ cificum æstimamus: ut divisis duabus Noricæ regionis Pro„ vinciis, Heroldo Archiepiscopo (*Geroldo scil. Salisburgen„ si*) Occidentalis Pannoniæ cura committatur & custodia: Ti„ bi autem (*Gerardo nempe Lauriacensi & Pataviensi*) suc„ cessoribusque tuis, propter emeritam antiquitatem Sanctæ „ Lauriacensis Ecclesiæ, cui jure juniorum reverentia assurgit, „ in benedictionis & sedis ordine prælatus atque præpositus, „ providentiam Orientalis Pannoniæ, regionemque Avaro„ rum atque Maharorum (*idest, Moravorum*) sed & Sclavo„ rum, qui modo Christiani, vel adhuc per Baptisma Christo „ lucrandi sunt, circumquaque manentium, credimus, no„ stramque Apostolicam vicem in illis partibus prædicandi, & „ pro arbitrio vestro, ubi opus est, Episcopos constituendi, „ omniaque disponere atque ordinare tali auctoritate atque po„ testate delegamus, ac si ipsi præsentes affuissemus „. Atque hæc prima Christianæ fidei semina, per Gerardum Lauriacensem Antistitem, ejusque clericos, in Hungarorum terris jacta. Quum autem is anno 946. exeunte obiisset (uti Hansizius Tom. 1. German. Sacr. pag. 199. ostendit:) quumque Adelbertus ejusdem Gerardi successor toto tempore, quo Sedem Lauriacensem cum Pataviensi obtinuit (sedisse autem perhibetur usque ad annum 970.) oculos in messem Hungarorum sensim albescentem non intendisset; „ duo viri illustres „ (verba hæc sunt ejusdem Hansizii Tom. cit. pag. 203. (bono „ Noricorum, & Pannonum dati sunt, Vvolfangus Monachus, „ & Piligrinus Pataviensis Episcopus, Adelberti successor.

IV.
Quid in Hungarorum conversione præstiterint Vvolfgangus Ratisponensis, & Piligrinus Pataviensis Antistites.

Adiit Piligrinus (*a*) Episcopatum eo tempore, quo jam ab annis compluribus, nempe ab anno 946. quo Gerardus obierat, Pallii dignitas exulabat Patavia. Hanc Piligrinus (*b*) reducere quum pararet, a Friderico Salisburgensi repressus est, impetratis literis ex Benedicto (*c*) ejus nominis sexto, qui

a Hansiz. Tom. 1. Germ. Sacr. a pag. 203.
b Qui alias *Biligrim*, vero autem nomine, ut vult Lambecius, appellatur *Peregrinus*.
c Benedicti VI. Epistola ad Fridericum Salzburgensem Archipræsulem refertur ab eodem

qui anno 972. tempore autumnali Pontificatum iniit, annoque duntaxat uno & mensibus paucis gessit. Quibus literis Pontifex Friderico Salzburgensi ejusque successoribus concedit vicem Apostolicam in tota Norica provincia, & in tota Pannonia superiori & inferiori; ita ut nulli liceat in præfatis provinciis sibi usurpare Pallium. Sed Pallium, quo tunc Piligrinus exclusus est, brevi postea evicit apud Benedictum VII. qui quum anno 974. Pontificatum iniisset, eodem vel sequenti anno Pallium Piligrino contulit cum amplissima potestate. Enimvero erat Piligrini virtus & meritum ei honori par. Occasionem zelo ejus Apostolico præbuit gens Hungarorum, cujus is merito dici potest Apostolus. Ex quo enim memorabilis illa clades Hungarorum anno 955. ab Ottone perpetrata est, nullæ memoriæ sunt, eos inde aliquid, Ottone magno vivente, in Germaniam aut provinciam Orientalem ausos. Cujus tranquillitatis occasio stimulum subdidit viris Apostolicis de conversione ejus gentis cogitandi. Quo in numero erat Vvolfgangus monachus ejus cœnobii, quod in Sylva Hercynia Sveviæ situm est, cujus Cœnobitæ vocabantur Solitarii. „ Hic igitur majora æmu-
„ latus charismata (ut vitæ ejus descriptor Anonymus memo-
„ rat,) per Alemanniam devenit exul in Noricum, ad cujus
„ Orientalem plagam cum humili comitatu pergens, prædi-
„ candi gratia, Pannonica petiit confinia: ubi veterum frutices
„ ces errorum exstirpare, & steriles squallentium cordium
„ agros Evangelico ligone proscindere semenque fidei insemi-
„ nare frustra laborabat „. Venerat Vvolfgangus in Pannoniam sub initium Episcopatus Piligrini, idest, anno 971. ibidemque studium Apostolicum exercuit in annum secundum, quo a Pataviensi Pontifice laudato Piligrino ab incepto revocatus, eodem anno 972. ad Cathedram Ratisponensem (*a*) promotus est: dolebat enim idem Piligrinus, tantum colonum in

eodem Hansizio Tom. 2. pag. 159. ubi ait. „ Concedimus itaque vicem Apostolicam
„ Friderico Saltzburgensis Ecclesiæ Antistiti ejusque successoribus in tota Norica
„ provincia & in tota Pannonia, superiori videlicet & inferiori, quomodo sui ante-
„ cessores eandem potestatem a nostris habuere antecessoribus, ita scilicet, ut nulli
„ liceat in præfatis provinciis sibi usurpare Pallium, nec Episcopos ordinare, nec
„ ullum officium, quod ad Archiepiscopum pertinere debet, præter præfatum Ar-
„ chiepiscopum ejusque successores.

a Vide Pagium ad ann. 972. num. 7. de S. Wolfgango Episc. Ratisponæ. Annalista

in sulcis sterilibus expendere laborem. Contigit subinde, ut pax (*a*) inter Ottonem magnum & Geisam Hungarorum Regem anno 973. firmaretur: Hujus pacis fit mentio in vita S. Stephani, ubi de Geisa patre sic legitur: „ Etsi paganismi adhuc erroribus esset implicatus, attamen... cum omnibus vicinis circumquaque provinciis de pace cœpit accurate tractare „. Tractationem ejusdem pacis respicere videtur Epistola (*b*) Ottonis magni ad Piligrinum Episcopum, edita a Mabillonio Sæculo VI. Benedictino Par. I. pag. 81. & ab Hansizio Tom. I. pag. 207. in qua sic ait: „ Brunonem Episcopum vestræ mittimus & committimus dilectioni, ut quibuscumque apud vos indiguerit utensilibus, abundantissime adjuvetur; & tam vestris hominibus, quam & caballis aliisque in itinere rebus necessariis, quanto propius possit, Ungrorum confinio honorifice ac cautissime perducatur: nobis enim illuc erit delegandus, quo Rex eorundem nostro quampropere arbitrio sit colligandus. Vobis ergo magnopere sit studium hanc cautissime fieri legationem. Nam si, ut apud nos sedet, prosperabitur, vobis in hoc vestrisque omnibus consuletur.

V. Bruno Episcopus ab Ottone Imp. ad Hungaros legatus missus, a tribus aliis Brunonibus diversus, operam suam in Hungarorum conversione cum Piligrino Pataviensi Episcopo conjunxit.

Bruno iste Episcopus, quem Otto Imperator ad Regem Ungrorum legatum mittit pro pace stabilienda, quemque Piligrino Pataviensi Antistiti commendat, non est alius ab eo Brunone Episcopo, qui ex Monacho Corbejensi factus est Verdunensis Episcopus, Hermanni Saxoniæ Ducis consanguineus, quem Otto magnus *ob venerationem suam*, ut scribit lib. 2. Ditmarus, *Amalongo successorem statuit Episcopo*: Sedere autem cœpit anno 962. teste Annalista Saxonico, decessitque circa annum 976. longe virtutibus, quam genere clarior. Diversus proin-

---

sta Einsidlensis a Mabillonio Tom. 4. Analect. publicatus. „ Anno 972. Wolfangus „ Monachus ad Hungaros missus est; qui secundo anno Radasponensis Episcopus ordinatus est.

a Hansiz. Tom. I. pag. 207. scribit, anno 973. Geisam Hungaris præfuisse. „ Contigit (inquiens) ut (anno 973.) concordibus Hungarorum votis in principem sumeretur Geisa filius Toxi „. Fallitur: nam Toxus anno 955. palo suffixus obiit ut supra dixi. Eodem igitur, aut sequenti anno Geisa in Hungarorum principem electus fuit. Hunc Geisam Ditmarus lib. 8. appellat *Dejux*, Mendose, pro *Gei-Zau*, seu *Geichan*: idest *Gei Rex*.

b Sic inscribitur. Otto Dei gratia Imperator Augustus Piligrino venerabili Pataviensis Ecclesiæ Episcopo salutem & gratiam. Brunonem Episcopum &c.

proinde, 1. a Brunone illo Russorum Episcopo, qui nonnihil post Ottonis tertii mortem, regnante Henrico secundo Imperatore, benedictionem Episcopalem suscepit: quique a nullo scriptorum, neque a Ditmaro, qui ejus vitam conscripsit, eique familiaris fuit, proditur uspiam ad Hungaros abiisse aut operam in revocandis ad fidem Hungaris adhibuisse. 2. diversus ab altero Brunone, qui apud Ottonem III. (uti scribitur in Vita S. Adalberti Pragensis Episcopi) erat Clericus in Capella Regis, deinde anno 996. in Sedem Romanam sub nomine Gregorii V. fuit evectus. 3. diversus ab alio Brunone, quem Ademarus monachus S. Eparchii Engolismensis, facit Augustanum Episcopum decessorem S. Udalrici, eumque cum Brunone Russorum Apostolo & Martyre, de quo supra, confundit, his verbis. „ Erant Ottoni III. duo reverentissimi Episcopi, sanctus videlicet Adalbertus, & Sanctus Brunus Episcopus de civitate Osburg, quæ est in provincia Bajoariæ, consanguineus ejusdem Imperatoris. Adalbertus parvus statura; sanctus Brunus procero corpore erant. Ille abiit ad Pollianam provinciam (*idest, ad Poloniam*) & prædicare cœpit Evangelium. Quod exemplum ejus secutus Brunus Episcopus, petiit Imperatorem, ut pro eo juberet consecrari in sede sua Episcopum, quem elegerat, nomine Odolricum: quo & ipse humiliter abiit in provinciam Ungaricam, quæ dicitur Alba Ungria, ad differentiam alterius Ungriæ Nigræ, pro eo quod populus est colore fusco velut Æthiopes. Sanctus Brunus convertit ad fidem Ungriam provinciam, & aliam quæ vocatur Russia. Regem Ungriæ baptizavit, qui vocabatur Geitz, & mutato nomine in Baptismo Stephanum vocavit, quem Otto Imperator in Natali Protomartyris Stephani a Baptismate excepit, & Regnum ei liberrime habere permisit, dans ei licentiam ferre Lanceam sanctam ubique, sicut ipsi Imperatori mos est; & reliquias ex clavis Domini, & de lancea S. Mauritii ei concessit in propria lancea. Rex quoque supradictus filium suum baptizare jussit, & sanctus Bruno imposuit ipsi nomen sicut sibi Stephanum. Postea vero ipsi filio Stephano Otto Imperator sororem Henrici postea Imperatoris in conjugio dedit. At Sanctus Brunus quum ad Pincenatos (*idest Prussos*) properavisset,

„ set, & Christum prædicare cæpisset illis, passus est ab eis, „ sicut passus fuerat Sanctus Adalbertus. Nam Pincenati diabolico furore sævientes, viscera omnia ventris per exiguum foramen lateris ei extraxerunt, & fortissimum Dei martyrem perfecerunt. Corpus ejus Russorum gens magno pretio redemit, & in Russia monasterium ejus nomini construxerunt, magnisque miraculis coruscare cœpit „. Ab his tribus, inquam, Brunonibus diversus fuit Bruno Episcopus ab Ottone magno ad Hungaros ablegatus. Hic enim Bruno jam Episcopus erat temporibus Ottonis magni & Piligrini Pataviensis, quorum hic ab anno 971. ad 991. Sedem Pataviensem rexit: Otto autem magnus anno 973. decessit. At vero Bruno ille, qui anno 996. Romanam sedem conscendit, sub Ottone III. adhuc Clericus erat; alter autem Bruno Russorum Apostolus nonnisi regnante Henrico (hujus nominis secundo Germaniæ Rege,& I. Imperat.) post ann. scil. 1002. a Tagmone Archiepiscopo Magdeburgensi consecratus fuit Episcopus, deinde ad lucrum animarum (uti Ditmarus auctor est) laborem grandis & diversæ viæ subiit: duodecimo anno conversionis suæ ad Prussiam perrexit. Quum itaque in prædictæ regionis (nempe Prussiæ,) confinio & Rusciæ, primo ab incolis prohiberetur, & plus evangelizans, captus est,& XVI. Kal. Martii (*anni* 1008.) decollatus cum decem & octo suis sociis. Quorum corpora insepulta jacuerunt, quoadusque Boleslaus (Poloniæ Rex) ipsa mercatus est. Quare Ademarus monachus in sua de Brunone narratione multipliciter allucinatus est: tum quia Brunonem hunc, qui sub Ottone III. & Henrico I. Imp. vixit, facit Sancti Udalrici Augustani Episcopi decessorem, quum Udalricus annis non minus sexaginta ante Ottonem III. Sedem Augustanam conscenderit: tum etiam quia eumdem Brunonem Prussorum Russorumque Apostolum in Hungaria prædicasse affirmat Regesque Geisam ejusque filium baptizasse, quum prædicationis illius apud Hungaros exercitæ, præsertim adeo gloriosæ, qua & Rex & filius Regis ad Baptismum adductus sit, sane deberet aliquod indicium apud Ditmarum eidem Brunoni & sanguine & familiaritate conjunctum exstare: præterquam quod Ademarus in hoc a Ditmaro differt, quod hic sacras Brunonis Reliquias a Boleslao Poloniæ Rege, Ademarus vero a Russis emptas

emptas tradit. Stat ergo Brunonem quidem a Ditmaro laudatum, Prussis Russisque post annum 1000. prædicasse, non tamen Hungaris: eum vero Brunonem Episcopum, qui anno circiter 972. ab Ottone magno fuit Piligrino Pataviensi commendatus, & ad Hungaros missus, Virdensi Ecclesiæ præfuisse. Hic enim ab Ottone magno delectus, qui conciliata cum Hungarorum Rege concordia, viam stravit religioni. Is quippe erat Otto magnus (ut verbis Hansizii, ex quo hoc totum hausi, utar) in quo mirificum Religionis propagandæ studium passim celebrant scriptores. Ei Bohemorum, ei Polonorum ad Christiana sacra traductio maximam partem debetur. Idipsum igitur conatus in Hungaris, memorati Brunonis Episcopi opera eos flexit ad consilia pacis, eoque adduxit, ut ipsi pariter legatos ad se mitterent, uti videre est apud Lambertum Schafnaburgensem, qui ad annum 973. sic refert: „ Otto Imperator „ Senior cum Juniore venit Quidilinburg, ibique celebravit „ sanctum Pascha x. Kal. Aprilis: illucque venerunt Legati „ plurimarum gentium, videlicet, Romanorum, Græcorum, „ Beneventanorum, Italorum, Ungarorum, Danorum, Sclavorum, Bulgarorum, atque Russorum cum magnis muneribus „. Hæc Lambertus: cui consentiunt Chronographi omnes quorum nullus est, qui non in cæteris legatos etiam censeat *Ungarorum*. Quæ quum anno 973. facta sint, perfacile est conjicere de tempore legationis a Brunone Episcopo obitæ, adeoque de anno Epistolæ Ottonianæ ad Piligrinum datæ.

VI.
Ad Christianam fidem in Hungariam inducendam etiam Geyzæ Regis uxor operam suam impendit. Beleknegine seu Sarholtæ nomen ei fuisse perhibetur, patremque habuisse dicitur Gylam Transylvaniæ Ducem. Filiam ipsius in uxorem accepit Boleslaus Poloniæ Dux, Miecislai filius.

Igitur pace in eo, quem dixi, conventu constituta, simul invitatus est Piligrinus, qui illic aderat, ad opus Evangelicum in Hungaris per se, aut suos auspicandum: neque dubium, Geisæ Principi ad hoc consilium capessendum magno stimulo, præter auctoritatem Ottonis, quæ summa apud omnes erat, etiam exemplum Bohemorum ac Polonorum fuisse, quos ejusdem Ottonis adnisu ad meliora traductos constiterat; in primis autem uxor Geisæ eam laudem a posteris tulit: etenim, ut in actis S. Adalberti Pragensis Episcopi a Monacho coævo scriptis proditum est, ejusmodi erat, quæ *totum regnum viri manu tenuit, & quæ erant viri, ipsa regebat; eaque duce Christianitas erat cepta*. Ditmarus lib. 8. ejus etiam nomen enunciat: „ Uxor (inquit Geisæ) Beleknegini, idest, pulchra Domina,

„ Slavonice dicta, supra modum bibebat, & in equo, more „ militis iter agens, quendam virum iracundiæ nimio fervore „ occidit „. Hæc Ditmarus: quos tamen mores instituto Christiano correctos, opere præclarissimo introductæ Christianitatis eluit: quemadmodum & idem Ditmarus de Dejux sive Geisa, ipsius Beleknig inæ marito, ibidem scribit: „ habuit hic (inquiens de Boleslao Poloniæ Rege, vulgo Chrabry appellato, qui filiam Geisæ in matrimonio habebat.) „ Habuit hic „ Boleslaus quandam urbem in confinio Regni sui & Ungariorum „ sitam, cujus erat custos Procui senior, avunculus Regis „ Pannonici, a suis sedibus ab eodem antea expulsus. Qui „ quum uxorem suam a captivitate non posset absolvere, gra- „ tuitu nepotis sui, quamvis inimici, suscepit eam ex munere. „ Nunquam audivi aliquem, qui tantum parceret victis, & „ ob hoc in civitate superius memorata, sicut in cæteris sedu- „ lum, Deus eidem concessit victoriam. Hujus pater erat „ Dejux nomine, admodum crudelis & multos ob subitum fu- „ rorem suum occidens. Qui quum Christianus efficeretur, ad „ corroborandam hanc fidem contra reluctantes subditos, sæ- „ vum & antiquum facinus, zelo Domini exæstuans, abluit. „ Hic Domino omnipotenti, variisque Deorum illusionibus „ immolans, quum ab Antistite suo ob hoc accusaretur, divi- „ tem se & ad hæc facienda satis potentem affirmavit „. Uterque conjux, *Geisa* scil. & *Beleknegine*, suscepto Baptismo, pristinos barbaros mores abluit, tametsi nonnihil ex avita Hungarorum superstitione retinuisse Geisa dicatur. Quos tamen Ditmarus *Dejux*, & *Beleknig inem* appellat, illos rerum Hungaricarum scriptores vocant *Geisam*, & *Sarboltam*. Thuroczius cap. 27. „ Geycha vero divino præmonitus oraculo, anno „ Dom. Incarn. 969. (quemadmodum (*a*) in Legenda Sancti „ Stephani Regis scriptum est) genuit Sanctum Stephanum „ Regem ex Sarolth filia Gyulæ „. Ranzanus Indice VIII. „ Geicha suscipit filium ex Sarolta, Giulari (*b*) viri nobilis- „ simi

a In Legenda S. Stephani nomen *matris Sarolta* non edisseritur: neque annus 969. (quo Stephanus natus sit) exprimitur. Quinimo quum idem Stephanus dicatur eodem anno natus & baptizatus a S. Adalberto, qui nonnisi anno 980. Episcopus consecratus est, consequitur, neque Stephanum ante annum 980. natum fuisse.

b Quum *Sarolta* S. Stephani mater, dicatur *filia Gjulæ Viri nobilissimi*, Transylvano-

„ ſimi filia, anno ab ortu Domini noſtri, generis humani Sal-
„ vatoris, ſexageſimo nono ſupra nongenteſimum „. Gei-
chæ (a) nomen alii in *Geiſam*, *Geitz*, *Geizonem*, *Geiſonem*, *Giſonem*, convertunt. Miechovius lib. 2. cap. 8. *Gyeſſe*; Cromerus lib. 3. cap. 2. *Jeſſe* appellat, cujus filiam *Juditham* ſcribit a Mieſislao Poloniæ Duce in matrimonium collocatam filio ſuo *Boleslao*: „ Dum in his (inquiens) totus eſt Miezis-
„ laus, naſcitur ei filius ex uxore Dambrowca (*Boleslai Bohe-*
„ *miæ Ducis filia*) anno Chriſti 967. ut vult Dlugoſsus: eique
„ apud ſacrum fontem, avi materni Boleslai, qui per id ipſum
„ tempus e vivis exceſserat, nomen imponitur. Adulto dein-
„ de, pater vivens adhuc uxorem accepit Juditham, Geiſæ
„ ſive Jeſsæ Ungarorum Principis affinis ſui filiam, ex priore
„ uxore ſuſceptam. Nam ea mortua, ſororem ei ſuam Adlei-
„ dam Miezislaus in matrimonium collocarat: a qua perſuaſus
„ Geiſa, cum Ungaris ſuis Chriſtianam & ipſe religionem
„ quinto (b) poſt Polonos anno (*Bohemi anno Chr. 965. unacum Miezislao duce Chriſtianam fidem amplexi fuerant*, *eodem Cro-*
„ *mero ſcribente*) ſuſcepit, quemadmodum Dlugoſsus & Va-
„ povius memorant. Ungari Annales nullam Adleidæ hujus,
„ aut omnino alterius uxoris Geiſæ, mentionem faciunt: ſed
„ eum Chriſtianum jam ante factum, Ungaros ad ſuſcipiendam
„ religionem eandem adduxiſse, & ex Aſcolta (*al. Sarolta*)
„ Giulæ Tranſylvanorum Ducis filia, Stephanum filium &
„ hæredem reliquiſse. Quandam autem certam ejus temporis
„ hi-

vanorum nempe Ducis, exinde intelligitur, cur Geiſa illius maritus tam prono fuerit in Chriſtianos animo. Nam Giula Saroltæ pater, idem ipſe videtur ac *Gylas*, quem Byzantini hiſtorici nomen Chriſto dediſſe, ſemperque fœdus cum Byzantinis Imperatoribus coluiſſe teſtantur. Recole quæ ſupra de Gyla, & Boloſude recitavi.

a *Gei-cha*, nomen Turcicum, *Gei-chan*, ideſt, *Gei Rex*.

b Hoc falſum: nam ſic Geiſa baptizatus fuiſſet anno 970. Atqui non ante annum 980. eum unacum filio Stephano baptizatum, ex dicendis patebit. Manſius not. 1. ad ann 997. de Geiſæ & Stephani baptiſmo hæc habet. „ Nec Stephani alicu-
„ jus Hungariæ Regis baptiſmus ab idoneis ſcriptoribus commemoratur alius, niſi
„ Stephani illius, qui Giſlam duxit; quas nuptias Henricus ipſe Imp. anno 1009.
„ teſte Bruſchio in Epiſcopis Paſſavienſibus, conciliavit, & quarum occaſione Geiſa
„ in Baptiſmo Stephanus, ad fidem venit. Non ergo id fieri a S. Adalberto potuit,
„ qui diu ante annum 1009. deceſſerat „. Recte quidem negat Manſius, Geiſam patrem in Baptiſmo vocatum Stephanum: nam filius Vaich in baptiſmo nomen Stephani accepit. At unacum Bruſchio fallitur, dum Stephani baptiſmum & nuptias cum Giſla contractas ad ann. 1009. refert. Circa annum 983. baptizatus fuerat a S. Adalberto: anno 997. mortuo patre ſolus regnavit. Circa annum 1001. Giſlam duxit: uti mox patebit.

„ historiam Ungari non habent, nec satis sibi constat etiam in „ temporum ratione Bonfinius: nos tamen litem hanc non dirimemus. Illud quidem constat, vel eodem tempore, vel „ certe paulo posterius Ungaros, quam Polonos, populariter „ cum suis Principibus Christo nomina dedisse, Stephanumque Geisæ filium a Divo Voicecho sive Adalberto primis „ Christianorum mysteriis initiatum, vel certe confirmatum „ esse, anno post Christum natum 990. „ Hæc Cromerus. Nos de anno, quo Geisa ejusque filius Stephanus Baptismum suscepere, infra disseremus. Interim, (quidquid Cromerus aliique de binis Geisæ uxoribus dicant, quidquid etiam Annalium Ungaricorum scriptores Stephani matrem *Saroltam* Giulæ filiam scribant,) Ditmaro Episcopo Merseburgensi, auctori æquali, non consentire non possumus, qui uxorem Geisæ *Belekneginem* vocat, ejusque filiam Boleslao Poloniæ Duci nuptam disertim tradit; filium autem successoremque vernaculo sermone *Vaic* appellatum testatur; cujus nempe nomen in Baptismo *Stephanus* fuerit.

VII. Piligrini Episcopi ad BenedictumVII Pontificem Epistola de propagata apud Hungaros & Slavos Christiana fide.

Sed redeo ad Geisam Regem, & Piligrinum Episcopum. Piligrinus, post Ottonis magni obitum, unacum reliquis Bavariæ Episcopis (uti habet vita S. Udalrici) Francofurti in Francia Orientali, novi Imperatoris Ottonis secundi anno 973. mense Majo in Sede Regni locandi gratia, aberat: quæ causa erat, quod Episcopo Augustano Udalrico sanctissimo viro cum morte subinde luctanti (quod ei in votis erat) adesse non posset. Mense Julio (*a*) Udalricus excessit, eodemque cum aliis Episcopis redibat ex Colloquio Piligrinus, qui negotium Apostolicum ad Hungaros continuo suscepit. Dimissi Monachi, & Canonici, Presbyteri, & alii Clerici (quod ipse ad Benedictum Papam scribit) tantusque fructus brevissimo tempore extitit, ut de nobilioribus Hungaris ad millia quinque salutari lavacro tingerentur. Ceterum pars populi, qui sub Hungarorum jugo agebant, erant Christiani, ex omni mundi parte illuc in captivitatem abducti. His eatenus nunquam licuit proles suas nisi furtive Domino consecrare: Ecclesiæ nullæ: nullus Servatoris cultus: terror enim gentis prædicatoribus omnem clau-

a Mors S. Udalrici contigit anno 973. die 4. Julii. Vide Pagium ad ann. 972. num. 3.

claușerat aditum: modo autem certatim offerebant baptizandas proles; oratoria conſtruebant, ſolvebantque linguam in laudem Dei; barbaris ipſis etiam gentilibus hæc impune tolerantibus, nec prohibentibus Sacerdotes, quocumque libitum eſset proficiſci. Quibus incrementis auditis haud ſuſtinuit Piligrinus, quin ipſe quoque ad miſsionem tam felicem accurreret; compertoque cunctam nationem eſse pronam ad fidem tam Ungarorum, quam eorum quoque, qui vicinas Slavorum provincias incolerent, adeoque meſsem eſse multam, operarios autem paucos; non diſtulit gaudium ſuum communicare cum Summo Pontifice, qui tunc erat Benedictus VII. in Sedem Romanam anno 974. recens impoſitus. Ad hunc ex ipſa Pannonia miſsis duobus Legatis Presbyteris, ſcripſit Epiſtolam, in qua explicato primum Evangelii uberrimo fructu, cui legendo ſe unum videret omnino imparem, orat, ut juberet aliquos ordinari Epiſcopos ex veteri more Metropoleos Lauriacenſis, cui jam olim ſeptem Epiſcopi in Pannonia & Myſia exſtiterint ſubjecti; ad hæc Pallium Pontificium, quod ſui Anteceſsores ab Sede Romana accipere conſuevisſent, tranſmitti; denique confirmari Eccleſiæ ſuæ privilegia. Ad probandam autem rectitudinem fidei ſuæ, ſubjungit Profeſsionem fidei, numeris omnibus abſolutam. „ Notum fieri dignetur vobis (inquit „ (*a*) Piligrinus) ſumme Sacerdotum Præſul, quod ſuper „ omne animi mei deſiderium nunc delectarer, & Apoſtolo„ rum viſitare limina, veſtraque optabili perfrui præſentia, & „ ea facie ad faciem, quæ literis & internunciorum committo „ indiciis, ſanctiſsimæ paternitati veſtræ coram rationari: niſi „ quod a Neophyta Ungarorum gente huc ire prohibeor, apud „ quam fœdere (*b*) pacto, ſub occaſione pacis, fiduciam „ ſumpſimus operam exercere prædicationis. Hujus enim ter„ ror gentis ex longo tempore etiam aliarum provinciarum „ prædicatoribus meæ diœceſis hactenus aditum clauſit, ad „ quas nihilominus præſentis opportunitas temporis ire me „ vocavit. Quibus Deus omnipotens, quoniam ſolita ſua pie„ tate ſemper diſperſa congregat, aperire dignatus eſt januam „ cordis ſui, diu clauſam: ut diſciſso velamine duritiæ ſuæ, „ de-

a Epiſtola Piligrini Lauriacen. & Patavien. Epiſc. ad Benedictum PP. VII.
b Alludit ad pacem inter Ottonem & Geiſam factam anno 973.

„ depositaque ferina crudelitate, leni jugo Domini colla submittant. A qua ergo præfata Ungarorum gente multis precibus ipse invitabar venire, aut missos meos in opus Evangelii illuc dirigere. Ad quos dum transmitterem satis idoneos viros ex Monachis, canonicosque Presbyteros, atque de singulis Ecclesiasticis gradibus Clericos, & vita omnique conversatione illorum sic ordinata, quemadmodum in gestis Anglorum didici; tantum divina gratia fructum statim ministravit, ut ex eisdem nobilioribus Ungaris utriusque sexus catholica fide imbutos, atque sacro lavacro ablutos circiter quinque millia Christo lucrarentur. Christiani autem, quorum major pars populi est, qui ex omni parte mundi illuc tracti sunt captivi, quibus nunquam soboles suas licuit, nisi furtive Domino consecrare; modo certatim, nullo obstante timore, offerunt eos baptizare, & gratulantur omnes tamquam de peregrinatione sua in patriam reducti, quod Christiano more oratoria audent construere, & licentia percepta linguam ligatam in laudem Salvatoris præsumunt solvere. Ipsi enim barbari, mira omnipotentis Dei operante clementia, quorum licet adhuc gentilitate sint quidam detenti, nullum tamen ex illorum subditis vetent baptizari; nec Sacerdotibus invident, quocumque libet proficisci: sed ita concordes sunt pagani cum Christianis, tantamque ad invicem habent familiaritatem, ut illic videatur Isaiæ impleri prophetia: Lupus & Agnus pascentur simul: Leo & Bos comedent paleas. Factum est ergo, ut pene cuncta Ungarorum natio sit prona ad percipiendum Fidem sanctam; sed & aliæ Sclavorum provinciæ ad credendum promptæ; & est ibi messis quidem multa, operarii autem pauci. Inde quoque visum est jam necessarium esse, quatenus sanctitas vestra illic jubeat aliquos ordinari Episcopos: quia & quondam Romanorum Gepidarumque tempore proprios septem Antistites eadem Orientalis Pannonia habuit, & Moesia, meæ sanctæ Lauriacensi, cui ego indignus ministro, Ecclesiæ subjectos: quorum etiam quatuor, usque dum Ungari Regnum Bawariorum invaserunt, sicuti præsenti cognitum est ætati, in Maravia manserunt. Quod nimium grave ac valde onerosum est mihi, ut mei Pontificii Parochias solus prædi-

„ can-

„ cando circumeam : quibus necessitate & adjutorii inopia „ cogar nunquam meam subtrahere præsentiam. Ecce, Dominorum amantissime, hujusmodi Ecclesiasticis mancipatus „ officiis detineor : & ne fecissem moram sæpedictæ gentis con„ versioni, ire & prosterni ad vestra sanctissima vestigia distu„ li. Legatos autem meos, præsentium scilicet portitores, ad „ vestram destinavi serenitatem: quos audire dignetur, quæ„ so, clementia vestra, & eorum, meisque mixtim precibus „ præbere assensum; quatenus Pallium, infulamque Pontifi„ calem, quod speciale munus honoris ab hac Sede tantum „ dirigitur Metropolitanis, quod etiam mei Prædecessores a „ gloriosis hujus principalis Cathedræ Primatibus accipere so„ liti erant, mihi vero hoc ipsum benigno animo per illos di„ rigere dignetur. Pariterque etiam Privilegia Apostolicæ au„ ctoritatis, meæ Ecclesiæ per eosdem missos meos, vestris „ præsentata sacris obtutibus, more prædecessorum vestrorum, „ roborari supplico & confirmari: ut hac Apostolica sanctione „ & benedictione munitus, mihi commissi populi gubernatio„ nem Canonice exequi valeam, & vestris in die judicii ratio„ nibus imputetur, quod in illis finibus ex Paganis nova Eccle„ sia Domino lucratur. Quondam variæ ac perversæ hæreti„ corum sectæ timendæ sunt, quos sæpe contigit deprehendi, „ alios quibus præsunt, errore suo corrumpere, quos agni„ tione orthodoxæ veritatis debuerant illustrare. Ut hæc tam „ pestifera de me amputetur suspicio, solemne Symbolum ca„ tholicæ fidei, quam ipse teneo ac doceo, vestro Apostolatui „ profitendum salubre censeo. Confiteor & credo sanctam „ atque ineffabilem Trinitatem „. Cetera.

VIII. Benedicti VII. Papæ ad Piligrinum responsiva Epistola : cujus epocha ab Hansizio v. c. statuitur ad exeuntem annum C.974. vel ineuntem 975.

Benedictus VII. Pontifex tanto Evangelii apud Hungaros & Sclavos profectu lætus, indulget Piligrino omnia postulata: Pallium cum potestate ordinandi Episcopos, jura antiqua Ecclesiæ Lauriacensis roborat, simul divisis illius & Salisburgensis Dioeceseon terminis ad formam ab Agapito II. alias constitutam; eo tamen discrimine, ut ordo præcedendi non esset unice, quod Agapitus decreverat, penes Lauriacensem; sed ad morem Anglorum, *qui prior esset in ordinatione, idem esset prior in ordine*. Epistola Benedicti Papæ sic inscribitur: „ Di„ lectissimis nobis in Christo filiis, Hrodberto Moguntinæ Ec-

„ clesiæ ; & Diotrico Sanctæ Treverensis Ecclesiæ ; atque „ Adalberto sanctæ Magdeburgensis Ecclesiæ : parique modo „ Gereoni sanctæ Coloniensis Ecclesiæ ; atque Friderico sanctæ „ Juvavensis Ecclesiæ : sed & Adalgago sanctæ Bremensis Ec- „ clesiæ, Archiepiscopis. Pariterque Domino Ottoni glorio- „ sissimo Imperatori Augusto : atque nepoti suo Henrico præ- „ cellentissimo Duci Bawariorum : ceterisque omnibus Epi- „ scopis & Abbatibus, Ducibus, atque Comitibus Galliæ atque „ Germaniæ. Benedictus Divina gratia præditus, Apostolicæ „ Sedis Pontifex, servus autem servorum Dei, in Domino sa- „ lutem. Oportet justis supplicationum petitionibus nos sem- „ per faciles & humiles exhibere „. Reliqua vide Tom. IX. Concil. Labb. pag. 719. necnon apud Hansiz. Tom. I. Germ. sacr. pag. 213. qui subjungit pag. 215. „ De harum literarum „ sinceritate, si Mezgerum excipias, dubitat, quod sciam, ne- „ mo. De tempore, haud admodum difficulter statuitur. „ Valde discedimus a Pagio, qui eas ad annum 977. affigit, „ Lambecioque (a) hac in re pollicem premit. Character „ temporis figitur in morte Hrodberti Moguntini Archiepi- „ scopi, cui primo loco Benedictus VII. epistolam responso- „ riam inscripsit. Mortuus est Hrodbertus anno 975. uti cer- „ tissimum est ex Ditmaro, Chronographo Saxone, Necrolo- „ gio Fuldensi, Annalista Hildenshemensi. Dies obitus poni- „ tur ad Idus Januarii, idest, 13. Januarii, ut liquet ex Necro- „ logio Moguntino, Hildesiensi, & Fuldensi. Certum igitur „ est Epistolam Piligrini scriptam esse anno priori, quo con- „ stabat Hrodbertum Moguntinensem adhuc vivere: fluxit „ inde tempus, quo legati Piligrini tendebant Romam : rur- „ sum tempus, quo Romæ super petitione Piligrini delibera- „ batur, quod certe non stapede, ut dicitur, confectum fue- „ rit. Porro epistolam Benedicti VII. pariter scriptam opor- „ tuit

a Pagius ad ann. 979. num. IX. Lambecius, qui eas refert, observat has literas inter annum 975. quo Benedictus VII. creatus Pontifex, & 977. exeuntem scriptas esse, quum Robertus Moguntinus, & Diotericus, seu Theodericus Archiep. Treviren. anno 977. teste Trithemio in Chron. Hirsaugiensi, vivendi finem fecerint. Imo ex anno 977. scriptæ, quum ibidem referat Lambecius Epitomen diplomatis ab Ottone II. emissi, quo is Metropolitanam Ecclesiæ Lauriacensis dignitatem confirmavit literis, in quibus dicitur. „ Dat. III. Non. Octob. anno Dom. 977. Ind. VI. anno regni Dñi Ottonis Imp. Augusti XVII. Actum in civitate Ratisbona. Quod effectus fuit commendationis Bened. VII. cui detulit Otto II. Hactenus Pagius.

„ tuit eo tempore, quo Romæ nihil dum constabat de Hrod-
„ berti morte, adeoque circa finem anni 974. aut certe initium
„ sequentis, quo forte nuncius de obitu Hrodberti Romam
„ necdum appulerit. *Et paulo post*. Certum interim est, Be-
„ nedictum VII. posteriori aliquo mense anni 974. fuisse ordi-
„ natum (nam anterius ordinatum non fuisse, indubitatum
„ est apud omnes) quem mensem recte statuere possumus Au-
„ gustum: quandoquidem (ut conjectat Papebrochius) Do-
„ nus II. Benedicti VII. decessor, circa initium Aprilis sedere
„ cœperit, sederitque per menses tres, nempe ad finem usque
„ Junii: inde secutum Interpontificium per mensem & ultra,
„ post quod ordinatus sit Benedictus, quæ ordinatio cognosci
„ a Piligrino poterat mense minimum Septembri; inde legati
„ Piligrini Romam appellere mense Octobri aut Novembri;
„ eodemque aut sequenti (*vel saltem Januario*) accipere a
„ Pontifice literas responsorias: quas tamen ob turbas Boja-
„ ricas subinde exortas Piligrinus forte omiserit promulgare,
„ quo factum sit, ut anno etiam 976. mense Julio in datis Ot-
„ tonis II. pluribus Piligrino Diplomatis, titulus tamen Ar-
„ chiepiscopi ei neutiquam detur „. Tum vero pergit Hansi-
zius enarrans turbas ab Henrico Bojorum Duce, Ottonis II. Augusti nepote, excitatas circa finem anni 974. „ Turbarum
„ Bavaricarum (inquit) dum memini, novum existit argumen-
„ tum Chronotaxis nostræ: nam quum literæ Benedicti inscri-
„ ptæ sint etiam *Henrico praecellentissimo Duci Bavariorum*,
„ nepoti Ottonis, manifestum est eas esse datas ante ejusdem
„ Henrici seditionem in Ottonem commotam, idest, sub fi-
„ nem anni 974. Tunc enim Henrici motus eruperunt, ob
„ quos idem Henricus vel tunc, vel sub initium anni 975. in
„ custodiam ab Ottone compactus, deinde penitus Bavariæ
„ Principatu proscriptus est „. Ea in seditione Henrico fave-
bant præter Abrahamum Frisingensem & Henricum Augustensem Episcopos, Henricus Carantaniæ Dux, Boleslaus Bohemiæ, Miecislaus Poloniæ, & Heraldus Danorum Reges: Hungari quoque, quos constat arma brevi intulisse in Austriam contra Marchionem & Piligrinum, qui constantes in fide Ottonis permanserant. Demum Otto signis in Bojariam illatis, anno 976. sævitiæ modum posuit, Henrico exauctorato & omni

provincia expulso. Tunc sua gratia meritis Piligrini constitit: Otto namque complura ei diplomata concessit, quæ ab Hansizio a pag. 216. referuntur data anno 976. in quibus, ut supra dicebam, titulus Episcopi dumtaxat ei attribuitur: „ quia forte „ serius allatum esset Rescriptum Pontificium, vel in ea Bojariæ „ perturbatione Piligrinus illud non promulgaverit; vel quod „ Otto Friderico Salisburgensi hunc aculeum tali tempore noluerit infigere: quod verisimillimum videtur: nam Bavaria „ demum composita, metuque factionum sublato, ei titu„ lum Archiepiscopi per Diploma (*a*) impertitus est, Ec„ clesiamque Pataviensem pro Lauriacensi agnovit. Certe „ tamen literæ Pontificiæ fuerant eo adhuc tempore conscri„ ptæ, quo Romæ nondum constabat, Henricum Ottoni re„ bellem esse.

IX.
Hungarorum incursiones in Orientalem Franciam ab anno 975. usque ad ann. 985.

Sed quamquam anno 973. (ut supra dixi) magnus apud Hungaros factus esset Evangelicæ prædicationis profectus; in ea tamen, quam Henricus Bavariæ Dux unacum Polonis & Bohemis adversus Ottonem Imp. usque ad finem anni 975. inierat conspiratione, Hungaros socios habuit, qui, Geisa Rege seu volente, seu obniti non audente, fines Orientalis Franciæ usque ad annum 984. invadere, raptare, incendere non destiterunt. Id perspicue apparet ex literis Ottonis II. & III. nam illos ultra Erlaffam fluvium progressos, populares & colonos, quos Vvolfgangus Ratisponensis Episcopus, ad Pechlariam & loca vicina Ecclesiæ Ratisponensi vectigalia, nuper deduxerat, crebris populationibus infestasse, idque in causa fuisse Vvolfgango, ut munimentum in loco Zwisila, quo major Ecclesia cum minore congreditur, extrueret, ut tutiores ibi Coloni ab infestatione Ungarorum manere possent, testatur Otto II. in lite-

a Dat. Nonas Octobr. „ Anno Dom. 977. Ind. vi. Anno Regni Dn. Ottonis „ Imp. Aug. xvii. Actum in civit. Ratispona. Quo diplomate decernit, ut quemadmodum priscis temporibus S. Lauriacensis Ecclesia, quæ extra murum in honorem „ S. Stephani, sanctique Laurentii constructa & dedicata est, ante dissidium & desolationem Regni Bojorum, mater Ecclesia & Episcopalis sedes fuit; ita deinceps „ pristino honore ac dignitate, Canonica authoritate, perfruatur: quam & præsenti „ præcepto nostro renovamus atque roboramus, & jam sæpedictæ Lauriacensis Ecclesiæ venerabilem Piligrinum reinthronizamus Antistitem, quatenus amodo tam „ ipse, quam omnes sui successores Lauriacenses fiant & nominentur Pontifices.

literis, quibus (*a*) eidem Episcopo dat (*b*) veniam castellum illud in loco dicto construendi: Dat. an. 979. Tenuisse tunc videtur Geisa loca Erlaffæ fluvio vicina, atque in his *Mellicum*, arcem in rupe ardua sitam, vetus ejus regionis munimentum. Secus enim (ut recte advertit Hansizius, cui hæc omnia debemus) quid ab Hungarorum infestatione erat colonis Vvolfgangi metuendum? Sed patrimonium Ecclesiæ Pataviensis, quod propius ad Orientem cubabat, id demum tristissimas omnium perferebat clades: adeo ut fieret, quod Piligrinus apud Ottonem III. lamentatus est „ res ad Episcopatum suum pertinen„ tes in Orientali plaga, Barbarorum limiti adjacentes, cre„ berrima eorum devastatione infestari; ab iisdem Barbaris „ tam irrecuperabili se damno læsum in interfectione & dire„ ptione Ecclesiæ suæ familiæ „. Hæc funesta Piligrini conquestio refertur totidem verbis in tabulis (*c*) Ottonis III. signatis anno 985.

Facem Hungaris prætulere Bohemi & Bajoarii iidem, quos ab Ottonis II. fide defecisse, narrant historici: neque restingui potuit incendium, propterea quod esset Germania diversis implicata bellis, videlicet anno 979. cum Lothario Galliæ Rege: deinde annis tribus sequentibus cum Græcis in Calabria: quod bellum Ottoni funestum fuit, quippe apud Urbem Romam extincto

a Hundius in Metrop. Salisburgen. pag. 194. de S. Vvolfgango Episc. Ratisbonensi: „ Idem S. Vvolfgangus ex monte prope Veltenburg, castellum fecit & Ecclesiam S. Mariæ dedicavit.

b Diploma Ottonis II. apud Gevoldum in Additionibus ad Hundium pag. 251. Dat. 11. Id. Octob. Anno vero secundi Ottonis XV. Imperii autem IX. Actum Ratisbonæ. Notum sit omnibus &c. quia vir vener. Vvolfgangus Reganespurgen. Episcopus adiens celsitudinem culminis nostri, innotuit auctoritati nostræ, in terra quondam Avarorum juxta fluviolum, qui Erlaffa dicitur, locum quemdam, qui Sreinina Chircha nominatur, quem per multa annorum curricula desertum ipse de Bavaria missis colonis incoli fecit. Qui ut tutiores ibi ab infestatione Ungrorum manere possent, petiit nostram serenitatem, locum quemdam inter majorem & minorem Erlaffam situm, ubi ipsi conveniunt, castellum ad construendum, qui vocatur Zuisila. Cetera.

c In Additionibus Gevoldi ad Episc. Lauriacen. & Patavien. pag. 361. Diploma Ottonis III. dat. pridie Kal. Octob. Anno Dom. Incarn. 985. Ind. XIV. Anno autem Tertii Ottonis regnantis 2. Actum Babenbergæ. Notum sit cunctis.. Qualiter Piligrinus sanctæ Patavien. Ecclesiæ Ven. Præsul, Episcopatus sui pertinentiam in Orientali plaga Barbarorum limiti adjacentem creberrima eorum devastatione infestari, nostræ conquestus est pietati; a quibus etiam barbaris, moderno nostri quoque Regni tempore, miserabili lamentatione adjecit, tam irrecuperabili se damno læsum in interfectione & direptione Ecclesiæ suæ familiæ, præter innumerabilia deprædationum, & incendiorum dispendia, ut absque habitatore terra Episcopi solitudine silvescat. Cetera,

cto VI. Id. Decembr. anno 983. Cujus interitu res iterum in Germania turbatæ. Ottonis unica soboles Otto itidem (hujus nominis III.) erat, ætate tenellus. Ea fuit Henrico Bojo, quem Bojariæ principatu Otto II. nuper dejectum, in exilium deportandum jusserat, occasio resumendi ambitiosa consilia. Ad eum etiam conversi omnes Bavariorum Episcopi, teste Ditmaro: sed quod reliquorum fere Principum fides esset Ottoni puero desponsa, quem ipso die Natalis Domini anno exeunte 983. Regem Germaniæ salutaverant, retulit se Bojus demum ad officium: paxque reddita Germaniæ anno 984. Subinde autem, quod irruptionibus Hungarorum modus non esset, evigilatum tandem ad diligentiorem custodiam limitis Orientalis. Emissus adversus Hungaros Luitpoldus, quem vulgo *Illustrem*, seu ex genere, seu gestis cognominant, cujus adventum in Austriam anno 984. contigisse, colligitur ex laudato supra ad oram Ottonis III. diplomate dat. an. 985. ubi ait,, Barbaros in plaga Orien-
,, tali moderno Regni nostri tempore (*idest ab anno* 984.) da-
,, mno irrecuperabili Ecclesiam Pataviensem affecisse,,. Ad expellendos igitur Hungaros (uti ait monachus quidam Mellicensis in vetusto chronico alloquens Leopoldum VI. Austriæ Ducem, qui ab anno 1178. ad 1195. Austriæ præfuit),, Leopol-
,, dus ab Cæsare missus, terram hanc cum multo comitatu adiit:
,, castrum munitissimum in monte Mellicensi situm, quod ho-
,, mo potentissimus nomine Gizo tenebat, magna vi cepit
,, atque destruxit, ibique Canonicos XII., ne videlicet aliqua
,, in eo mutatio restaurari posset, instituit: sic itaque omni
,, terra potitus multis annis, per successores suos, vestros scili-
,, cet majores, marchiam suam strenue tuebatur, & dilatavit.
Hæc ille de Leopoldo Austriæ Duce, & Hungaris. Nam *Gisonem illum hominem potentissimum*, ut Mellicensis Chronographus appellat, Bonfinius & alii fere *Geisam Hungarorum principem* interpretantur: qui quum haud multis ante annis (ab anno scil. 955.) apud Hungaros regnare cœperit, inde aliquo tempore pacem cum Germanorum Regibus coluerit, demum anno 978. occasione belli Gallici, in Noricum inferius irrupisse, & Colonos Ratisbonenses apud Erlaffam ex vicino castro Mellico infestasse, easdem populationes annis etiam insequentibus continuasse, ex allatis Ottonis II. & III. instrumentis compertum

pertum habetur. Huc accedit, quod anno 985. (Aventino (a) teste) Ducum & omnium Bajoariæ Episcoporum conventus apud Tulnam oppidum habitus narratur, in quo decretum, quando ea regio Bojariæ tædio vicinorum Ugrorum ob horum crebras incursationes in solitudinem redigebatur, ut allicerentur novi coloni indulgentia & largitionibus, qui nomina sua darent, terramque excolerent; tributa, militiæ vacationem, terram eam repurgantibus & incolentibus remittendam esse. Novos incolas omnium munium expertes fore, constitutum: dataque Bojorum Episcopis, Monachis, Sacerdotibus, Nobilitati, ibi castella, oppida, arces, adversus Ugros constituendi muniendique potestas „ ex quibus colligitur, Barbaricam illam Ungrorum incursionem saltem usque ad finem anni 985. continuasse.

X. Emus Baronius Geisæ Regis ac S. Stephani ejus filii ad Christi fidem conversionem figit ad aun. Chr. 989. vel 990.

Quandonam contigerit Geisæ Regis ejusque filii Stephani ad Christi fidem conversio, & a quo sint iidem Baptismo initiati, nunc est inquirendum. Emus Baronius ad annum 989. confert Sancti Adalberti Pragensis Episcopi & martyris ex urbe Romana quo secesserat, in Bohemiam reditum, perque eam occasionem, Geisæ etiam Hungarorum Regis ejusque filii Stephani Baptismum: Sic enim num. v. ex Actis ejusdem S. Adalberti narrat: „ Non tacendum, quod juxta positis Ungaris nunc „ nuncios suos misit, nunc se ipsum obtulit. Quibus & ab errore parum mutatis, umbram Christianitatis impressit „. Et mox

a Lib. 5. pag. 506. ubi eum conventum habitum ait sub Christiano Bathavensi Episcopo, Liutpoldo Austriaco principe, Babone Schyrorum principe, & Haintico Charionum (idest Carinthiæ) præfecto. Atqui Henricus Carinthiæ Dux Christiani Episcopi ætatem non attigit, utpote jam anno 939. vita perfunctus, ubi Christianus non ante annum 991. Episcopatum Bataviensem iniit. Præterea quum idem Aventinus de hoc conventu loquens loc. cit. sic scribat: „ Quando ea regio Bojariæ, tædio vicinorum Ugrorum, ob horum crebras incursationes, in solitudinem redigebatur, „ & (ut verbo Imperatoris Ottonis utar) sylvescebat; ut allicerentur novi coloni & cetera: quum sic (inquam scribat, quumque ea verba Ottonis Imperatoris disertim legantur in ipsius diplomate dat anno 985.; perspicuum fit, eodem etiam anno 985. conventum illum habitum fuisse. Verba Ottonis apud Hansiz. tom. 1. p. 225. hæc sunt: *ut absque habitatore terra Episcopi solitudine sylavescat*. & paulo post. His igitur moti „ querelis, militumque interventionibus allubescentes, suspiciendæ reverentiæ Theophaniæ dominæ matri, nostræ semper Augustæ, ambarumque Nepotum nostrorum „ Heinricorum, Ducum scilicet Bavariæ ac Carinthiæ regionum, postulata eo tenore „ concessimus, ut liberi cujuscumque conditionis sint qui destinantur coloni &c. „ Demum initio diplomatis: „ Notum sit cunctis &c. qualiter Piligrinus S. Patavien. „ Ecclesiæ Ven. Præsul &c. „ Quæ omnia demonstrant, sub Piligrino, non sub Christiano eum conventum fuisse habitum anno 985.

mox, quantum S. Adalbertus suo Apostolatu profuerit Ungaris, & illa umbra Christianitatis, quam ibi (ut auctor ait) impressit, in immensum creverit, translata jam in veritatem, aliunde petit: nempe a Cartuitio Episcopo ad Colomanum Regem, qui cunabula Ungaricæ Ecclesiæ stylo fidelissimo prosecutus, hæc (a) ait: „ Ea quidem tempestate, qua Ungarorum gens „ Dei Ecclesiam populabatur, fuit in ea Princeps quidam, quar- „ tus ab eo qui Ungaris in Pannoniam ingressuris Ducem se „ buit. Is Geisca vocabatur. *& post pauca*. Quid multa? Adest „ tempus cælitus dispositum. Credidit ipse cum familiaribus „ suis. Undis salutaribus expiatus, omnes ditionis suæ homi- „ nes pollicetur se ad Christianismum perducturum. Quum „ autem multum esset sollicitus de edomandis rebellibus, ri- „ tibus sacrilegis abolendis, ad sanctæ Ecclesiæ profectum pro „ sua æstimatione statuendis Episcopatibus; mira quadam præ- „ visione nocte eum Dominus consolatus est. Misit enim ad „ eum juvenem speciosissimum, qui diceret ei: Pax tibi, Chri- „ sti electe, facessat cura hæc & sollicitudo. Non fiat per te „ id quod meditaris. Habes enim manus sanguine pollutas. „ Nascetur autem tibi filius, qui divinæ providentiæ consilio „ id efficit, quod tu animo concepisti. Erit is Rex, & ex eo- „ rum Regum numero, quos Dominus elegit, coronam Re- „ gni temporarii in æternam commutaturus. Tu vero homi- „ nem spiritali legatione apud te functurum, honorifice exci- „ pito: exceptum reverenter habeto; ejus cohortationibus sin- „ cerum pii pectoris affectum adhibeto. Expergefactus Prin- „ ceps, stupens ad visionem, prius secum, deinde cum Chri- „ stianis & suis hominibus pertractans, humi totus prostra- „ tus expansis manibus, humiliter gratias egit Deo; seque, „ Principatumque suum cum filio nascituro, curæ illius qui „ non dormit, neque dormitat, lacrymabundus commendat „. Hæc, si vera est, visio, contigerit, oportet, ante annum Chr. 969. Nam eo anno natum Stephanum Geisæ filium perhibent Hungaricarum rerum Scriptores, Thuroczius cap. 27. & Ranzanus Indice VIII. his verbis. *Geicha suscipit filium ex Sarolta ann. Dom. Incarn. 969*. Sed de anno nativitatis Stephani, infra differemus, ostendentes, eum natum circa ann. 983. Per-

a In Vita S. Stephani Ungar. Regis cap. 1. 2. 3. apud Surium die 15. Aug. Tom. 4.

Pergit Baronius ann. 989. num. VII. „ Admirante autem eo „ de viro divinitus ipsi prædicto, nunciatur illi, beatum Adal- „ bertum Boëmensis Ecclesiæ Antistitem ad ipsum venire, ad „ Christianam religionem fidemque non fictam eum traducere, „ & ob fidei profectum Domino laudis hostiam immolare cu- „ pientem. Is nuncius novis Christi tyronibus ineffabilem at- „ tulit lætitiam. Dux procedit obviam servo Christi cum Fi- „ delibus quibusque, honorifice eum excipit, &, ut in visio- „ ne erat admonitus, modis omnibus se obedientiæ filium fo- „ re demonstrat. Deinde jubente ipso fit ubique congregatio „ indomitæ gentis. Per sanctum Episcopum fiunt conciones, „ & ejus exhortationibus mox illi convertuntur & baptizan- „ tur: multis in locis Ecclesiæ conduntur. Luce enim illa, „ quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum, „ profligatis tenebris, cæpit Ungaria enitere. *& mox num.* 8. „ Non est autem silentio prætereundum, ut omnis ambigui- „ tas tolleretur de medio, & ne parum fidei habere videretur „ visio Duci oblata, etiam uxorem ejus jam partui propinquam „ ejusmodi divinitus consolatione affectam. Apparuit illi bea- „ tus Levita & Protomartyr Stephanus, Levitici habitus insi- „ gnibus ornatus, ita eam compellans: confide, mulier, in „ Domino, & certa esto, te filium parituram, cui primo hu- „ jus gentis & Regnum & Corona debetur. Tu vero illi no- „ men imponas meum. Quum autem femina non sine admira- „ tione sciscitaretur ab eo, quisnam esset, aut quomodo vo- „ caretur, sic respondit: Ego sum Stephanus protomartyr, „ qui primus pro Christi nomine martyrium obivi. His dictis „ disparuit. Nascitur itaque (ut prædictum erat) filius Princi- „ pi, notus Domino, secundum Prophetam, priusquam in „ utero conciperetur, & per Stephanum Protomartyrem a „ Domino appellatus, antequam natus. Eum vero beatus, „ & Deo dilectus Episcopus Adalbertus baptizavit, & nomen „ Stephani ei impositum est, & non sine nutu & consilio Dei, „ ut nos quidem persuasum habemus „. Huc usque Baronius de anno, quo Geisa & Stephanus, pater & filius, a S. Adalberto Pragensi baptizati dicuntur: qui subjungit: „ Porro ista „ omnia hoc anno (989.) cœpta, de reditu Roma in Boë- „ miam, & de Boëmia in Ungariam profectione, haud unius

„ anni ſpatio perfici potuiſſe putamus „ . Videtur itaque ex ejuſdem Purpurati mente, Baptiſmus ille anno 990. contigiſſe: quo anno, uti in ſequentibus narrat, Adalbertus ex Ungaria Romam reverſus, in ſuum (*Sancti ſcil. Alexii*) monaſterium rediit: rurſuſque anno 996. ad Epiſcopatum reverti juſſus, & a Bohemis repudiatus, anno 997. in Pruſſia martyrium complevit: quum anno 980. Epiſcopus Pragenſis Veronæ conſecratus fuiſſet.

XI. Referuntur verba Chartuitii Epiſcopi de Geiſæ & Stephani Baptiſmo a S. Adalberto ſuſcepto.

Qui vitam S. Stephani ſcripſit Chartuitius Epiſcopus, ea quidem refert quæ ſupra recitavit Baronius; annum tamen Chriſti nullibi exprimit. Id tantummodo ediſſerit, Geiſam patrem a S. Adalberto baptizatum eodem ipſo anno, quo & Stephanus filius natus baptizatuſque fuit: additque poſt acceptum, ut ſupra, a S. Stephano infante Baptiſmi Sacramentum: „ Oppido quidem Strigonienſi natus eſt, & illic quoque puer præceptis Grammatices ad plenum imbutus eſt. Interea crevit accurate educatus: quumque jam exceſſiſſet pueritiæ metas, pater ejus convocavit Hungariæ proceres, & reliquos ordines, communicatoque cum eis conſilio, illum poſt ſe regnaturum conſtituit. Utque ea res firmior eſſet, ſingulos ad ſacramentum adegit. Deinde jam grandævus anno a Chriſto nato nongenteſimo nonageſimo ſeptimo, vitæ hujus ærumnas cum cæleſtibus gaudiis commutavit. Eodem autem anno beatus Adalbertus, quum in Pruſſiam gentis ejus convertendæ cauſa profectus eſſet, martyrii palmam adeptus eſt. Poſt obitum patris, Stephanus adhuc adoleſcens, principum & plebis favore patri ſubrogatus, ardentiori animo in veritatis propagationem incubuit „ . Quum igitur Stephanus anno Chr. 997. (quo & pater Geiſa, & martyr Adalbertus occubuere) *adhuc adoleſcens* dicatur, argumento eſt, Chartuitium a Thuroczio & Ranzano, quoad annum natalem S. Stephani, diſſentire: ſi enim Stephanus anno 969. (uti illi ajunt) natus fuiſſet, anno utique 997. quo, Geiſa patre defuncto, Regnum iniit, ætatis annum 28. egiſſet, adeoque *non adhuc adoleſcens* fuiſſet, uti Chartuitius ſcribit.

XII. Pagius baptiſmum S. Stephani ad ann. 996. confert.

Pagius quoque tum circa S. Adalberti Epiſcopi Apoſtolatum, tum circa Geiſæ & Stephani baptiſmum, aliam ab Emo Baronio Chronotaxim figit. Ait enim Adalbertum anno 983. Epi-

Episcopum Pragensem consecratum: an. 990. relicto Episcopatu, Romam venisse, & Monachum in Cœnobio S. Alexii induisse: anno 994. jubente Joanne XV. Papa, relicta Roma iterum Pragam rediisse: anno 996. in Hungaria Geisam ejusque filium Stephanum baptizasse: anno demum 997. Adalbertum quidem Martyrio coronatum fuisse; Geisam autem Hungariæ Regem obiisse.

XIII. Ademarus non a S. Adalberto, sed a S. Brunone baptizatos ait Geisam & filium: & utrique nomen Stephani impositum.

Ademarus in Chronico rem & ipse aliter narrat. Ait enim: „ Sanctus Brunus convertit ad fidem Ungriam provin- „ ciam, & aliam quæ vocatur Russia; Regem Ungriæ bapti- „ zavit, qui vocabatur Geitz, & mutato nomine in Baptismo, „ Stephanum vocavit: quem Otto Imperator in natali proto- „ martyris Stephani a baptismate excepit, & regnum ei liber- „ rime habere permisit, dans ei licentiam ferre lanceam san- „ ctam ubique, sicut ipsi Imperatori mos est, & Reliquias ex „ clavis Domini & de Lancea S. Mauritii ei concessit in pro- „ pria Lancea. Rex quoque supradictus filium suum baptiza- „ re jussit, & sanctus Bruno imposuit ipsi nomen, sicut sibi, „ Stephanum. Postea vero ipsi filio ejus Stephano Otto Im- „ perator sororem Henrici postea Imperatoris in conjugio de- „ dit „. Verum hunc Ademari Monachi locum jam supra expendimus, ostendentes, ab Ademaro confundi Brunonem Episcopum ab Ottone Imper. anno 972. ad Ungarorum Regem pro pace stabilienda missum, cum Brunone Episcopo & Martyre, qui anno 1008. in Prussia passus est. Proinde quamquam verosimile sit, a priore Brunone Hungaros ad Christi fidem amplexandam fuisse dispositos; non tamen ab eodem Geisam aut Stephanum Baptismi undis lustratos: quum scriptores omnes id factum Sancto Adalberto communiter tribuant. Præterquam quod Geisam in Baptismo fuisse appellatum *Stephanum*, nullus historicorum præter Ademarum scribit: item Stephanum Geisæ filium, non Geisam ipsum, Coronam Regiam accepisse, satis notum est. Quod igitur de pace cum Geisa ab Ottone Imp. stabilita narratur, id Ademarus ad Regium nomen ei permissum perperam traducit.

XIV. Ad ann. Chr. 984. baptismum Geisæ ac S. Stephani statuitur.

Bohemicarum & Polonicarum rerum Scriptores, Cosmas Pragensis, Miechovius, Dubravius, Cromerus, tam in rebus S. Adalberti gestis, quam in narranda Hungarorum conversio-

ne, in varios & ipsi errores abrepti sunt, quos in sequenti capite referam & refellam, ubi de Bohemicis Polonicisque Ecclesiasticis Originibus disseram. Nunc ut summatim dicam, quum S. Adalbertus anno 983. exeunte mense Junio consecratus sit Episcopus: quumque post septennium, e Bohemia Romam advenerit, & relicta Roma, anno 996. in Bohemiam reversurus, post duorum velut mensium spatium Moguntiam, inde Turonem, Parisios, Floriacum, & iterum Moguntiam, ac demum in Poloniam perrexerit; quum demum per Ducis Polonorum missos tentaverit, an ipsum Bohemi recipere vellent, ab iisque rejectus, in Prussiam, ubi martyrio coronatus est, anno 997. iter direxerit; quum hæc, inquam, ex sinceris ipsius Actis & ex fide dignis Chronicis demonstrentur; consequens est, ipsum, aut inter annum 984. & 990. (quo temporis spatio Episcopatum Pragensem in Bohemia gessit, quod verosimilius existimo) aut, si mavis, anno 996. quo ex urbe Romana iter in Germaniam, & Poloniam direxit, antequam anno 997. in Prussiam, ubi Martyrium subiit, abiret, in Hungariam ad exercendum Apostolicum munus digressus. Hansizius non levibus argumentis productis, priorem sententiam antefert, Geisæ & Stephani baptismum ad annum 984. conjiciens: sic enim Tom. 1. Germ. sacr. pag. 227. curam de convertendis Hungaris a S. Adalberto susceptam exponit, tametsi in eo sit; ut opinor, deceptus, quod patrem Geisam jam antea fonte salutari expiatum asserit, quum Chartuitius testetur, uno eodemque anno & patrem & filium Baptismi sacramentum suscepisse. „ Sed his negotiis, „ quæ de rebus erant humanis vacantem Piligrinum (nimirum de vastatæ Ecclesiæ Pataviensis patrimonio restituendo) ea credo major exstimulaverit cura, quam olim prospere ceptaverat, de religione promovenda in Hungaris. Sed „ eam messem jam præceperat Adalbertus Pragensis Episcopus anno 983. aut sequenti; quo tempore bellum Hungaris „ in Austriam, cum Bohemis fœdus erat. Ingentem rei Christianæ profectum paulo ante expedierat is, qui Geisam cum „ familiaribus suis fonte salutari expiavit, eoque adduxit, ut „ *polliceretur omnes ditionis suæ homines ad Christianismum* „ *perducturum* (verba sunt Chartuitii Vesprimiensis Episcopi in „ vita S. Stephani) Quis ille fuerit, qui Geisæ Principi baptis-

„ mum

„ mum impertiit, nemo satis detexit: Adalbertus enim Pra-
„ gensis, in Hungariam, Geisa jam baptizato, venit. Bruno
„ ille Episcopus, Ottonis magni Legatus, nuspiam a quoquam
„ proditur baptismi illius auctor: ac certe Piligrinus in epist.
„ ad Benedictum VII. quum de nobilioribus Ungaris ad millia
„ quinque salutari lavacro ablutos glorietur, non erat certe
„ silentio pressurus spolium omnium præstantissimum Baptis-
„ mum Regis. Manet igitur in obscuro, quisnam isthoc præ-
„ stiterit, nisi quod suspicari liceat id factum per aliquem Pi-
„ ligrini Pataviensis discipulum, serius tamen, quam literæ
„ sint ad Benedictum scriptæ „. Hæc Hansizius de Geisæ Baptismo: cui tamen idem ipse Chartuitius refragatur, dum Baptismum Geisæ cum revelatione de nascituro ei filio conjungens, statim & immediate subjungit sancti Adalberti adventum, Stephani filii nativitatem, ejusdemque baptismum. Quare quod idem Chartuitius Geisæ Baptismum Angelicæ revelationi & adventui Adalberti præmittit, error scribentis est, qui loco „ credit ipse cum familiaribus: undis salutaribus expia-
„ tus, omnes ditionis suæ homines pollicetur se ad christianis-
„ mum perducturum „ dicere debuerat: *credit ipse cum suis, omnesque ditionis suæ homines pollicetur se ad Christianismum perducturum:* ita ut quæ hic de ejus baptismo adduntur, per anticipationem dicta sint intelligenda: nimirum Chartuitius Geisam ex Neophyto & Christianam religionem amplecti cupiente, baptizatum fecit. Pergit Hansizius: „ De Stephano
„ Geisæ filio res est exploratior. Baptizatus est ab Adalberto
„ Pragensi Antistite. Rem gestam narrat Chartuitius: annum
„ non exprimit. Certum est id non factum ante annum 983.
„ nam eo primum anno Adalbertus in Episcopum consecratus
„ est apud urbem Veronam, festo Apostolorum Petri & Pau-
„ li, Imperatore Ottone secundo præsente. Ex narratione ta-
„ men Chartuitii constabit, id ultra annum 984. differri vix
„ posse. Nam Adalbertus sub ipsum tempus nativitatis Ste-
„ phani advenit. Porro Stephanus vivente adhuc patre in so-
„ lium impositus est, postquam, ut ille scribit, *jam pueritiæ*
„ *excessisset metas*. Obiit inde mortem Geisa anno 997. quo
„ Stephanus jam erat *adolescens*, ut ibidem dicitur. Hæc ob-
„ servatio nos cogit, Baptismum Stephani annis aliquot ante
„ Ba-

„ Baronium collocare, nempe ad annum circiter 983. quo Adalbertus ſedere cœpit, aut certe ſequentem: ſecus enim haud „ intelligi poteſt, quemadmodum vivente patre, pueritiæ metas exceſſerit, aut adoleſcentiam Stephanus (*moriente patre*) attigerit. Ab anno itaque 983. vel ſequenti, ducendo „ calculum ad annum obitus Geiſæ 997., modus tandem aliquis apparet, conficiendi annos quatuordecim ætatis ſaltem „ incompletos. Recte plane hic calculus conſentit cum iis, „ quæ de Hungaris ex Auſtria circa annum 984. ſubmotis, & „ pace inde conſtituta, uti de coloniis a Piligrino in locos Ecclesiæ Pataviensis ſub hoc tempus deductis cenſuimus „. Atque adeo ſententia Thuroczii & Ranzani de anno natali Sancti Stephani (quem ad annum Chr. 969. figunt) improbatur, quum eo anno neque pax Hungaros inter & Germanos inita eſſet, neque Sanctus Adalbertus ad Pragenſem cathedram evectus.

XV. Dum Geiſa in Regno vixit, parum Chriſtiana religio profecit.

Erat itaque Regnum Hungaricum ſub Geiſa anno C. 984. Chriſtianis initiis imbutum. Lapſa inde religio, tum vitio ipſius Geiſæ, tum feritate populi, qui Evangelii ſuave jugum, armis etiam correptis, arcere ſtuduerant. De Geiſa enim refert Ditmarus lib. 7. „ quod quum Chriſtianus efficeretur, ad corroborandam hanc fidem contra reluctantes ſubditos ſævum „ & antiquum facinus, zelo Domini exæſtuans, abluerit. Hic „ tamen Domino omnipotenti, variiſque Deorum illuſionibus „ immolans, quum ab Antiſtite ſuo ob hoc accuſaretur, divitem ſe & ad hoc faciendum ſatis potentem affirmavit „. Inde factum, ut, (quod Biographus S. Adalberti ſcribit) „ intermiſceretur cum Paganiſmo polluta religio, & cœpit eſſe „ deterior barbariſmo languidus ac tepidus Chriſtianiſmus „. Antiſtes quippe, qui Geiſam arguebat, videtur fuiſſe non alius, quam Adalbertus, ut qui Hungaris juxta poſitis, teſte eodem Biographo, nunc nuncios ſuos miſit, nunc ſeipſum obtulit: quibus & ab errore parum mutatis, umbram Chriſtianitatis impreſſit. Manſit apud Geiſam Pappates quidam, qui & *Radla* in iiſdem Adalberti Actis appellatur, Boleslai Bohemiæ Ducis ſeu frater, ſeu fratre carior: hic Adalberti diſcipulus, in abſentia magiſtri, operam in Hungaris navabat, ibidemque adhuc hæſerat anno 996., non ſatis proveniente, ut videtur, Evangelii

gelii fructu: quod inde apparet, quod ab Adalberto in Prussiam tendente per epistolam ad fugam, invito etiam Geisa, capessendam stimulatus est.

XVI. PostGeisæ mortem Stephanus filius Rex Hungariæ proclamatus, tam in Hungaria quam in Transylvania Christianam religionem propagavit

Sed anno sequenti 997. Geisa grandævo naturæ debitum solvente, quo ipso anno Adalbertus a Prussis coronatus est, subiit in Regnum filius, cujus nomen vernaculum, teste Ditmaro lib. 4. erat *Waic*, cæterum *Stephanus* in Baptismo appellatus. Hunc Deus ad perficienda patris cepta destinaverat. Inita continuo cum exteris provinciis pace, studium omne ad confirmandam in Hungaria novellam plantationem contulit. Obstiterat hostis totius boni & adversarius. Diabolus, concitata ab domesticis atroci seditione, Cupani (*a*) videlicet Simigiensium Ducis, & Gyulæ (*b*) avunculi sui, Transylvaniæ Ducis: in qua tamen seditione, Deo juvante, & precibus SS. Martini Confessoris, & Georgii Martyris, signis collatis, de hostibus victoriam retulit, posuitque celebre victoriæ monimentum S. Martini Monasterium eo loco, qui *mons sacer* dicitur, ubi sanctum Martinum ajunt, quum in Pannonia degeret, precari solitum. Ita ergo hostibus sub jugum missis, Stephanus omnem ingenii sui vim contulit ad propagandam catholicam fidem. Multi igitur Presbyteri, & Clerici, Abbates & Monachi, relictis suis sedibus, Stephani fama quaquaversum divulgata, in Hungariam convolabant: In his Astricus Abbas cum discipulis honorifice acceptus ad radicem montis ferrei, cœnobium in Sancti Benedicti honorem construxit. Postea vero provinciam in decem Episcopatus distribuit, quorum Metropolim esse voluit Ecclesiam Strigoniensem, memorato Astrico Abbate ad Colocensem Episcopatum evecto, & Anastasii nomine appellato.

Quar-

---

a Thuroczius cap. 28. mortuo autem Geyeha Duce, Cupan voluit matrem sancti Regis sibi per incestuosum copulare connubium, & sanctum Stephanum occidere, Ducatumque ejus suæ subdere potestati. Hic fuerat Dux Simigensis. Cetera.

b Thurocz. cap. 29. Porro B. Stephanus, postquam regiæ celsitudinis coronam divinitus est adeptus, famosum & lucrosum bellum gessit contra avunculum suum nomine Giulam, qui tunc temporis totius ultra Sylvam Regni gubernacula possidebat. Anno itaque Dom. 1002. Beatus Rex Stephanus cepit Gyulam Ducem cum uxore, & duobus filiis ejus & in Hungariam transmisit. Hoc autem ideo fecit quia sæpissime admonitus a B. Rege Stephano, nec ad fidem Christi conversus, nec ab inferenda Hungariæ injuria conquievit. Universum vero Regnum ejus latissimum & opulentissimum Monarchiæ Hungariæ adjunxit. Hæc Thuroczius aliique: Verum quum Græci scriptores tradant

XVII. Silvester II. Papa Regiam coronam S. Stephauo Hungatiæ Principi mittit, & institutos ab ipso Episcopatus confirmat anno Chr. 1000.

Quarto (*a*) ab obitu Geysæ patris anno, idest, Christi millesimo, legatus ab Stephano Rege Anastasius præsul Romam mittitur, a Silvestro II. Summo Pontifice petiturus, ut recens conversæ Pannoniæ largam benedictionem impertiret, Strigoniensem Ecclesiam sua auctoritate Metropolim constitueret, reliquos Episcopatus sua benedictione muniret, & ipsum Hungarorum Ducem Stephanum Regio diademate cohonestaret. Per idem tempus etiam Miesco (*b*) Polonorum Dux, Christianam complexus fidem, legatos suos Romam miserat, ut Pontificis benedictionem & Regium ipsi titulum impetrarent. Assenserat quidem Pontifex, & jam Coronam egregio opere confici curarat, quam ei mitteret, sua benedictione adjuncta. Sed quia novit Dominus, qui sint ejus, illa corona Stephanum ornari voluit. Nocte enim ejus diei, quo statuerat Pontifex, Coronam Polonorum Principi dare perferendam, apparuit ei Angelus Domini, aitque ad eum: noveris, cras hora diei prima ignotæ gentis nuncios ad te venturos, suo Duci Coronam Regiam, & Apostolicæ benedictionis munus abs te expetituros. Eam ergo Coronam, quam parari jussisti, illis incunctanter tribue, ad ipsorum Ducem eam asportaturis: nec dubites, illi eam cum Regni gloria pro vitæ ejus meritis deberi. Itaque crastina luce ea hora, qua prædictum erat, Præsul Astricus ad Pontificem venit, demandatumque sibi officium pru-

tradant Gyulam Christianum fuisse usque ad obitum, videntur mihi Hungaricarum rerum scriptores allucinati, dum eundem Ethnicismi accusant: ac proinde, si verum est, bellum a S. Stephano adversus Gyulam motum, dicendum existimo, post Geysæ mortem, eundem Giulam Hungarico Regno potiri voluisse, eamque fuisse causam moti in eum a S. Stephano prælii. Chronographus Hildesheimensis ad ann. 1003. confert hoc bellum: „ Stephanus (inquiens) Rex Hungariæ super avunculum suum „ Regem Julum (*Giulam*) cum exercitu venit: quem quum comprehendisset cum „ uxore, & filiis duobus, Regnum ejus vi ad Christianitatem compulit „. Vide Pagium ad ann. 1002. num. 8. & Baronium num. 23. ubi addit, Stephano Regi certandum fuisse cum Bulgaris Hungariam invadentibus. Quod etiam narratur a Thuroczio cap. 30. „ de exercitu sancti Regis Stephani contra Kean Ducem Bulgarorum & „ Sclavorum „. Quo occiso (inquit) ex capta ejus gaza, Albensem Basilicam, quam Stephanus fundaverat, dotatam ditatamque fuisse, eandemque Basilicam a Benedicto PP. privilegiis auctam. Quæ tamen cum Chronologia cohærere nequeunt. Nam Benedictus VII. PP. decessit anno 984. Stephanus autem non ante ann. 997. Regnum iniit.

a Chartuitius in vita S. Stephani.

b Baronius ann. 1000. num. 12. in margine sic emendat: *Meiscæ filius Boleslaus*. Nam Meisca, sive Miscone, (qui & Miecislaus,) anno 999. defuncto, successit filius *Boleslaus*, cognomento *Chabry*.

prudenter exſequens, ſanctique Ducis res geſtas ordine referens, a Sede Apoſtolica Regni Coronam petiit, oſtendens, dignum eſſe Ducem eo honore & dignitate: quippe qui divina fretus ope, multos ſibi populos ſubjugaſſet, multoſque infideles ad Chriſtum convertiſſet. Iis auditis, mire exhilaratus Pontifex, precibus illis libenter annuit, Crucemque ante Regem, ceu Apoſtolatus inſigne, geſtandam adjunxit: ego, inquiens, ſum Apoſtolicus; at ille merito Chriſti Apoſtolus dici poteſt, cujus opera tantum populum ſibi Chriſtus acquiſivit. Atque ea cauſa, quemadmodum divina gratia ipſum docebit, Eccleſias Dei unacum populis noſtra vice ei ordinandas relinquimus. Omnibus impetratis, quæ poſtularat Antiſtes Aſtricus, lætus ad ſuos revertitur, illud ſecum ferens, cujus cauſa iter illud emenſus erat. Allatis vero Apoſtolicæ benedictionis literis cum Corona & Cruce, Præſules cum Clero, Comites cum populo, in laudes Dei prorumpunt, & Stephanus Princeps ungitur in Regem, & diademate Regio feliciter coronatur.

XVIII. An Regium diadema nomenque Poloniæ Duci ab Ottone III. Imperatore collatum?

Recte hic ſubjungit Baronius ad ann. 1000. numer. 14. (poſtquam de Corona a Silveſtro PP. ad Stephanum Hungariæ Regem miſſa, Chartuitii Epiſcopi verba a nobis hucuſque recitata retuliſſet:) „ At indigne hæc ferentes rerum Polonicarum Scriptores, coronam ſcilicet paratam Duci Poloniæ, „ Dei monitu datam Duci Ungarorum: tradunt, Regium nomen atque Regium diadema Duci Poloniæ datum ab Ottone III. Imp. tunc, quum in Poloniam ipſe (ut prædictum eſt) ad S. Adalberti recentis martyris viſendum corpus profectus eſt. At in his minime ipſis aſſentiri poſſumus. Si „ enim accepiſſent ab Ottone Imp., cur opus fuit poſtea quærere ab ipſo Romano Pontifice poſt Ottonis obitum, imperante Henrico Imperatore „? Mox profert teſtimonium S. Petri Damiani cap. 32. & 34. de *Boleslao* (quem Buſclavum depravate appellat) „ Duce Polonorum, volente coronam „ ſui Regni ex Romana auctoritate ſuſcipere, atque depoſcente Joannem & Benedictum S. Romualdi diſcipulos, ut ipſi „ plurima ejus dona Papæ deferrent, & Coronam ſibi a ſede „ Apoſtolica reportarent. Qui quum a furibus cæſi fuiſſent, „ Imperator Henricus Buſclavi conſilium non ignorans, undique (*verba hæc ſunt Petri Damiani*) vias cuſtodiri præce- „ pe-

„ perat: ut si Busclavus Romam nuncios mitteret, in ejus illico manus devenirent. Monachus igitur, qui nuper missus a sanctis Martyribus fuerat, demum captus est, & mox carcerali custodiæ mancipatus „. Atque hæc quidem sub Henrico Imp. postea contigisse narrat Petrus Damiani: adeoque post annum 1002. quo Henricus, defuncto Ottone III., Imperator inauguratus est. At vero Pagius ad ann. 1000. num. 5. ostendit, memoratum Boleslaum nonnisi anno 1025. Regium sibi nomen usurpasse: „ Wippo (inquit) in Vita Conradi Salici Imperatoris ad annum primum Regni ejus (Regnare cœpit post Henrici Imp. obitum anno 1024.) ait: *Eodem anno Borislaus Sclavigena*, *Dux Bolanorum* (idest, Polonorum) *insignia Regalia & Regium nomen, in injuriam Regis Chuonradi sibi aptavit*, *cujus temeritatem cita mors exinanivit*. *Filius autem ejus Misico similiter rebellis*; *fratrem suum Ottonem*, *quoniam Regis* (nempe Conradi, nondum coronati Imperatoris) *partibus favebat*, *in Rubbiam provinciam pepulit*, idest in Russiam. Quare licet Baronius Wipponis historiam non legerit, recte tamen censuit, Boleslaum ab Ottone III. Imperatore, Regio nomine donatum non fuisse.

XIX. Expenduntur ea, quæ Annalistæ Poloni de Miecislao & Boleslao Ducibus narrant.

Est etiam aliud, in quo scriptores Rerum Polonicarum allucinati videntur. Nam, si verum est, quod Chartuitius narrat, *anno nempe millesimo missam fuisse ex urbe ad Stephanum Coronam Regiam*, non igitur id factum sub Miescone Poloniæ Duce, uti scribunt Miechovius, Guagninus, & Cromerus; sed sub Boleslao, qui ab anno 999. Regnum, defuncto patre, iniit. Verba eorum recito. Miechovius lib. 2. cap. 1. „ Post dies luctus (*a*) materni, jussu Mieczlai Boleslaus filius anno Dom. 984. accepit Judith filiam Jessæ Ducis Hungarorum in conjugem, & nuptias in Gnezna sub multitudine Prælatorum & Baronum celebravit. Quæ Judith anno sexto, virilis sexus puerum effudit, & ei nomen avitum impositum est Mieczlaus, quod significat habiturus laudem. Interim Mieczlaus Polonorum princeps sedula admonitione suorum consiliariorum, ad Benedictum VII. Pontificem Max. mittit „ Lam-

a Idest, post obitum Dambrowkæ uxoris Miecslai, & matris Boleslai.

„ Lampertum Archiep. Cracovien. & ceteros nuncios, coro-
„ nam ſibi & regionibus Polonorum dari petendo. Cujus pe-
„ titioni Papa Benedictus VII. reſpondit; nondum dignos fo-
„ re Polonos, ut eis Corona hactenus deberet conferri. In
„ proximo vero Deus placatus, Coronam dabit eis, exaltabit-
„ que illam. Sic locutus, Stephano Duci Hungarorum, qui
„ & ipſe pro corona miſerat, per Aſtericum nuncium ejus tra-
„ didit Coronam; Polonis vero denegavit „. Guagninus in
Mieſcone primo Boleſlai patre: „ Ex uxore Bohema Dam-
„ browka dicta, filium Boleſlaum Chabri ſuſcepit, quæ poſt
„ partum paulo poſt deceſſit, Gneſnæ ſepulta eſt: alteram
„ vero Mieczlaus in Matrimonium accepit, Juditham filiam
„ Jeſsæ Principis Hungarorum, quæ ei filium Mieczlaum ge-
„ nuit: tandem multis Chriſtianitatis monumentis in Polonia
„ relictis, e vivis feliciter migravit. Deſtinaverat quoque
„ Legatos ad Summum Pontificem Benedictum, diadema Re-
„ gium ab eo poſtulans; quod illi denegatum eſt: ſuſpicaban-
„ tur enim nondum eum perfectum Chriſtianum eſſe „.
De Stephano Hungariæ Rege ſilet Guagninus. Cromerus lib.3.
cap. 2. „ Ceterum quo auguſtiorem poſteris ſuis principatum
„ relinqueret Miezislaus, hortante ſenatu, oratorem mittit
„ ad Benedictum ejus nominis Septimum, Pontificem maxi-
„ mum, ut Regium diadema ſibi mitteret, Regemque Polo-
„ norum ſe & poſteros ſuos eſſe juberet. Quo tempore etiam
„ Stephanus Geiſæ filius, poſt defunctum patrem Ungariæ
„ princeps, eadem de re ſuum miſerat. Atque ille quidem
„ impetravit: quamquam Ungari vulgo crediderunt, ab An-
„ gelo cælitus (*a*) ei diadema eſſe impoſitum. Noſtro ne-
„ gatum eſt, vel quod de morte ejus nunciatum eſſet, vel
„ quod differre eam rem Pontifex divino oraculo juberetur:
„ eo quod Poloni venationibus, rapinis ac cædibus mutuis de-
„ diti, duri & immanes, contumelioſi & aſperi adverſus te-
„ nuiores atque ſubditos minus caſte religionem colere dice-
„ rentur „. Hæc rerum Polonicarum ſcriptores. Veroſimilius
puto, idcirco denegatum Polonis diadema, quia Otto Imper.
ſubditam ſibi Poloniam & Bohemiam aſſerebat. Conceſſum
R 2 pro-

a Vide Cartuitium, qui non ab Angelo impoſitum diadema ſcribit, ſed Angelo revelante, a Papa miſſum.

proinde Ungaro, qui Regnum Pannoniæ, nulli subjectum, possidebat. Ceterum quum Stephanus patri Geisæ non ante annum 997. defuncto successerit, quumque Benedictus VII. Papa anno 984. in vivis esse desierit, perspicue apparet, deceptos fuisse Polonos scriptores qui illud factum ad tempora Benedicti VII. referunt.

XX. Cartuitii, Annalistæ Saxonici, & Ditmari testimonia de Miecislao & Boleslao Poloniæ Ducibus.

Quid? si deceptos etiam dicamus, dum Mieczlai mortem ad annum 999. communi calculo referunt, quum Ditmarus quidem Miecislaum dicat anno 992. defunctum; Cartuitius autem narret, anno Christi millesimo, Mieczlao Polono denegatum, Stephano autem Ungaro concessum Regium diadema? Quamquam enim Annalista Saxonicus apud Eccardum tom. 1. pag. 371. ad annum 999. de Stephano, quem Vaic appellat, hæc habet: „ Waic Rex Pannoniæ, gener Henrici „ Ducis Bavariæ, hortatu Imperatoris (*Ottonis III.*) in Re„gno suo Episcopales Cathedras faciens, Coronam & Bene„dictionem accepit „: at ex ipso verborum contextu significat, anno quidem 999. Episcopales cathedras a Stephano fuisse institutas; anno vero sequenti Coronam & Benedictionem eum accepisse. Hujus Annalistæ mens ex Ditmaro, quem is exscripsit, aperte cognoscitur: Sic enim Ditmarus lib. 4. de Miescone & Boleslao Poloniæ Ducibus, deque Stephano, Vaic dicto, scribit. „ Hic (Miesico) a Bohemia regione nobilem sibi „ uxorem, senioris Bolislavi duxerat sororem, quæ sicut sonuit „ in nomine, apparuit veraciter in re. Dobrawa enim Slavo„ nice dicebatur, quod Latino sermone Bona interpretatur. „ Dilectæ uxoris hortatu, & innatæ infidelitatis toxicum evo„ muit, & in sacro baptismate nævum originalem detersit..... „ Posthæc peperit Bona mater filium longe sibi degenerem, „ quem fratris sui nomine Bolislavum appellavit. Sed quum „ mater ejusdem obiret, pater ejus unam sanctimonialem de „ monasterio, quod Calva dicitur, Thiedrici Marchionis fi„ liam, absque canonica auctoritate duxit. Oda fuit nomen „ ejus. *Et post pauca*. Hæc genuit viro suimet (*Miesiconi*) „ tres (*a*) filios, Misceonem, Sventepulcum, & Bolizlaum, „ cum magno honore ibi degens usque ad finem viri, accepta, „ cum

a Confer hæc cum iis quæ de uxoribus Miesconis sive Miecislai narrant Miechovius, Guagninus, & Cromerus.

„ cum quibus fuit, & proficua, de quibus venit; ſed anno „ Dom. Incarn. 992., Regni autem tertii Ottonis octavo, hic „ præfatus Dux (*Mieſico ſeu* (*a*) *Miecislaus*) ſenex & febricitans, ab exilio hoc ad patriam tranſit, relinquens Regnum „ ſuimet plurimis dividendum, quod poſtea filius ejuſdem „ Bolizlavus, noverca & fratribus expulſis, excæcatiſque familiaribus ſuis Odilieno atque Pribuvojo, vulpina calliditate contraxit in unum. Hic ut tantum ſolus dominaretur, „ jus ac omne fas poſtpoſuit. Duxit hic Rigdugi Marchionis filiam, poſtmodum dimittens eam; & tunc ab Ungaria ſumpſit „ uxorem, de qua habuit filium, Beſpreri nomine, ſimiliter „ expellens eam. Tertia fuit Connildis, edita a venerabili „ ſeniore Dobremiro, quæ Chriſto fidelis, ad omne bonum „ inſtabilem conjugis ſui mentem declinavit, & immenſa „ eleemoſynarum largitate & abſtinentia utriuſque maculas „ abluere non deſiſtit. Peperit hæc duos filios Miſeconem, „ & alium, quem dilecti ſenioris ſui nomine vocavit: Filias „ quoque tres, quarum una Abbatiſſa, ſecunda nupſit Hermanno Comiti, tertia filio Regis Wlodimiri, ſicut dicturus „ ſum. Imperatoris autem prædicti gratia & hortatu gener „ Henrici Ducis Bavariorum, Waic, in Regno ſui met Epiſcopales cathedras faciens, Coronam ac Benedictionem accepit.

XXI. De Gisla ſive Giſela, S. Stephani Regis Hungariæ uxore, & Henrici Imp. ſorore. Thuroczii, Ranzani, & Aventini errores notantur tum quoad Giſelæ genus, tum quoad coronam Regiam S. Stephano conceſſam ab Henrico Imper.

Jam tum Stephanus deſtinatus erat gener Henrici Ducis Bavariorum, quæ res ei ſtudium Ottonis adjunxerit; ſic ut gratia & hortatu Ottonis obtentam ex Pontifice Coronam ac Benedictionem teſtetur Ditmarus. Giſela erat, Henrici ſancti ſoror, cum qua nuptiale ſacrum ferunt in caſtro Schyrenſi celebratum, incertum quo anno. Obierat Henricus Giſelæ pater, Bavariæ Dux, nepos Ottonis magni ex fratre, anno 995. v. Kal. Septembris. Hermannus Contractus ex editione Caniſiana ad ann. 995. „ Heinricus Dux Bajoariæ obiit, & filius „ ejus ex Giſela Conradi Regis Burgundiæ filia, itidem Heinricus, Imperator poſtea futurus, Ducatum interim obtinuit. „ Hujus ſoror Giſela Stephano Regi Ungariorum, quum ſe „ ad fidem Chriſti converteret, quaſi vere juxta nomen ſuum „ fidei

a In hoc etiam, ſicuti in ſuperioribus, Ditmarus diſſentit ab Annaliſtis Poloniæ.

„ fidei obſes, in conjugium datam, eleemoſynis cæteriſque „ bonis operibus inibi intenta conſenuit „. Henricus (qui anno *995.* deceſſit) filios reliquerat Henricum ſanctum, Principatus hæredem, & poſt Ottonis III. obitum Imperatorem; & Brunonem poſtmodum Auguſtanum Epiſcopum: & filias, Giſelam iſtam Stephano nuptam, & Brigittam (*a*) Ratisbonenſis Parthenonis Antiſtitam. Nugatur proinde Thuroczius, dum Giſelam vocat Keislam, eamque facit filiam Willelmi fratris Sigismundi Regis Burgundiæ, cap. 34. his verbis: „ At Re„ gina Keisla (uxor Stephani Regis, poſt ipſius mortem vidua) „ cum Buda ſatellite ſcelerum, Petrum Alemannum vel po„ tius Venetum, fratrem Reginæ præficere ſtatuerunt. Hoc „ intendentes, ut Regina Keisla motus ſuæ voluntatis pro li„ bitu ſuo poſſet complere, ut regnum Hungariæ, amiſſa li„ bertate, Theutonicis ſubderetur ſine impedimento. Wil„ helmus autem pater Petri Regis fuit frater Sigiſmundi Re„ gis Burgundionum; ſed poſt interemptionem ſancti Sigiſ„ mundi venerat ad Imperatorem, quem Imperator colloca„ vit Venetiis, & dederat ei ſororem ſuam, nomine Gertrud, „ in uxorem, de qua genuit Keislam Reginam. Mortua autem „ Gertrud, Wilhelmus duxit in uxorem ſororem ſancti Re„ gis Stephani, de qua genuit Petrum Regem „. Nec minus deſipit Ranzanus, qui Indice VIII. de Giſela Stephani uxore ſic ſcribit: „ Uxor ei fuit Ceiſſa vel Cheila, natione Germa„ na, filia Geltrudæ, matronæ ſuo ſæculo multis virtutum ge„ neribus inſignis. Ex qua plures ſuſcepit filios, quos omnes „ virtutum meritis, Emericus abſque ulla controverſia vicit „. Nugæ utrobique. Reges Burgundiæ ab anno 888. uſque ad annum 1032. hi fuere: I. *Rodulphus* I. Conradi (*b*) filius ab anno 888. ad 912. II. *Rodulphus* ſecundus, primi filius ab anno 912. ad 937. III. *Conradus* Rodulphi II. filius ab anno 937. ad 993. IV. *Rodulphus III.* Conradi f. ab anno 993. ad. 1032. Et *Rodulphus* quidem hujus nominis ſecundus ex Berta Burchar-

a Aventinus lib. 5. vocat eam Gerpyrgam: nimirum Henrici ſancti Imperatoris ſororem. „ Idem (inquiens) Hainricus Chiemenſibus virginibus Gerpyrgam ſoro„ rem, Bathavenſibus Helicam amitam præficit.

b Continuator Annal. Fuldenſium ad ann. 888. „ Rodulfus vero filius Chunra„ di, ſuperiorem Burgundiam apud ſe ſtatuit regaliter retinere „. Hermannus Contra-

chardi Alemannorum Ducis filia genuit *Conradum*, *Burchardum*, *Rodulphum*, & *Adelaidem*: *Conradus* autem Rodulphi secundi filius genuit *Rodulphum tertium*, & *Bertam*, & alias filias in quibus *Gifeila* Henrico Bavariæ Duci desponsa, ex qua nimirum nati sunt *Gisela* sive *Gisla Stephano* Hungariæ Regi nupta, & *Henricus* sanctus, post Ottonis III. obitum, Imperator. Faceſſant ergo nugæ Thuroczii & Ranzani, qui *Giselam* Henrici Imperatoris sororem & Stephani Ungariæ Regis uxorem, natam dicunt ex *Gertrude* & *Vuillelmo* patre *Petri*, [ejus scilicet qui post Stephanum regnavit,] & fratre Sigismundi Regis Burgundiæ.

Aventinus libr. 5. de anno natali Henrici [qui post Ottonem III. fuit Imperator] „ D. Hainricus secundus Imperator, pius, felix, Cæsar Augustus, Regulus Bojorum, filius Hainrici secundi, & Gisalæ filiæ Conradi Regis Burgundionum, nepos Hainrici primi, fratris germani Imperatoris Ottonis magni, natus est ab orbe servato anno 971. „ Et post pauca, de Stephano ejusque uxore Gisala: „ Adsunt Legati Ugrorum, pacem cum Hainrico perpetuumque fœdus componunt. Rectori eorum, filio Geizonis, qui obierat anno Chr. 996. [*leg.* 997.] Gisala soror Hainrici desponsdetur, hac lege atque omine, ut ille explosa falsorum Deorum superstitione, Christi unius, & veri & summi Dei cultum, cum popularibus reciperet. Accepit conditionem Princeps Ugrus: statim aqua lustrica tingitur, Stephanus appellatur, & a Cæsare Rex nuncupatur. Gisala igitur fatale

tractus ad ann. 912. Rudolphus Rex Burgundiæ obiit, & Rudolfus filius ejus, Regni illius jura disposuit annos xxv. Idem Hermann. ad ann. 937. Ipso anno Rudolfus Burgundiæ Rex defunctus, Agauni apud S. Mauricium sepultus est. Filius ejus Conradus Regnum pro eo suscepit. Hic Rudolphus suscepit ex *Berta* uxore, *Conradum Pacificum* appellatum, qui ei in Regnum successit: *Burchardum* Episc. Lausanen. postea Archiep. Lugdunen. *Rodulfum*, cujus successio ignota: & *Adelaidem* primum cum Lothario Italiæ Rege, & postea cum Ottone Germaniæ Rege in matrimonio collocatam. Vide Pagium ad ann. 937. num. 5. Hermannus ad ann. 993. *Conrado* Rege Burgundiæ mortuo, & apud S. Mauricium sepulto, Rodolfus filius licet Ignavus, Regium ibi nomen occupavit. Idem Hermann. ad ann. 1032. Rudolfus Ignavus Burgundiæ Regulus obiit, & diadema ejus, Regnique insignia Conrado Imperatori per Seligerum allata sunt. Pagius ad eund. ann. 1032. num. 8. Rudolfus III. nullos liberos reliquit, sed inter alias filias *Conradus* ejus pater, genuit *Bertam* Odonis primi, Campaniæ Comitis conjugem, quo ex Matrimonio natus Odo II. qui Rudolfo III. demortuo, Regnum ad se pertinere contendebat. Alias sorores tres habuit Rudolfus III., *Giselam* scil. sancti Henrici Imperatoris matrem; *Gerbergam* nuptam Hermanno Sveviæ Duci, & matrem *Giselæ* Conradi Salici uxoris: & *Matildem*.

„ tale ſortita nomen, Stephano tamquam obſes, & fidei Vin-
„ culum nuptum datur: cujus ope & conſilio Ugri Philoſo-
„ phiam Chriſtianam ſectari cœperunt. Giſala autem lingua
„ Teutonum, obſidem valet, crebrum apud Germanos femi-
„ narum nomen. Nam majores noſtri vim quamdam divinam
„ concordiæ amoriſque mutui ineſſe feminis crediderunt, &
„ efficacius obligari animos eorum exiſtimarunt, quibus inter
„ obſides, puellæ quoque nobiles imperarentur. Hanto,
„ Vvolſger, Hermannus, Boſo, Vventzeslaus, Bojorum opti-
„ mates, cum Giſala in Ugriam migrant, & more Teutonum
„ Stephanum enſe, baltheo militari accingunt, armis in-
„ duunt . . . . . Juxta hunc morem a Bojorum proceribus
„ D. Stephanus arma ſumpſit: atque illorum opera in pace
„ ac bello uſus, gentem ſuam armorum ſtudioſiſſimam, proin-
„ de a pietate Chriſtianam, quaſi inutili, adverſaque viris bel-
„ licoſis, abhorrentem, in obſequio religionis vi continuit „.
Cætera. Recte quidem, quoad Giſalæ genus. At perperam, quoad conceſſum ab Henrico Imperatore Regium nomen Stephano: cum enim titulum una cum Corona & cruce a Silveſtro II. PP. jam acceperat Stephanus anno Chriſti milleſimo, adeoque antequam Henricus Rex Germaniæ eſſet. Falſum eſt etiam, quod Aventinus de nuptiis Stephani cum Giſala narrat, deque ipſius Stephani per nuptiarum occaſionem ad Chriſti fidem converſione. Baptizatus enim fuerat anno 984. uti ſupra eſt demonſtratum. Eæ autem nuptiæ, ab Ottone III. Imperatore conciliatæ eodem anno milleſimo, poſtquam Stephanus a Rom. Pontifice coronam & benedictionem accepit, quemadmodum ſcribit Ademarus in chronico: „ Poſtea vero ipſi filio ejus
„ (Regis nempe Geiſæ) Stephano Otto Imperator ſororem
„ Henrici, poſtea Imperatoris, in conjugio dedit „. Hermannus Contractus (a) Conjugii hujus mentionem facit ſub anno 995. per occaſionem mortis Henrici Giſalæ patris: non tamen ſic, ut eodem anno contractum aſſerat; & in vivis tunc adhuc erat Geiſa, & Stephanus (uti obſervat Hanſizius Tom. 1. pag.

a Verba ejus ex edit. Caniſ. hæc ſunt. „ Henricus Dux Bajoariæ obiit, & filius
„ ejus ex Giſela Conradi Regis Burgundiæ filia, itidem Heinricus, Imperator po-
„ ſtea futurus, Ducatum interim obtinuit: Hujus ſoror Giſela Stephano Regi Un-
„ gariorum, quum ſe ad Chriſti fidem converteret, quaſi vere juxta nomen ſuum
„ obſes, in conjugium data.

pag. 235.) nondum hymenæo maturus. Illud verosimillimum paulo post legatos ad Urbem dimissos, & Coronam Regiam inde obtentam, Giselam Stephano convenisse in manus, ut quem favor Ottonis per eas nuptias emtus, ad consilia maturanda haud dubie impulerit. Certe Chartuitius (*a*) ejus connubii mentionem haud ante facit, quam de accepto Pontificio munere retulisset: tunc enim subjicit, consortem Regni ab Stephano adscitam Giselam, Chrismate unctam, & Corona regia insignitam. Illud certum videtur, Giselam ante annum 1003. jam fuisse in domo Stephani, quum constet ex Adelboldo (*b*) *Brunonem Giselæ* fratrem, sub eum annum in Hungariam profugum, ad sororem venisse. Verba Adelboldi hæc sunt: „ Bruno frater Regis (Henrici) quum primum ad Boleslaum Bohemum se recepisset, apud eum consolationem suam non inveniens, ad sororem suam, Ungaricam Reginam, confugit „ Isto connubio tantum Christianæ rei commodatum est, ut inde vulgo Scriptores occasionem sumserint, Stephani & Hungarorum conversionem adscribendi Giselæ & fratri ejus Henrico sancto, numeraturque inter causas canonizationis Henrici „ conversio Regis Stephani, & totius Hungariæ, Domino „ cooperante per eum facta „ uti scribit Eugenius III. in Bulla

a Chartuit. in Vita S. Stephani. „ Porto consortem Regni, præcipue sobolis „ propagandæ causa adscivit sibi Henrici Imperatoris filiam Giselam: qui Imperator ob morum comitatem & mansuetudinem Pius est appellatus. Ea autem Gisela „ Chrismate uncta, & corona regia insignita, qualem se præbuerit erga Dei cultum „ ornandum, quam frequens & benigna ac liberalis erga Christo servientium congregationes fuerit, multarum Ecclesiarum cruces, vasa sacra & utensilia, miro opere effecta vel contexta, in huoc usque diem testantur „. Ubi *Henricus* per anticipationem *Imperator* vocatur, non quod tunc fuerit jam *Imperator*, quum eæ nuptiæ sunt celebratæ: (Nam anno 1014. a Bened. VIII. Papa coronatus est Imperator) sed, uti scribit Hermannus, futurus postea Imperator.

b Hansizius hoc loco utitur etiam testimonio Annalistæ Hildesheimensis. Verum hic Annalista non de Gisela Henrici & Brunonis sorore, Ungarica Regina, loquitur; sed de Gisla ejus matre. Sic enim habet ad ann. 1003. „ Henricus Bertholdi comitis filius, & Bruno frater Regis, & ambo Bolislavones, Polianicus videl. ac Boëmicus, a Rege infideliter deficiunt. *Et ad annum* 1004. Bruno frater Regis, obtentu domnæ Gislæ matris ejus, acquisivit gratiam „. Ditmarus tamen Adelboldo consentit quoad Brunonem ad Ungaros confugientem, tametsi Giselæ Reginæ nullam injicit mentionem. Sic enim scribit ineunte lib. 6. „ Ac tunc (Henricus Rex) „ Mersburg veniens fratrem suum (Brunonem) fugisse ad Ungariorum Regem veniæ „ gratia acquirendæ, Henricum autem incepti multum pœnituisse, a fidis intercessoribus ab eo missis comperit „. Et mox: „ Ubi Dominus Bruno frater ejus, „ cum Ungaricis intercessoribus, Regi præsentatur, & ab eo data sibi gratia misericorditer suscipitur.

Canonizationis ejusdem anno 1152., insertumque est Martyrologio Romano; retulitque Hermannus Contractus hanc ceu conditionem pactorum, *Giselam* in conjugium datam Stephano, quum se ad fidem Christi converteret. Sed hæc de instaurata potius & amplificata religione, quam suscepta, intelligi debere, satis ex dictis apparet. Dudum antea Geisa cum filio Stephano nomen Christo per Baptismum dederat. Sed hoc videlicet erat quoddam veluti diluculum & umbra Christianitatis [verbis utor Hansizii] quæ postmodum pacto cum Gisela connubio in plenum meridiem effulsit: erectæ & ornatæ Dei ædes; ditati Episcopatus & monasteria: quorum omnium testis est Chartuitius. Primus Metropoleos Strigoniensis Antistes Sebastianus, ex Monasterio S. Martini in eum gradum evectus: atque ab hoc demum cepit initium, Pannoniæ ab Ecclesia Lauriacensi discessio, Christiano Pataviensi Episcopo, ut apparet, imminutionem dioeceseos suæ tam luculento rei Christianæ compendio bene redemtam putante. Sub Moravorum Regibus jam antea hoc ipsum factum observavimus, ut nempe Pannoniæ Archiepiscopus a Lauriacensi seu Pataviensi diversus esset. Quum igitur Moravia quidem nunc a Polonis, nunc a Bohemis occupata, tandem Bohemis tota cessisset, Pannonia autem suos peculiares Reges haberet, hoc fuit in causa, cur erecti a Stephano Rege Episcopatus, Strigoniensi Metropolitano, non Lauriacensi, aut Salisburgensi, accedente præsertim Ottonis III. & Henrici Sancti Imperatorum consensu, auctoritate Apostolica subjacerent.

XXII. Gerardus Canadiensis Episcopus Stephano ac Giselæ Hungariæ Regibus adjutrices manus in propaganda Christi fide adjunxit.

Porro in propaganda per Hungariam Catholica Religione Stephano & Giselæ sanctissimis Regibus adjutrices manus adjunxit S. Gerardus Episcopus Canadiensis. Hic (*a*) Venetis parentibus natus, adhuc puer monachismum amplexus, quum Hierosolymam proficisceretur, eo tempore in Hungariam pervenit, quo Sanctus Stephanus ibi regnabat; & rediens ex Hierosolymitana peregrinatione, a sancto Rege detentus, ex eremo, quo concesserat, revocatus, quum tunc sanctus Princeps impietati gentis profligandæ incumberet, ad prædicandum populo suo Evangelium destinatus fuit. Quare quum idem pius Rex Ecclesiam ad litus Morisii fluminis., juxta quod *Canadium* sedet,

a Uti in ejus vita legitur apud Sur. die 23. Septemb.

det, extruxiſſet, atque inde *Moriſſenam Sedem* appellaſſet, & nobiliter ditaſſet, Gerardus ad eum Epiſcopatum promotus, cum Rege ad totam Pannoniam ad fidem Chriſti adducendam collaboravit. Glaber lib. 3. cap. 2. ubi de converſione S. Stephani agit, addit: „ Tunc temporis cœperunt pene univerſi, „ qui de Italia & Galliis (*a*) ad Sepulcrum Domini Hieroſolymis ire cupiebant, conſuetum iter, quod erat per fretum „ maris, omittere, atque per hujus regionis [*Pannoniæ ſcilicet*] patriam tranſitum habere. Ille vero [*nempe S. Stephanus*] tutiſſimam omnibus conſtituit viam: excipiebat ut „ fratres quoſcumque videbat, dabatque illis immenſa munera. Cujus rei gratia provocata innumerabilis multitudo tam „ nobilium, quam vulgi populi, Hieroſolymam abierunt. „ Quin etiam varia pietatis [*uti de ipſo legitur*] domicilia, „ Romæ, Hieroſolymis, Conſtantinopoli, ſacræ peregrinationis cauſa, fundavit. Humillimis interim precibus Deum „ deprecans, ut univerſum Hungariæ Regnum, antequam e „ vita migraret, Catholicum videre mereretur „. Deceſsit Sanctiſſimus Rex anno Chriſti 1038., relinquens Regnum Petro filio ſororis ſuæ. Nam Emericus ipſius Stephani filius paulo ante ad ſuperos migraverat. Giſela autem, quæ & Ghiſella vocatur, ejuſdem uxor & Emerici mater, marito defuncto, & amiſſo nuper piiſſimo filio Emerico, ſanctioris vitæ deſiderio, ærumnis quoque a Petro Rege cumulatis adacta, Pataviam ad Parthenonem a fratre ſuo Henrico præclare dotatum, ſe contulit. Neſcio quid Hermannus dicat, eam in Hungaria conſenuiſſe: alii etiam occiſam ob flagitia comminiſcuntur: quum monumenta ejuſdem cœnobii Pataviensis perennem habeant Giſelæ memoriam, quam ferunt Antiſtitam inde creatam,

S 2 mo-

a Addere poterat, & de Scotia, Hibernia & Anglia, aliiſque Borealibus regionibus. Nam per eam occaſionem S. Colomannus, genere Scotus, peregrinationem Hieroſolymitanam ſuſcipiens, in Bavariorum confinio atque Maravenſium, ab incolis, quaſi ſpeculator eſſet, captus, & ad profeſſionem culpæ, quam non meruit, diris caſtigationibus compulſus (ut Ditmarus refert) quum ſe nimis excuſaret, pauperemque Chriſti ſe ſic vagari affirmaret, innocens in arbore ſuſpenſus fuit. Sed Dominus malignis, quid in eo egerint, oſtendit. Nam caro ejus a quodam poſtea paululum inciſa, ſanguinem fudit: ungues ac capilli creſcebant; ipſa quoque arbor diu arida, floruit, & hunc Chriſti martyrem eſſe monſtravit. Hæc Marchio Henricus ut comperit, corpus ejuſdem Mezelecum honorifice ſepelivit. Cetera legenda apud Hanſizium Tom. 1.. pag. 238. qui pag. ſeq. Colomani Socium addit *Gotbalmum Peregrinum*.

monasterium præclare illustrasse, & auxisse; isthic etiam sepultam a dextro latere. Hæc Hansizius de Gisela: quam Ranzanus crasso errore appellat *sororem Abæ* seu *Ovonis* illius, qui Petro expulso, Regnum Hungariæ invasit, sic scribens Indice IX. „ Id permoleste ferentes Hungari [*Petri nempe Regis flagitia*] tertio, ex quo regium diadema susceperat, anno, [*idest* „ *Christi* 1041.] vi facta, Regno ipsum pepulere: ipse autem in Germaniam ad Henricum (*a*) Imperatorem Romanorum confugit. Ecclesiarum vero Antistites, cæterique „ Regni primores, quibus hoc erat curæ, abdicato Petro, „ Regem sibi constituunt Albam, fratrem Cheilæ, quam supra ostendi, Beati Stephani uxorem fuisse „. *Ovo*, *Aban*, *Uban*, *Vvo*, *Obo*, *&* *Aba*, idem ipse Hungarorum tyrannus appellatur, qui, ejecto Petro, ab anno 1041. ad 1044. Regnum occupavit. At eum Giselæ fratrem fuisse, somnium est Ranzani. Hermannus de invasa ab illo tyrannide ad ann. 1041. „ Ipso anno Ungarii perfidi Ovonem quendam Regem sibi constituentes, Petrum Regem suum occidere moliuntur „ Idem Hermannus pergit enarrans, Ovone anno 1044. cæso, Petrum in Regnum an. 1045. ab Henrico III. Germaniæ Rege restitutum: „ Petrus Rex [inquiens] Henricum Regem in festivitate Pentecostes ad se invitatum, cum magno apparatu „ suscepit, & maximis muneribus donavit, eique Regnum „ Pannoniarum, Principibus Ungariorum fidelitatem illi & „ successoribus ejus juramento firmantibus, reddidit: quod tamen ab eo ipse, dum viveret, possidendum recepit „. Tum vero Henricus ex Hungaria Giselam Stephani quondam Regis Viduam in Pataviam reduxit. Aventinus lib. 5. ad ann. 1045. „ Cæsar ex Ungaria reversus, secum Gisalam Reginam, uxorem D. Stephani, abducit: Bathaviæ, ubi in templo sacratarum feminarum ejus Mausoleum ostenditur, ab Ugris „ venerabundis aditur, collocavit „. Hoc igitur est, quod Hermannus de Gisela scripsit, eam scilicet in Hungaria consenuisse: nimirum, antequam Bathaviam ab Henrico Rege abduceretur. Illa siquidem post Stephani mariti obitum, a Petro Rege,

a Is erat Henricus hujus nominis tertius, filius Conradi Imperatoris, qui patri defuncto anno 1039. in Regno Germaniæ successit, Imperator coronatus Romæ a Clemente II. Papa anno 1046.

Rege, & fortasse etiam ab Ovone, in Hungaria pessime habita fuerat. Idem Aventinus lib. cit. ad ann. 1038. quo Petrus Regnum iniit. „ Petrus Ugrorum Rex, cui peculiariter D. Stephanus moriens Gisalam Reginam commendarat, huic prædia, dotem vi aufert: ne cuiquam, se inconsulto, quicquam tribuat, eandem jurare cogit: insuper in urbem quandam relegat, ubi diligenti custodia observari jubet; omnem copiam adeundi, abeundi adimit. Proceres, Pontifices, quorum fidem per internuncios Gisala implorabat, quique calamitatem Reginæ miserabantur, & eam tutaturos D. Stephano jurarant, Regem acriter increpant. Nihilominus Petrus in proposito perstat „. Itaque pacato per Henricum Hungariæ Regno, necesse fuit, Reginam etiam Giselam, Henrici Sancti Imperatoris sororem, ab exilio revocatam, in patriam abducere. Id quod, ut modo dicebam, tunc temporis factum, quum Henricus III. in Pannoniam veniens, Regnum Petro, nomine beneficiario, firmavit, idest, anno Chr. 1045. Quamobrem humanum quid passus Hansizius, Giselam ex Hungaria in Noricum discessisse paulo post mariti obitum, hoc est ante annum 1039. perperam scribit, in hæc verba: „ Cæterum Giselæ ex Hungaria discessu, gens impacata ad suos revoluta mores, prædis, incendiis, fines Orientalium populatur. Audaciam præstabat mors Conradi Imp. qui anno 1039. 2. Non. Junii Regnum filio Henrico III. reliquerat: quod iste auspicatus est bello in Bohemos: sed his Petrus Hungarus auxilia submisit: nescius quid pararet fortuna: Nam anno 1041. idem Petrus ab Aba, seu Ovone quodam in Regem acclamato pulsus est „. Et reliqua apud Hungaros ab anno 1041. usque ad annum 1045. quo Petrus ab Henrico III. in Regnum restitutus fuit, gesta: quæ omnia discessum Giselæ ex Hungaria non sequuta sunt, sed antecessere.



CA-

CAPUT III.

Origines Ecclesiasticæ Bohemiæ & Poloniæ.

I.
Quo anno Ducatus Bohemiæ ab Arnulfo Germaniæ Rege fuit Svatopeleco Moravorũ Regi concessus, idest Chr. 890., eodem anno vel sequenti, Borivojus Bohemiæ Dux una cum Ludmilla & Bohemis, a S. Methodio Christianam fidem accepit.

HActenus res Hungaricas persequutus sum. Nunc ad Bohemicas & Polonicas accedo.

Tam ex Reginone, quam ex Annalista Metensi, & Continuatore Freheriano, atque Ottone Frisingensi, demonstratum est supra, Zventibaldo sive Svatopeleco Moravorum Regi anno 890. ab Arnulpho Germaniæ Rege concessum fuisse *Bohemiæ Ducatum*. Hinc discimus, quo anno Borivojus Dux ad Christi fidem ab eodem Svatopeleco & a Sancto Methodio adductus sit: nimirum, eodem anno 890. quo Arnulfus Ducatum Bohemiæ concessit Zventibaldo Moraviæ Regi, aut saltem sequenti. Nam Sanctus Methodius una cum eodem Rege Zventibaldo per eam occasionem Boriwojum, Ludmillam, & Bohemos Christiana fide imbuendos curavit. Quare Bohemicarum Rerum Scriptores hac in re mihi videntur a veritatis scopo aliquantulum aberrasse, dum vulgi famam sequi, quam Synchronis auctoribus fidem adjungere maluerunt. Ut enim sileam, quæ de duobus Svatoplucis seu Zventibaldis Moravis, deque Cyrillo ac Methodio perperam commentantur, Boriwojum primum e Bohemiæ Ducibus Christianam religionem non ita, ut modo dicebam, neque eodem anno suscepisse referunt, dum nullum tamen antiquum testem proferunt. Unum sub aspectum proponam quæ illi narrant.

II.
Dubravii narratio de Baptismo Borivoji Bohemiæ Ducis, marginalibus observationibus notatur.

Joannes Dubravius lib. 4. historiæ Bojemicæ: „ Borivorius „ (inquit) diverterat ad Regem Moraviæ Svatoplucum, partim „ officii, partim amicitiæ paternæ confirmandæ gratia, venitque „ eo forte die & tempore ad Regem salutandum, quo ille a sacrosanctæ Dominicæ Cœnæ convivio in Aulam reversus, „ mensæ accumbere suæ parabat. Reddita igitur salute Rex: „ Ignoscas, inquit, Bojeme hospes, quod ad prandium hoc „ in præsentiarum non invitere. Nec enim fas est, nec jura „ Christiana sinunt, reverenti a mensa vivi Dei, eum convivam habere, qui mensæ Deorum mortuorum accumbere, „ deque illorum sacrificiis participare solet. Proinde, si tibi nostra

,, nostra convivia arrident, fac ut simul tibi nostra etiam arrideat religio. Ac tunc demum noster eris, & valde gratus conviva. Pupugerunt ista animum Borivorii, sed magis adhuc eidem cogitationem de mutanda superstitione injecerunt, honores ab Arnulpho (*a*) Cæsare ipsi Svatopluco habiti, posteaquam religione Christiana (*b*) initiatus fuit. Nam tanta inde Arnolphus (*c*) benevolentia, tantoque favore Svatoplucum prosecutus est, ut in gratiam ejus venire in Moraviam ad diem non gravaretur, ad quem invitatus erat, ut filiolum suum (*d*) e sacro fonte levaret. Ubi hac præterea in illum usus est liberalitate, ut tributum illi attribueret, quod princeps Bojemiæ (*e*) Cæsari tunc pendebat. Quum itaque non solum honorificam Borivorius, sed etiam fructuosam videret esse religionem christianam, ad illam vehementer aspirare cœpit. Sed meliore mox spiritu afflatus fuit, quum divum Methudium, divi Cyrilli (*f*) collegam, ambos Moraviæ & primos Antistites, de fide & religione christiana disserentem audivit. Alios videlicet honores, & alia præmia cultoribus illam suis polliceri, neutiquam fluxa & caduca, sed plane stabilia atque æterna; si quis illa per Baptismum, qui fidem perficit, consummaverit. Adfuit Spiritus Sancti gratia, animumque Borivorii, luce fidei Christianæ sic illustravit, ut ibidem statim cum

,, bene

---

a Zventiba'dus obiit anno 894. Arnolphus autem anno 896. a Formoso Papa est coronatus Augustus Imperator. Nondum ergo Cæsar erat Arnolphus, quum hæc Zventiba'dus ad Borivorium dicebat.

b Rastislaus Zventibaldi patruus a S. Methodio ad Christi fidem adductus est. At Zventibaldus Rastislai nepos videtur ab infantia Baptizatus. Certe is ab anno 870., patruo dejecto, Regnum Moraviæ a Ludovico Rege accepit: ab Arnulpho autem anno 890. Ducatum Bohemiæ insuper obtinuit, quum jam per annos 20. Rex Moravis præfuisset.

c Arnulfi in Svatoplucum benevolentia inde ortum habuit, quod idem Svatoplucus Arnulfo, antequam in Regni Germaniæ fastigio sublimaretur, familiaritatis gratia fuerit connexus. Vide Annal. Meten. ad ann. 890.

d Non Arnulfus filium Svatopluchi, sed Svatoplucus filium Arnulfi a sacro fonte levavit: deque suo nomine Svatoplucum, seu Zventibaldum appellavit. Vide Annal. Meten. ad annum 890. & Ottonem Frisingensem lib. 6. cap. x1.

e Arnulfus Ducatum Boëmiæ, non tributum quod princeps Boëmiæ pendebat, concessit Svatopluco, uti Annalistæ Franci narrant. Falsum est insuper, quod tributum Boëmia Cæsari penderet. Non Cæsari, sed Regi Germaniæ pendebat, cui subjecta erat, & quam Arnulphus Svatopluco ad tempus concessit.

f Methodius Cyrilli frater erat, non collega. Præterea, quo hæc anno gesta sunt (certe circa ann. 890.) jam Cyrillus in vivis esse desierat, uti supra est ostensum. Demum Cyrillus decessit in monachico instituto, Episcopus Moravorum non fuit.

„ bene multis ſuis clientibus aqua ſalutari a Methudio tin„ geretur; deinde uxor quoque ejus, cui Ludmillæ nomen, „ in Bojemia ab eodem tincta fuit, & magnus præterea „ Bojemorum utriuſque ſexus numerus ad Baptiſmum ad„ fluebat.

III. Quid de eodem Borivojo Bohemiæ Duce in Vitis SS. Cyrilli ac Methodii, & S. Ludmillæ apud Bollandiſtas: Ante hunc Borivojum, quinam Duces Bohemiæ præfuerint?

Hæc Dubravius. Blauburanæ (*a*) narrationis Auctor in Vita SS. Cyrilli ac Methodii, poſtquam B. Methodium a Svatopluco Moraviæ Rege pœnitentiam agente in Moraviam revocatum dixiſſet, pergit de Bohemis ſic ſcribens num. 14. & ult. „ Accidit autem, ut Rex Svadopluk in quodam con„ vivio Ducem Boëmiæ, nomine (*b*) Worſiwoi, ſub men„ ſa ſua in deteſtationem ſuæ perfidiæ locaret, incongruum „ aſſerens debere cum Chriſticolis gentilem hominem ede„ re. Quem S. Præſul Methudius convertit ad fidem ca„ tholicam, prædicens ei ore prophetico, ſi baptizaretur, „ quod ipſe & ſui ſucceſſores potentiores omnibus Princi„ pibus & Regibus fierent. Cujus verbis Dux Worſiwoi con„ ſentiens, ſe petiit cum triginta ſuis baptizari. Quo baptiza„ to, Sacerdotibus ſecum receptis, Bohemiam revertitur, „ & uxorem ſuam S. Ludmillam cum multitudine gentis Bohe„ miæ curavit baptizari: qui in Chriſti fide viventes, poſt „ multa tempora animas Chriſto reddiderunt, ſancta exem„ pla poſt ſe relinquentes poſteris uſque in hodiernum diem.

Vita S. Ludmillæ (*c*) ex Codice Budicenſis Cœnobii deſumta & a Bollandianis edita, hoc ipſum quidem habet de Borſivojo Duce ejuſque uxore Ludmilla, quod ex ſecunda SS. Cyrilli ac Methodii vita modo recitavi; ſed initio de *Pythoniſſa* & *Primizo* quædam præmittuntur, Poëticis affinia fabulis, quæ videre eſt apud Æneam Silvium hiſtor. Bohemicæ cap. 5. & 6. & apud Dubravium lib. 1. & 2. ubi de *Libuſſa Croci* ſecundi (ut ajunt) Bohemiæ Ducis filia, deque *Primislao* tertio (juxta Æneam Silvium) & quarto (ſecundum Dubravium) Bohemiæ Duce agunt. Illud tantum inter hos auctores, & ſcriptorem vitæ S. Ludmillæ intereſt, quod in hac vita, Boriwojus ſtatim poſt

---

a Secunda vita S. Cyrilli ac Methodii a Bollandianis Patribus ad IX. Martii edita, Ex Cod. MSS. Blauburani cœnobii, quod ſitum eſt haud procul Ulma de quo vide eoſdem Bollandianos in Comment. prævio ad IX. Martii §. III. num. 20.

b Al. Borivoi, & Borivorius.

c Apud Bollandianos Patres ad IX. Martii a pag. 24.

post junctam Primislao matrimonio Libussam Pythonissam dicitur ipse Bohemis Dux præfuisse his verbis: „ Pestilentiæ „ cladibus afflicti Bohemi, Pythonissam quandam adeunt, „ postulantes quid sibi facto opus esset: cujus responsione (inquit) gubernatorem agrorum suorum quemdam sagacissi- „ mum virum statuunt, cognominatum Primiz, juncta ei in „ matrimonium eadem Pythonissa. Sicque demum a clade, „ ac multiplici peste eruti, Ducem sibi vel Principem præpo- „ suerunt, vocitatum Boriwoi; servientes ipsi, uti cœperant, „ dæmoniorum simulacris, ac profanis sacrificiorum artibus „ debacchantes „. At Rerum Bohemicarum scriptores seriem Bohemiæ Ducum inter Primislaum & Boriwojum aliter texunt, interserentes nempe (*a*) *Nezamislum*, *Mnatham*, *Vogenum*, *Uneslaum & Uratislaum fratres*, *Crezomysliun*, *Neclan*, *& Hostivitium* cum *Myslibogio*. Quidquid tamen sit de Borivoji decessoribus, consentiunt in hoc omnes, quod is patre Hostivito natus sit, uxoremque habuerit Ludmillam: de qua hæc tradit Auctor vitæ apud Bollandianos. „ Princeps igitur iste Bori- „ woi, quum excellentissimæ & egregiæ juventutis flore nite- „ sceret, quodam tempore, negotii sui populique sibi com- „ missi causa, Ducem sibi vel Regem Zventepulk, qui ab in- „ cepta pertinacia mitigatus, viam veritatis constanter appre- „ henderat, adiit, tunc temporis Morawe unacum Methodio „ Pontifice commorantem: a quo videlicet Rege benigne su- „ scipitur, ad convivium pariter cum reliquis adsciscitur. Verum „ sessionis ei locus inter Christicolas minime conceditur, sed „ ritu paganorum (*b*) ante mensam pavimento jubetur in- „ sidere. Tum Præsul Methudius injuriæ condolens, fertur „ di-

a Ita Dubravius lib. 2. & 3. At Æneas Silvius hos recenset post Primislaum tertium Ducem, & puellas Valascam & Satcam, nimirum, 4. Nimislaus. 5. Mnata. 6. Votcius. 7. Vinslaus. 8. Grezamislaus qui & Neclam dictus, & patruus Uratislaus. 9. Nostirico. Sic enim Hostivitium vocat, Borsivoji decessorem. Cosmas denique Pragensis lib. 1. Primislao successisse scribit. 1. Nazamisl. 2. Mnata. 3. Voyn. 4. Unizlau. 5. Crezomizl. 6. Neclan. 7. Gostivit. Et subdit: Gostivit autem genuit Borivoy, qui primus Dux baptizatus est a Ven. Methodio Episc. in Moravia sub temporibus Arnolphi Imp. & Zvatoplik ejusdem Moraviæ Regis.

b Scriptores Bohemici ad unum, dum hoc Svatopluchi & Borivoji factum narrant, illud sic exponunt, perinde ac si *propter idolorum cultum* Boriwojus humi comedere jussus sit a Svatopluco Moraviæ Rege: „ Rex Svatopluk (inquiunt) in quo- „ dam convivio Borzivojum Bohemiæ Ducem sub mensa, in detestationem suæ perfi- „ diæ,

„ dixiſſe ad eum: væ, inquit, quod tu talis tantuſque non
„ erubeſcis a principalibus ſedibus repelli, quum & ipſe in fa-
„ ſcibus Ducatum obtineas; ſed magis cupias ob nefandam cul-
„ turam cum ſubulcis humotenus incubare. At illu, quid, in-
„ quit, ob hujuſmodi rem periculi patior? vel quid mihi boni
„ conferet Chriſtianitatis ritus? ſi, inquit Præſul Methudius,
„ abrenuuciaveris idolis, & habitantibus in eis dæmonibus,
„ dominorum dominus efficieris, cunctique hoſtes tui ſubji-
„ cientur ditioni tuæ, & progenies tua augmentabitur, ſicut
„ fluvius maximus, in quo diverſorum confluunt fluenta rivu-
„ lorum. Et, ſi, inquit Boriwoi, res ſe ita habet, quæ mora
„ eſt baptizandi? nulla, ait Pontifex: tantum paratus eſto ex
„ integro corde credere in Deum Patrem omnipotentem,
„ ejuſque Unigenitum D. N. Jeſum Chriſtum, & in Spiritum
„ Paraclitum, illuminatorem omnium fidelium animarum;
„ non tantum mundialis cauſa ſubſtantiæ, verum capeſſendæ
„ ſalutis animæ tuæ, & acquirendæ perennitatis gloriæ, ſimul
„ etiam percipiendæ ſocietatis Sanctorum, & ineffabilis læti-
„ tiæ eorum. His & hujuſmodi mellifluis exhortationibus ac-
„ cenſa mens juvenis, æſtuabat gratiam baptiſmi percipere.
„ Et ut nulla mora fieret, cum his qui comitabantur eum,
„ terratenus pedibus Pontificis advolutus, obnixius poſtula-
„ bat. Quid plura? mane facto, Ducem ipſum, & triginta
„ qui cum eo venerant, catechizans, peractis jejuniorum ex
„ more ſolemniis, ſacroſancto baptiſmatis fonte initiavit; ple-
„ ni-

„ diæ, locavit, incongruum aſſerens, debere cum Chriſticolis gentilem hominem „ edere „. Non hæc, ſed alia cauſa fuit, quam ii ſcriptores quum nollent narrare, Bohemiæ Ducatum ab Arnulpho quondam fuiſſe Moraviæ Regi conceſſum atque ſubjectum, videntur mihi diſſimulaſſe. In more quippe Slavorum poſitum erat, ut ſubditi cum Domino ad menſam non ſederent, ſed Domino ſedente, illi in terra manducarent. Accipe certum documentum ex epiſtola S. Nicolai Papæ ad Conſulta Bulgarorum. Quærunt Bulgari cap. 42. de conſuetudine edendi apud Regem: Pontifex autem ſic eis reſpondet. „ Aſſeritis, quod Rex veſter quum ad manducandum in ſedili, ſicut mos eſt, ad menſam ſederit, nemo ad conveſcendum etiam, neque uxor „ ejus, cum eo diſcumbat, vobis procul in ſellis reſidentibus, & in terra manducantibus, & idcirco quid vobis hinc præcipiamus, noſſe deſideratis. Unde nos, „ quia non contra fidem quod agitur eſt; licet bonos mores ſatis impugnet, non tam „ præcipientes, quam ſuadentes hortamur, ut ad Chriſtianæ religionis cultores „ Principes attendatis, & humilitatis eorum conſiderantes faſtigium, deponatis ex „ vobis omne ad nihil utile ſupercilium „. Reliqua, in commendationem quidem Chriſtianæ humilitatis, ſed quæ neque a Slavis, neque ab aliis Regibus uſurpata ſunt, ut ſcil. ad menſam ſuam ſubditos conſidentes admittant.

„ niterque eum de fide Christi instruens, multis locupletatum „ donis, ad propria redire concessit, tribuens ei venerabilis „ vitæ Sacerdotem, nomine (*a*) Caych. Qui reversi in sua, „ supradictum Sacerdotem statuunt in castello, cui nomen „ Gradicz, fundantes Ecclesiam in honore S. Clementis Papæ „ & Martyris, multa detrimenta Satanæ ingerentes, populum „ vero multum Christo Domino acquirentes. Quæ cernens „ perfidus ille Chelydrus, propriis armis sumptis, antiqua bel„ la reparat, populum cunctum Bojemorum in furorem Prin„ cipis accendit, eo quod paternos mores relinqueret, & no„ vam atque inauditam sanctitatis legem Christianorum arri„ peret. Surgunt igitur adversus eum uno animo eademque „ sententia, & suis eum a finibus proturbare conantur, seu „ etiam vitam ipsam auferre moliuntur. Quo agnito Princeps „ sese ab eis removit, rursumque Regem Zventepulk sive „ Pontificem Methudium repetivit: a quibus charissime, &, „ ut decebat, hnmanissime suscipitur, & aliquantulum apud „ eos degens, doctrinam Christi perfecte nanciscitur. At vero „ plebs præfata in nequitia sua permanens, quemdam Ducem „ (*b*) Zreimir, cujus nomen in Latinum vertitur sermonem, „ *Judica Pacem*, qui apud Teutones profugus exulabat, de „ sua gente missis Legatis, ad propria reducunt, sibique Prin„ cipem statuunt. Verum quia veritas minime fallitur, quæ „ ait in Evangelio: omnis plantatio, quam non plantavit Pa„ ter meus cælestis, eradicabitur; ipsa cooperante, dissipatum „ est consilium pravorum velociter. Nam isdem eorum ele„ ctus Dux, licet ex ipsis genitus esset, diuturna tamen exu„ latio proprii eum privaverat labii eloquio. Quapropter a suis „ electoribus rejicitur, primum seipsos accusantibus, videlicet

 „ quod

a *Paulum* vocat Dubravius lib.4. pag. 27. Borivorius (abdicato Regno, & Spigneo filio inaugurato, additis ei rectoribus Detonio & Mytsone) „ se cum uxore „ Ludmilla ad arcem, cui Tetin vocabulum, contulit, Paulo Sacellano secum per„ tracto, quem, secundum Præsulem, ante alios Sacerdotes pietatis & religionis er„ go suspexit „. Et pag. 28. post mortem Borivoii mariti, Ludmilla ejus uxor, Venceslaum ex Uratislao filio nepotem „ adoptavit, aluitque deinceps pro suo, „ præceptorem ei adjungens Paulum sacrificulum suum, virum opinione sanctitatis „ celebrem.

b Dubravius lib. 4. pag. 25. *Stoymirum* vocat, eumque inter Bohemiæ Duces, XIII. recenset. Unus aliquis (inquit) Stoymirum nominat, quem Hostivitius princeps in exilium ad Bavaros egerat Frater hic Sucoslai Bilinæ quondam tyranni fuit „ ac jam tredecimus ab exilio ejus circumvolutus erat annus.

„ quod talem ſibi elegiſſent, cujus neque vocem neque ſer-
„ monem poſſent haurire, & quorum clamores, aures ignaras
„ linguæ ſuæ, penetrare non valerent. Et quoniam Dei pro-
„ videntia diſponente ſupramemoratus Princeps Boriwoi plu-
„ rimos amicorum inibi ſecedens reliquerat; agitur eorum
„ conſilio, ut animus furentium plebium erga benignum re-
„ ctorem mitigaretur, atque adverſus perfidum invaſorem to-
„ to anniſu inſtigaretur in necem. Verum quoniam pars quam-
„ maxima perfidorum tyranno favebant, ineunt conſilium,
„ quo civitatem Metropolim Pragam adeant, & ibi ſimul egre-
„ dientes in campum, quid ſibi gerendum foret, juxta bene-
„ placitum utriuſque partis diligenter exquirant. Perfidorum
„ ergo pars perperam agens, arma ſecum loricaſque occulte
„ in eundem campum detulit, ut ſi hi, qui ex parte Principis
„ Boriwoi erant, eis in omnibus aſſentire nollent, quilibet
„ eorum excelſa voce occultum in medium proclamaret ſi-
„ gnum, inquiens; variemus, variemus nos: ſicque loricas &
„ galeas, quas occulte tulerant, induti, contradictores ſuos
„ frameis necarent. Quod conſilium eorum peſſimum partem
„ Boriwoi minime latuit. Itaque & ipſi loricis ſub tunicis in-
„ duti, procedunt in campum pro definiendo ſtatu Principis
„ ſui. Quumque parti Zreimir non placuiſſet conſultus partis
„ Boriwoi, unus eorum vocem in altum elevans, proclamat:
„ eja noſtri, variemus nos. Qua voce cognita, pars Boriwoi,
„ quæ loricata erat ſub tunicis: Bene, inquit, bene dixiſti,
„ ecce nunc diverſis coloribus variatus apparebis. Sicque fer-
„ ro obtruncato illo, armatos ejus ſocios fugam inire coëge-
„ runt, & falſum Principem eorum patria expulerunt. Mora-
„ we dehinc properantes, priſtinum Principem Boriwoi illinc
„ reducunt, & loco proprio reſtituunt. Quoniam vero iſdem
„ Princeps Morawe degens, omnipotenti Deo votum vove-
„ rat, quod, ſi eum Dominus ad propria cum honore reduce-
„ ret, Baſilicam in honore Beatæ Dei Genitricis & perpetuæ
„ Virginis Mariæ ædificaret, reverſus ſine mora votum ſuum
„ implere ſtuduit in civitate Pragenſi. Hic, inquam, Princeps
„ primus fundator ſanctorum locorum, congregator Clerico-
„ rum, & tantillæ, quæ tunc fuit, religionis extitit conſtitutor.
„ Habuit etiam uxorem, nomine Liutmilam, filiam Zlauboris
„ Co-

„ Comitis in provincia Slavorum, quæ Speu antiquitus nuncupabatur, nunc a modernis propter civitatem noviter inibi constructam, Milnick vocitatur. Hæc nimirum Liutmila, sicut prius in errore gentilitatis immolando simulacris fervens extiterat, ita postmodum imitando virtutes mariti sui, ad religionem Christianitatis conversa, facta est ferventissima famula Christi. Suscepit igitur ex ea sæpememoratus Princeps (*a*) tres filios, totidemque filias, ut ei Methodius Pontifex prophetico ore prædixerat, & quotidianis incrementis cum omni gente sua regnoque coagmentabatur.

IV.
De Borivojo Bohemiæ Duce, ejusque uxore Ludmilla, & filiis Spitigneo ac Uratislao; necnon Drahomira Uratislai conjuge, eorumque filiis Venceslao, & Boleslao. Ex Dubravio.

Fusius hæc persequitur Dubravius lib. 4. a pag. 25. enarrans, quomodo Borivorius ob Dogmatis Christi professionem exosus, populari licentia coactus sit, abdicato Ducatu in Moraviam se recipere, dum interim Ludmilla ejus uxor unacum parvis liberis apud Slaviborium Melnicensem Comitem in custodia lateret: mox exauctorato post decimum mensem quem factiosi intruserant Stoymiro, Borivorius dignitati suæ restitutus, secum in Boëmiam Præsulem Methodium ex Moravia abduxerit, ut ab impietate quos posset ad pietatem converteret: quorum Ludmilla Borivoii uxor, prima fuit, dein liberi utriusque, mox etiam Slaviborius cum tota familia: exstructisque in arce Vicegradensi S. Clementis, & in colle Zyderaso Sanctorum Petri & Pauli Templis, quum Sacerdotes a Methodio Præsule consecratos constituisset, scholasque in quibus Latinæ literæ ediscerentur, instituisset, videns, populum non tacito murmure solum, sed etiam aperto clamore significare, se mutationem religionis, sed nec Principem illius auctorem diutius laturos, Spi-

---

a Scriptores Bohemici, Æneas Silvius, & Cosmas Pragensis, de filiabus quidem Borivvoji silent; filios autem habuisse eum duos tantum scribunt. Cosmas pag. 11. „ Borivvoy autem genuit duos filios, Zpitigneum, & Wratislaum ex ea, quæ fuit „ filia Zlauboris Comitis de castello Pson, nomine Ludmilla „. Æneas Silvius c. 14. „ Borsivojus autem, conjuxque Ludmilla, Christianam veritatem amplexi, fidem „ catholicam inter Bohemos magnopere ampliarunt. Ludmilla filia fuit Comitis „ Slamborii castelli Bizeniæ, quod postea Melinca dictum est. Ex qua tulit Borsivojus duos filios, Spitigneum & Uradislaum „. At vero Dubravius lib. 4. p. 26. tertium addit Boleslaum, de quo sic: „ nascitur interim Borivorio ex Ludmilla filiolus, nomine Boleslaus, Methudioque Præsuli tingendus ungendusque offertur. Et pag. 27. „ Intervenit iis luctus, Borivojo & Ludmillæ, humano more lugentibus „ filioli Boleslai occubitum.

Spitigneo filio natu maximo Regnum (*a*) abdicarit, ad arcem Tetinenſem unacum Ludmilla uxore & Paulo Sacellano ſeſe recipiens. Mortuo autem Spitigneo, quum revocaretur ad Principatum Borivorius, quoniam alter ejus filius Uratislaus impar oneri ferendo propter ætatem adhuc teneriorem eſſe videbatur, obtinuerit idem Borivorius, ut ipſe Uratislaus ſuccederet, egeritque cum Methodio præſule & Dobroſino affinitate ſibi conjuncto, ne a latere filii Uratislai diſcederent, ſed ſemper illum ſubmonerent, quid ſequi in vita adhuc lubrica, quid fugere oporteat. Borivorius vero, data filio Uratislao in matrimonium (*b*) Drahomira, ad otium & rerum divinarum contemplationem in arcem ſuam reverſus, conſtructo ibidem a ſe Archangelo Michaëli & altero a Ludmilla ſanctæ Catharinæ templo, ſemel tantum deinceps filium inviſens, ut nepotem ſuum Venceslaum, quem Drahomira enixa fuerat, conſpiceret, utque eandem Drahomiram, ſiqua ratione poſſet, ad ethnicam ſuperſtitionem deponendam induceret; quum illa moras doli plenas necteret, eumque ſpe inani lactaret, is ægritudine, velut ſomno, preſſus, in Domino obdormierit, & in æde a ſe recens condita atque a Methodio præſule conſecrata, conditus fuerit. Uratislaus denique, patre mortuo, & Præſule qui Romam abierat deſtitutus, Ludmillæ matris conſilio rem Chriſtianam magno ſtudio amplificaverit; ſuſceptiſque ex uxore Drahomira Venceslao & Boleslao filiis, quorum primum Ludmilla avia, alterum mater Drahomira educandum acceperat, extructiſque duobus templis, altero quidem in monte qui Pragæ minori imminet ſub nomine S. Georgii, & altero in Boleslavia ſub nomine SS. Cyrilli & Methodii, qui Romæ jam obierant, moriens & ipſe, in memorata S. Georgii æde ſepeliri ſe juſſerit: Venceslao vero poſt patrem regnante, eo quod Ludmilla avia apud ipſum majore gratia, quam mater Drahomira polleret, hæc communicato cum impio Boleslao conſilio, tam filium Ven-

a Æneas Silvius cap. 14. & 15. & Coſmas Pragenſis lib. 1. pag. 11. mortuo Borivojo, Spitigneum ſucceſſiſſe, & hoc ſine liberis defuncto, Uratislaum ſuffectum ſcribunt. Quo (Borivojo) ſeliciter univerſæ carnis viam ingreſſo (inquit Coſmas) ſucceſſit paternum in principatum Spitigneus: poſt cujus obitum obtinuit Wratislaus Ducatum.

b Æneas Silvius cap. 14. *Drahomicia*. Coſmas, *Dragomira de duriſſima gente Luticenſi, ex provincia nomine Stodor*.

Venceslaum, quam aviam Ludmillam e medio ſuſtulerit. Et de cæde quidem Ludmillæ hæc Dubravius lib.5. pag. 31. „ Interim Drahomira dirumpi præ invidia, ſecumque nefaria „ adverſus Socrum meditari, quod illa majore gratia apud „ Venceslaum, quam ipſa mater polleret, religionemque „ Chriſtianam nimis prolixe proveheret. Nec longius nefarie „ meditata perficere diſtulit, quam invenit cædis perficiendæ „ audaces Sicarios. Inſtante exitii die, quem Ludmilla futu- „ rum divinitus præviderat, vocat ad ſe clientulos omnes, „ mercedemque cuique ſuam diſſolvit: & præterea quidquid „ in penu, in cella, in horreis, in loculis redundaret, id ſua „ manu in ſinus uſuſque pauperum transfudit. Poſthæc remo- „ tis arbitris, ac ſolo adhibito Paulo Sacerdote, ante aram pro- „ volvitur, ſactaque exomologeſi, de manu ejuſdem Sacerdo- „ tis, ſacroſanctum vitæ accipit Viaticum, mox inde ſini ſuo „ propitium Deum exorat; quum ecce tibi eadem hora ſub- „ miſſi a nuru (*a*) Thomas & Gumo, non tam genere, „ quam ſcelere nobiles, in ſacrarium irrumpunt, ac velo, quo „ ſancta vidua caput velatum habuit, eliſis faucibus proſtra- „ tam ſuffocant „. Cædes autem S. Venceslai ab eodem Dubravio pagin. 34. deſcripta, notior eſt, quam ut hic referri debeat.

V.
Rerum Bohemicarum ſcriptores, Dubravius, Pontanus, Æneas Silvius, Coſmas Pragenſis, circa Borivojum & Svatoplucum, aſyſtatu nonnulla referunt.

Jam vero in deſcribendis Ducum Bohemiæ geſtis, a Borivoji temporibus, qui primus Chriſto nomen dedit, uſque ad ſancti Venceslai martyrium, laudati Rerum Bohemicarum ſcriptores, Io: Dubravius ejuſque epitomator Georgius Bartholdus Pontanus, præter quam quod in iis quæ ad oram notavi ſibi invicem non conſentiunt, de tempore rerum geſtarum nihil certi nobis ſubminiſtrant, quod ſtatuere poſſimus, nec quando eæ contigerint, enarrant. Coſmas Pragenſis hæc omnia intra annum Chriſti 894. & 928. includit: nam quum anno Incarn. 894. Boriwojum a Methodio Epiſcopo in Moravia temporibus Arnolphi Imperatoris (*b*) & Zvatopliki ejuſdem Moraviæ Regis baptizatum ſcripſiſſet, eaque conſequenter narraſſet quæ ſupra de Zpitigneo, & Uratislao, deque Ludmilla, Drahomira, Boleslao

a Æneas Silvius cap. 15. „ Tymam & Simonem nefarios homines, Drahomicia „ ſubmittens, ſocrum in caſtello Thetim ſtrangulari juſſit.
b Rectius dixiſſet, *Germaniæ Regis*.

leslao & Venceslao ſupra tetigimus, ſtatim ſubjungit: „ Inter „ hos autem annos quos infra ſubnotavimus, facta ſunt hæc „ quæ ſcripta prælibavimus: non tamen ſcire potuimus, qui- „ bus annis ſint geſta ſive temporibus: Anno Dom. Incar. 895. „ & ſequentibus, uſque ad annum Dom. Incarn. 927. „ Mox nullo mediante addit: „ Anno Dom. Incarn. 929. quartâ Ka- „ lend. Octobris ſanctus Wenceslaus Dux Boëmorum, frater- „ na fraude, martyriſatus, in urbem intrat perpetuam, cæli „ ſcilicet aulam „. Adeoque Baptiſmum Borivoii Coſmas ad annum confert 894. & martyrium S. Wenceslai ad annum 929. Æneas autem Silvius (*a*) baptiſmum Borivoji ad ann. 895. refert, non adnotato martyrii S. Venceslai tempore: ſic enim ſcribit cap. XII. „ Noſtirico (Hoſtivito) Borſivojus filius ſuc- „ ceſſit, ultimus Paganorum Ducum: qui tamen & ipſe impe- „ rante Arnulfo Cæſare a B. Methodio Moravorum Archiepiſco- „ po cum Ludmilla conjuge ad baptiſmi gratiam perductus eſt „ 895. anno poſt Chriſti Salvatoris noſtri ortum.

Sed ad Borivojum quod attinet, errat certe tum Coſmas, qui anno 894. tum Æneas Silvius, qui anno 895. eum baptizatum ſcribit: nam Zvatoplucus, qui unacum Methodio Præſule, Borivojum baptizandum curavit, anno 894. deceſſit: neque fieri poteſt, ut eodem anno 894. Borivojus baptizatus ſit, Ducatu a ſuis ejectus, & poſt decimum menſem reſtitutus. Antiquiores ſunt, ac proinde fide digniores Annales Metenſes, in quibus dicitur, Zventipulcus Boëmiæ Ducatum anno 890. ab Arnulfo accepiſſe, & anno 894. deceſſiſſe; quum ſcilicet vel eodem anno 890. vel ſequenti Borivorium ſibi ſubjectum Boëmiæ Ducem cum Ludmilla & aliis ſacro fonte abluendos curaſſet.

Errat inſuper idem Coſmas, unacum Ænea Silvio, dum Zvatoplucum Moraviæ Regem, ſub quo Borivojus baptiſmum ſuſcepit, narrat, eodem anno in montem ſeſe recepiſſe, ut Arnulfi furorem declinaret. Verba Coſmæ accipe. „ Eodem „ anno Zvatopluk Rex Moraviæ (ſicut vulgo dicitur) in me- „ dio exercitu ſeorſum delituit, & nuſquam comparuit. Sed „ re-

a Pagius ad ann. 894. num. 18. *Eundem annum* 894. converſionis Borivvoji *ſignant Æneas Silvius & Jo: Dubravius*. At hic nullum, ille vero annum ſignat 895. Vide utrumque in hiſtor. Bohemica.

„ revera dum in seipsum reversus, quum recognovisset, quod
„ contra dominum suum Imperatorem & compatrem Arnul-
„ sum injuste & quasi immemor beneficii arma movisset, qui
„ sibi non solum Boëmiam, verum etiam alias regiones hinc
„ usque ad fluvium Odram, & inde versus Ungariam usque
„ ad flumen Gron subjugarat; pœnitentia ductus, mediæ no-
„ ctis per opaca nemine sciente ascendit equum, & transiens
„ sua castra, fugit ad locum in latere montis Zober situm, ubi
„ olim tres eremitæ inter magnam & inaccessibilem hominibus
„ silvam, ejus ope & auxilio, ædificaverant Ecclesiam. Quo
„ ubi pervenit, ipsius silvæ abdito in loco equum interficit,
„ & gladium suum humi condidit: & ut lucescente die ad ere-
„ mitas accessit, quis sit, illis ignorantibus, est tonsuratus, &
„ eremitico habitu indutus, & quandiu vixit, omnibus inco-
„ gnitus mansit; nisi quum jam mori cognovisset, Monachis
„ semetipsum, quis sit, innotuit, & statim obiit. Cujus re-
„ gnum filii ejus parvo tempore, sed minus feliciter tenue-
„ runt, partim Ungaris illud diripientibus, partim Teutoni-
„ cis Orientalibus, partim Poloniensibus solo tenus hostiliter
„ depopulantibus. *Et Æneas Silvius cap.* XIII. Svatocopius
„ regum penultimus, quum aliquandiu feliciter regnasset,
„ tandem Arnulpho Imperatori tributum pendere recusans,
„ commisso prælio, quum suos cadere animadvertisset, clam
„ sese pugnæ subtraxit, atque ut erat, mutata veste incognitus,
„ salutem solus fuga quæsivit. Quumque ad montem venis-
„ set, cui Sambri nomen est, abjectis armis, equo dimisso, pe-
„ dibus iter fecit, & tamquam viator inops, vastissimam in-
„ gressus eremum, tamdiu pomis arborum atque herbarum ra-
„ dicibus vitam sustentavit, donec tres eremi cultores obvios
„ habuit: quibus sese adjungens, usque ad extremum vitæ
„ perseveravit incognitus, patienter ac sedato animo incom-
„ moda quæque ferens. Ubi vero obitus affuit, accersitis ere-
„ mitis: nondum, inquit, quis fuerim, novistis? Rex ego
„ Moravorum, prælio victus ad vos confugi &c. sepelite me
„ hic, postquam anima corpus reliquerit, Moraviamque deinde
„ petentes, filio meo, si adhuc vivit, hæc nunciate. Atque
„ his dictis vita excessit. Arnulfus interea victoria potitus, re-
„ gnum Moraviæ, Svatocopii filio, quem de sacro fonte leva-

„ ve-

„ verat, possidendum reliquit. Is ab eremitis edoctus de for- „ tuna patris, quem cecidisse in prælio existimaverat, corpus „ ejus ex eremo defossum, Volegradum retulit, atque in se- „ pulcris majorum condidit „. Hæc illi de Svatopluchi exitu. At Dubravius, mortuo Svatopluco patre, ista ad filium cognominem refert, sic scribens lib. 4. pag. 24. „ Incesserat „ post longam & mutuam benevolentiam, quæ inter Svatoplu- „ cum Regem & Arnolphum Cæsarem, usque ad arma simul- „ tas contentioque, accusante fidem Regis Cæsare, quasi ma- „ gis ad Constantinopolitanum, quam ad Romanorum respi- „ ceret Imperatorem: Rege contra se defendente atque dicen- „ te, convenire officio suo, ut majestatem quoque Græci Cæ- „ saris debito honore conservet, a quo majores olim sui Re- „ gni decus, ipse deinde fidem Christianam acceperit, habe- „ atque in hunc diem bonam Regni sui partem ad Daciam per- „ tinentem, cum finibus Imperii illius tamquam vicine con- „ junctam. Sed hæc contentio, extincto Svatopluco, simul „ extincta est citra pulverem & sanguinem. Atqui major de- „ inde, filio Svatopluco regnante, simultas recruduit, postea- „ quam ille capto ad insidiandum tempore, quo Arnolphus „ Nortmannis subdomandis implicitus erat, Noricum magna „ vi externorum quoque equitum populabundus ingressus est, „ magnaque cum præda & spoliis, magno Cæsaris dedecore, „ domum ultus rediit. Accessit ad audaciæ illius cumulum, „ insolentissimus in Præsulem sacrificantem insultus. Metho- „ dius Præsul erat, divis postea adnumeratus, ad quem Rex „ miserat, ne prius sacra obiret, quam ille a venatu reverte- „ retur. Expectat Præsul plus satis temporis, dein meridie jam „ instante, ac magna plebis multitudine [quia moræ longioris „ tædebat] dilabente, neglecto Regis imperio ad aram se re- „ cipit, sacraque more solemni facere incipit. Ecce tibi Rex, „ turba venatorum canumque grege stipatus, subitus in Tem- „ plum insilit, ad aramque cum ingenti strepitu, boatuque & „ latratu se applicat, ac ægre manus a violando Præsule absti- „ net. Cæterum omnia quæ in ara deposita erant, sacra profa- „ naque disturbat & disjicit. Hunc tantum Dei verius, quam „ sui contemptum ipse Præsul Deo vindicandum reliquit, ac „ inde protinus in Bojemiam migravit. Nec longe aberat de-

„ tra-

„ tractæ religionis suæ vindex Deus, sicut nec Cæsar contem„ ptæ suæ dignitatis: sed uterque per tempus suum a contem„ ptore eam pœnam exegit, qua subdomantur superbi & im„ pii. Nam Cæsar Regnum illius per edictum publicavit, de„ ditque illud diripiendum vicinis gentibus, Ungaris, Polonis, „ Austriacis; reliqua pars, quæ nunc extat, ultro se fidei po„ testatique Bojemorum permisit. At misericordiæ plenus „ Deus, qui non vult mortem peccatoris, sed magis ut con„ vertatur & vivat, de Rege multarum gentium, humilem „ inopemque sibi fecit eremi cultorem, ad montem, cui Sem„ bor vocabulum, quem tres dumtaxat eremitæ, vitam ari„ dam duramque viventes incolebant, iis Rex quartus addi„ tus, nemini contubernalium de tolerantia patientiaque „ concessit. Nec nisi ante extremum diem, quis esset, se illis „ prodidit, a quibus etiam Nitriæ in Pannonia conditus fuisse „ dicitur, & donec appareret conditorium, hoc elogium in„ sculptum habuisse fertur; Regem Moraviæ Svatoplucum in „ medio Regni sui sepultum jacere. Tam late olim, tamque „ longe prospectabat Moravia, quam veteres Marcomanniam „ vocabant, quia fines Germaniæ, qua Danubio in Pannoniam „ pergitur, terminabat. Quippe Germanis Mark, limes dici„ tur, atque inde Marcomanni limitum finiumque accolæ ap„ pellati „. Fabulis affinia hæc sunt. Duo certe Svatopluchi post Rastislaum primum Moravorum principem a S. Methodio baptizatum exstitere: primus scilicet, Rastislai nepos, qui ab anno 870. ad 894. regnavit: alter hujus filius, qui unacum Moymiro fratre, post patrem anno 894. defunctum, Regno potitus est. Priori Svatopluco tribuenda est quæ narratur in S. Methodium admissa injuria, qui Methodius postea cum eodem Rege pœnitentiam agente reconciliatus, Romam sub Jo: VIII. Papa perrexit, eaque egit, quæ sunt supra narrata. Posterior Svatoplucus is fuit, sub quo, propter ortam ipsum inter & fratrem Moymirum contentionem, Ungari Moraviam devastarunt, quemadmodum ex Annalistis Francorum narratum est.

VI. Borivoji filii, Spitigneus. Uratislaus, & Boleslaus. Hic infans mori-

Pagius ad annum 938. num. 6. de anno martyrii S. Venceslai loquens: „ Licet hoc martyrium (inquit) Sigebertus in „ Chronico ad hunc annum [938.] differat, videtur tamen

tur. Uratislaus ex Drahomira filios suscipit Venceslaum, & Boleslaum. S. Venceslai martyrium quo anno contigerit. Boleslaus ab Henrico Rege primum, deinde ab Ottone subjugatur. Sigeberti, & Dubravii allucinationes notantur: necnon in Vita S. Venceslai quædam perperam dicta emendantur.

„ citius contigisse; quum Vvitichindus lib. 2. asserat, in hujus criminis ultionem Ottonem Germaniæ Regem bellum indixisse Boleslao, qui ambitione percipiendi Principatus, illius sceleris causa fuerat. Deinde narrata Ottonis coronatione, statim de illo verba facit, & postea de Hungarorum in Germaniam irruptione, & Arnulphi Bojoariorum Ducis morte; quæ duo anno superiore accidisse constat. Atqui Sigebertus de rebus Bohemicis parum edoctum se ostendit: Nam ad annum 921. primum Bohemorum Ducem ad Christi fidem adductum memorat *Ziptinæum*, sic scribens: Ziptinæus Dux Boëmiæ, ad Christi fidem conversus, juste & religiose in Boëmia principatur: & post eum Vvatizlaus filius ejus, justitia & sanctitate præclarus, cui frater suus Bolizlaus nimis adversabatur „. Multiplex hic allucinatio: Nam primo quidem omittitur Borivojus, primus Boëmiæ Dux Christianus, & Ziptinei, seu Spitignei pater. Deinde Vvatizlaus [rectius Vradislaus] dicitur Spitignei filius, quum frater fuerit; quumque Spitigneus „ moriens sine filiis (uti scribunt Æneas Silvius & Jo: Dubravius) fratri Uratislao principatum reliquerit „. Demum Uratislaus, præter Spitigneum, habuit quidem fratrem *Boleslaum*, quemadmodum Dubravius tradit pag. 26. Sed qui in ætate puerili defunctus nullum Uratislao negotium facessivit. Dubravius pag. 27. post Spitignei obitum: „ revocabatur (inquit) ad principatum Borivorius, quoniam alter ejus filius Uratislaus impar oneri ferendo propter ætatem adhuc teneriorem esse videbatur. Sed obtinuit Borivorius, ut idem Uratislaus succederet, quem ipse suis præceptis institutisque formandum recepit. Atque ut præterea in absentia patris haberet, quorum auctoritate in officio religionis contineretur, egit cum Methudio Præsule, ut quoties a divinis negotiis vacare liceret, juvenis modestiam religionemque & fidem corroboraret. Dein Drobosino affinitate sibi connexo injunxit, ne a latere filii discederet, sed præsens semper illum submoneret, quid sequi in vita adhuc lubrica, quidve sugere oporteat. Intervenit iis luctus, Bovorio & Ludmillæ, humano more lugentibus filioli Boleslai occubitum: auxit dolorem orbitatis metus, quum solus ex liberis Uratislaus superes-

„ peressent. De danda igitur ei uxore deliberant „. Reliqua. Non igitur Boleslaus fratri Uratislao adversatus est, qui puerulus decessit, statim atque Uratislaus, fratre Spitigneo mortuo, principatum capessivit. Sed neque Uratislai principatus anno 921. inchoatus est: Nam Methodius, quo præceptore aliquandiu ille usus fuit, ad eum certe annum non pervenit; quin imo ante annum 900. eum decessisse oportet, quum Joannes, qui Methodio Archiepiscopo superstite, Episcopus certe non fuerat, post Methodii obitum, anno 900. Archiepiscopatum sit adeptus, quemadmodum alibi ostensum est. Itaque Sigebertus, sicuti Borivojo patre, primo Bohemorum Christiano Duce, omisso, Spitigneum commemoravit: ita post Spitigneum, prætermisso ejus fratre Uratislao, proculdubio transivit ad Uratislai filios Venceslaum & Bolislaum: ita ut quem ipse Vvatizlaum vocat, *Venceslaus* sit, cui *frater suus Bolizlaus nimis adversabatur*. Hoc enim quod asserit de Vvatizlao & fratre Bolizlao, verum esse nequit, nisi de fratribus Venceslao justitia & sanctitate præclaro, & Boleslao impio fratricida. Congruit utriusque ætas, quam Sigebertus ad annum 921. refert: Confirmatque Cosmas Pragensis, qui martyrium S. Venceslai anno Dom: Incarn. 929. contigisse testatur. Quod autem Vvitichindus lib. 2. asserit, *in ultionem necis S. Venceslai, Ottonem Germaniæ Regem bellum indixisse Boleslao*: hoc intelligendum est de Ottone non post mortem Henrici patris, quæ anno 936. contigit, sed unacum eodem Henrico regnante: aut, si mavis, pro *Ottone*, cujus nomen tam apud Vvitichindum, quam apud Dubravium obrepsit, *Henricum* patrem esse substituendum. Id ut affirmem, auctorem habeo ipsum Sigebertum, qui ad annum 930. nimirum paulo post patratam S. Vvenceslai necem, sic scribit: „ Wenze- „ slaus princeps Boëmiæ a Rege Henrico in Praga urbe obses- „ sus, se & urbem Regi dedit, & impositam Boëmiæ multam, tributi pecuniam, solvit „. Nusquam legitur in Vita S. Venceslai, eum ab Henrico Aucupe Germaniæ Rege rebellasse, aut ab eodem obsessum, tributi pecuniam solvere coactum fuisse: quin potius perhibetur *Venceslaus*, propter eximias ejus virtutes, summo in honore apud *Germaniæ Regem* (qui in ejus Actis & apud Dubravium *Imperator*, & *Otto* perperam dicitur:) sem-

ſemper fuiſſe: „ Angelos habuit (*a*) ſui corporis cuſtodes: „ quum enim ad ſingulare certamen adverſus Radiſlaum Du- „ cem Curimenſem eo fine accederet, ut ſuorum ſaluti proſpi- „ ceret, viſi ſunt Angeli arma miniſtraſſe, & dixiſſe adverſa- „ rio: ne ferias; perterritus hoſtis, venerabundus procidens „ veniam exoravit. Quum in Germaniam profectus eſſet, Im- „ perator (*b*) conſpectis duobus Angelis, aurea cruce ad ſe „ accedentem ornantibus, e ſolio proſiliens, brachiis excepit, „ eique ſancti Viti brachium donavit „. Regnabat tunc in Germania *Henricus* Auceps unacum filio *Ottone*, quorum tamen neuter *Imperiali corona* donatus adhuc fuerat: Non *Henricus*, qui anno 936. in vivis eſſe deſiit, Regalibus Germaniæ infulis contentus: non *Otto*, qui anno dumtaxat 962. a Jo: XII. Papa *Imperii* inſignibus ornatus fuit. Itaque Æneas Silvius, quum ait cap. 15. „ Similem Angelorum comitatum vidiſſe ajunt Im- „ peratorem, quum Venceslaus adoleſcens in ejus curia ob- „ verſaretur „: pro *Rege*, perperam *Imperatorem* poſuit: pejuſque adhuc Dubravius, ejus Regis, a quo Venceslaus honorifice exceptus eſt, nomen in *Ottonem Cæſarem*, & *Imperatorem* convertit. Omnium optime Coſmas Pragenſis, cæſum anno 929. Sanctum Venceslaum aſſerens demonſtrat, eundem ſanctum Ducem a Rege Germaniæ Henrico e ſolio proſiliente, brachiis fuiſſe exceptum. Sed ad Sigebertum redeo. Is igitur dum narrat, Henricum Regem anno 930. in Praga urbe (*c*) obſediſſe Venzeslaum Boëmiæ principem, eique ſeſe atque urbem dedenti tributum imperaſſe; haud dubie pro *Boleslao*, oſcitanter *Venceslaum* obtrudit: nam poſt patratam S. Venceslai necem, Henricus Germaniæ Rex bellum Boleslao indixit, nec pacem ei conceſſit, niſi his legibus, quas Dubravius lib. 5. pag. 35. refert, tametſi perperam id factum Ottoni Cæſari tribuit: „ Prima erat, ut commiſſa piacula omnibus modis ex- „ pia-

a Acta S. Venceslai Bohemiæ Ducis & Mart. ad 28. Sept.

b Nullus tunc temporis Imperator; neque Henricus pater, neque Otto filius. Nam Henricus quidem Auceps, Imperialem coronam nunquam accepit. Otto autem filius, non eſt coronatus Imperator ante annum 962.

c In urbe Praga obſeſſus Boleslaus ab Henrico Rege, juxta Hermann. Contract. & Vvitikindum. Quia nempe Boleslaus cæſo fratre, Bohemiæ principatum adeptus, e Boleslavia, ubi antea ſedebat, Pragam Bohemiæ metropolim petierat. Proinde hac etiam in re fallitur Dubravius, dum lib. 5. pag. 35. in Boleslavia muris ab ipſo cincta obſeſſum fratricidam Ducem ſcribit.

„ piaret. Altera, ut exules Christianos revocaret ab exilio. „ Tertia, ut tributum nuper remissum, denuo exsolvendum „ reciperet. Ultima, ut eadem conditione atque cæteri Ger„ maniæ Principes, in nomen Cæsaris juraret „. Hermannus Contractus ex editione Canisii ad annum 930. scribit; *Heinricus Rex Bohemiam petit*. Vvitichindus lib. 1. Annal. refert „ Henricum Germaniæ Regem Pragam adiisse cum omni „ exercitu, Bohemorum urbem Regemque ejus in deditio„ nem accepisse, & Bohemia tributaria facta, in Saxoniam „ reversum esse „. Huc certe respexit Dubravius, dum tempora & personas confundens, ad Ottonem Cæsarem ea refert quæ sub patre Henrico gesta fuerant. Quum autem Boleslaus ab Henrico (ut modo dicebam) anno 930. subjugatus, post mortem ejusdem Henrici, ab Ottonis obedientia defecerit; hinc factum puto, ut Sigebertus, dum primam Boleslai defectionem describit, martyrium S. Venceslai ad eundem annum uno tenore sibi narrandum proposuerit; Sic enim ad ann. 938. habet: „ Princeps Boëmiæ Venzeslaus, vir sanctus, a fratre „ suo Boizlao occiditur, ambitione percipiendi principatus se„ ducto: in cujus ultionem Rex Otto bellum Biozlano (a) „ indixit: & longa inter eos concertatio per 14. annos protra„ cta „. Nimirum ab anno 936. usque ad 950. Nam ad annum 950. hæc apud eundem Sigebertum leguntur: „ Rex Ot„ to in Boëmia contra Boizlaum proficiscitur; Boizlaus vero „ Regi reconciliatur, eique tandem feliciter subjicitur „. Reginonis Continuator: „ eodem anno (950.) Bohemorum prin„ ceps Bolizlaus Regi rebellat, quem Rex validissima manu „ adibat, suæque per omnia ditioni subdebat „. Et Cosmas Pragensis: „ Anno Dom. Incarn. 950. Dux Boëmorum Boleslaus „ Regi rebellavit, quem Rex valida manu adiit, suæque per „ omnia ditioni subjugavit „. Ergo quum idem Sigebertus initium rebellionis Bolislai ad annum 938. confert, sibi ipse repugnat, qui eam rebellionem per annos 14. durasse affirmans, finem illius cum anno 950. componit. Nimirum multa apud illum leguntur loco non suo descripta: in quibus, ut alia omittam, mors est Henrici Germaniæ Regis, quam Sigebertus ad annum 937. differt, quum Continuator Reginonis, Marianus Sco-

a Leg. *Boizlano*.

Scotus, Hermannus Contractus, Otto Frisingensis, Ditmarus & Cosmas Pragensis eam anno 936. VI. Nonas Julii accidisse tradant. Quid? quod neque rebellionem Boleslai per annos 14. durasse, ullus alius scriptor, præter Sigebertum, testatur; qui etiam ad annum 940. de Boleslao & Ottone hæc habet: „ Rex Otto Boizlaum bello superat: at Boizlaus pro vi-„ ctoria (*a*) securus circumvenientes principem militiæ regis „ cum multis trucidat: Rex vero Boëmiam devastat. *& ad* „ *ann.* 973. Vvenceslaus princeps Boëmiæ a fratre suo Boiz-„ lao, propter præripiendum principatum interfectus, urbem „ Pragam, ubi requiescit, multis miraculis illustrat „. Quæ omnia simul comparata manifestum faciunt, nullum rerum gestarum ordinem hac in re fuisse a Sigeberto servatum. Nam semel ab Henrico ad annum 930. pœnas de Boleslao sumtas fuisse, tam Vvitikindus, & Hermannus Contractus, quam Scriptores Bohemici narrant: tum scilicet quum illum fratricidam obsidione cinctum, Henricus & sese, & urbem Pragam dedidisse compulit. Semel etiam eundem Boleslaum ab Ottone Henrici filio anno 950. defecisse, & ab eodem suæ ditioni subjugatum esse, Continuator Reginonis & Cosmas Pragensis scribunt; quibus & Sigebertus ipse adstipulatur. Corpus denique S. Venceslai quum innumeris miraculis coruscaret, de Boleslavia Pragam in urbem anno 932. jussu Boleslai fratricidæ translatum, & in Ecclesia S. Viti, quam (*b*) Michaël Ratisbonensis Præsul dedicaverat, repositum, testatur Cosmas Pragensis: „ Anno Dom. Incarn. 932. (inquiens) intra Nonas Mar-„ tii translatum est corpus S. Vvenceslai martyris de Boleslau „ oppido in urbem Pragam, invidi fratris odio: Siquidem „ frater ejus Boleslaus de die in diem pejus faciens & pejus, „ nulla compunctus sui facinoris pœnitentia, mente intulit tu-„ mida, quod per martyris sui Vvenceslai merita Deus decla-„ raret innumera ad ejus tumulum miracula, clam sibi fidis „ clientibus mandat, quo eum in urbem Pragam transferentes,

a Leg. *Securum circumveniens principem &c.*

b In Catalogo Episcoporum Ratisbonensium apud Hundium in Metropoli Salisburgensi pag. 192. ab anno 926. ad 937. non *Michael* Episcopus recensetur, sed *Isingrinus*, *Conradus*, & *Guntharius*. Michaël autem Gunthario successisse dicitur *anno* 938. *Othone magno imperante*. Aut igitur loco *Michaelis* reponendum nomen *Isingrini*: aut loco anni 932., annus 938. sive 939.

„ tes, noctu in Ecclesia Sancti Viti humi condant: quatenus „ si quæ Deus mira suis ostenderet ad gloriam Sanctis, non „ ejus fratris, sed S. Viti martyris adscriberentur meritis. Id quod etiam a Dubravio refertur lib. 5. pag. 35. in hæc verba: quæ ideo exscribenda duxi, quia ex epocha hujus translationis, quam Cosmas ad Nonas Martii anni 932. figit, intelligitur etiam annus martyrii ejusdem S. Venceslai. „ Obsidio„ ne soluta (inquit Dubravius: idest, postquam Rex Otto seu potius Henricus pater ea Boleslao imperavit, quæ supra „ recitavi) Boleslaus suis præcipit, ut e conspectu (a) suo „ sepulcrum & corpus Venceslai removeant, idque noctu, „ per multas tenebras Pragam transferant, occulteque sine „ arbitris condant in æde divi Viti ab eodem Venceslao ædifi„ cata. Graviter nimirum ferebat, signa & prodigia identi„ dem ad corpus sanctum nunc in cæcos, nunc in claudos, „ nunc in surdos edi: putabatque fore, ut illo ad divi Viti „ sepulto, Vito etiam potius, quàm Venceslao miracula edita „ attribuerentur. Sed vide, ut se innocentia & sanctitas, ut deni„ que ipsa veritas contra astum & improbam calliditatem per„ facile defendant. Plaustro corpus impositum fuit; jussusque „ auriga quantum posset accelerare, ut ante lucem e Boleslavia Pragam perveniret. At aurigam magis equi, quam ipse „ equos, regebant: itaque quum primo ad amnem, cui Rochet„ nikze vocabulum, aquis tunc multis redundantem, deinde „ ad Vvultaviam adhuc redundantiorem ventum esset, non „ ponte, ut ille volebat, sed plena alueo, utrumque amnem „ equi transeunt, pedibus tantum non siccis: mox ultra Vulta„ viam ad carcerem arci Pragensi subjectum immobiliter sub„ sistunt, nec inde ulla vi se amoveri patiuntur, nisi die cla„ rissimo, quum jam multorum aliorum spectatorum oculis „ res esset testatissima, corpus divi Venceslai vectores vehe„ re: id quod obstinate prius illi negabant, quam vincti ad „ unum omnes e carcere illo dimissi fuissent. Corpus præter„ quam quod a corruptione post triennium incolume reper„ tum est, insuper etiam ab omnibus vulneribus erat percura„ tum; una tantum auricula capiti defuerat; eam Premyslava

a Boleslaus nempe in Boleslavia degebat, quam & firmissimo muro cinxit: ibidemque fratrem Venceslaum occiderat. Vide Dubravium.

„ Venceslai ſoror ad limen templi, in quo occiſus frater erat, „ inventam, arcula clauſam habuit. Ceterum re, ut geſta „ fuit, cognita, ne quid de corpore ſancto deſideraretur, „ eandem ſtatim Pragam miſit, ſtatimque illa capiti ſuo adhæ- „ ſit. Ab iſto dein tempore Boleslaus deſiit cum nomine fra- „ terno luctari. Imo rogatus a Sacerdotibus, quos de exilio „ revocaverat, ut Templum Pragæ, iu quo divus Venceslaus „ requieſcebat, conſecrari pateretur, adeo ſe facilem ad exo- „ randum illis præbuit, ut de fiſco ſuo pecunias in viaticum ad- „ diderit: quo lautius Emeranus (*a*) Præſul e Ratiſpona „ Pragam deduceretur; & præterea filium Strachyquatem, „ poſtquam paulo adolevit, imbuendum bonis artibus & reli- „ gioſis diſciplinis, Ratiſponam ad eundem Præſulem miſit, „ relicto domi juniore filio Boleslao, quem ut hæredem prin- „ cipatus alebat. Ipſe denique totam vitam paulatim cultio- „ ribus moribus humanioribuſque mutare aggreſſus eſt, ac ſic „ jam Chriſtianiſmo affectus eſſe videri voluit, ut filiam „ ſuam, nomine Dombravam, deſpondere Principi Poloniæ „ Meſchoni alia conditione noluerit, niſi ut ante ſponſalia, „ ejurata veteri ſuperſtitione, ritu Chriſtiano ille tingeretur. Triennium, quo ab illius nece elapſo, Translatio S. Venceslai peracta dicitur, apprime reſpondet anno 932. a Coſma ſignato, idemque triennium palam facit, Sanctum Venceslaum an. 929. cæſum fuiſſe.

VII. Boleslai Bohemiæ Ducis filia Dambrovca in matrimonium Miecislao Poloniæ Duci tradita, virum & Polonos anno Chr. 965. ad fidem chriſtianam amplexandam inducit.

Quæ autem Dubravio *Dombrava* Boleslai filia dicitur, Mieſconi Poloniæ Principi in matrimonium tradita, eam Polonicarum Rer. Scriptores Matthias de Michovia lib. 2. cap. 1. Alexander Guagninus pag. 346. Martinus Cromerus lib. 3. cap. 2. aliique appellant *Dambrovucam* ſeu *Dambrowcam*: idque factum narrant anno Chr. 965. quo anno tam Poloniæ Princeps, quam magnates, & infinita populi multitudo, rejecto Ethniciſmo, Chriſtianam fidem amplectentes, Baptiſmum ſuſceperint. „ Hujus ergo Boleslai principis Bohemorum, germani S. Ven- „ ceslai, natam, (inquit Miechovius) Myesko monarcha Po- „ lonorum in uxorem popoſcit. Nec abnuit præfatus Boleslaus „ dan-

a Coſmæ *Michael*, dicitur Dubravio, *Emeranus*. Utrumque falſum. Ab anno 891. uſque ad ann. 934. nullus *Michael*, nullus *Emeranus*, inter Epiſcopos Ratisbonenſes. Sed *Tuto*, *Iſingrinus*, *Conradus*, *Gunthariut*. Vide Hundium pag. 192.

„ dandam, dummodo ritu gentili abrogato, undis ſacri Ba-
„ ptiſmatis ablutus Myesko innovaretur. Conſenſu autem, &
„ concluſione utrinque facta, adducta eſt in Gneſnam Virgo
„ Dambrowka in regiam Myeskonis cum ampla dote. Anno
„ ergo Chriſti 965., uno & eodem die, Myesko Princeps Po-
„ lonorum cum majoribus ſui Regni, in præſentia Dambro-
„ wkæ, & Bohemorum, ſacrum Baptiſma, propitiatione
„ divina, Gneznæ ſuſcepit, pro Myeska, nomen Myeczslai
„ accipiens, & aliud ſacramentum matrimonii cum Virgine
„ Dambrowka ex Bohemia advecta contraxit: convivia, mu-
„ nificentiam, & ſpectacula pluribus diebus elargiendo, &
„ cunctis regnicolis baptizari præcipiendo. Et quia multi re-
„ ſtabant ſacro fonte baptizandi, ideo per edictum ſtricte de-
„ mandavit, ut omnes in civitatibus & villagiis, nobiles atque
„ ignobiles, ſeptima die Martii adveniente, idolis confractis,
„ & in lacubus aut aquis ſubmerſis, ſimul & lapidibus ab utriuſ-
„ que ſexus hominibus obrutis, ſub confiſcatione bonorum &
„ exterminatione, baptizarentur. Qua die ſuperveniente, ut
„ erat conſtitutum, cuncta juſſa exſolventes, renaſcebantur
„ in Chriſto & baptizabantur. Servaturque ille mos uſque in
„ hodiernam diem in majori Polonia. Nam pueri in *Dominica*
„ *Lætare*, facto idolo ſeu imagine alicubi in ligno longo por-
„ tant, alibi in vehiculo ducunt, & in aquam projicientes de-
„ mergunt, ſinguli domum propere repedantes.

VIII. Archiepiſcopatus, & Epiſcopatus, an ſub Miecislao in Polonia instituti? & quinam?

Pergunt Miechovius & Cromerus enarrantes, Archiepiſcopatus duos, & ſeptem Epiſcopatus, tunc temporis in Polonia, Boleslai & Dambrowkæ opera inſtitutos: Archiepiſcopatus nempe, *Gneſnenſem & Cracovienſem*: Epiſcopatus (*a*) vero, *Poſnanienſem*: *Smorogovienſem*, qui poſtea, *Bicinenſis* ac demum *Wratislavienſis* dictus eſt: *Cruſvicienſem*, qui *Vuladislaviam* translatus eſt: *Plocenſem*: *Culmenſem*: *Lubuſſenſem*: *& Camenenſem*: „ Quamquam Anonymus quidam
„ vetuſtus rerum Polonicarum annotator verius quam ſcriptor
„ (*ſubjungit Cromerus*) Cracoviæ quoque initio non Archie-
„ piſcopum, ſed Epiſcopum vult eſſe conſtitutum: deinde

X 2 „ vero

a Miechovius pro *Smorogovien.* habet *Smogorzovien.* qui translatus primum fuit in Rayczynam oppidum diſtrictus Bregenſis, deinde in Uratislaviam. Et pro Lubuſſenſi, *Lubucenſem*.

„ vero Aaronem (*a*) Abbatem Tinecensem a Benedicto Papa IX. primum Archiepiscopum Cracoviensem renunciatum esse; eam vero prærogativam successorem ejus proximum Lampertum Zulam neglexisse. De Culmensi quoque Episcopa, Dlugosso non assentior: longe posterius enim eam conditam esse, ac de Plocensi quasi deductam, certa exstant monumenta literarum, cum alibi, tum in Archivo regio Cracoviensi, quemadmodum suo loco indicabimus. Nisi forte initio quidem a Miezislao conditam, posterius vero a Prussis subacta ea regione deletam, ac deinde a Conrado Masoviorum Duce denuo resuscitatam potius, quam conditam fuisse, existimare volumus. Ut ut est, tunc quidem primum Episcopæ, & Basilicæ in Polonia conditæ, & solenni ceremonia dedicatæ sunt. His autem rebus perficiendis Ægidius Cardinalis Episcopus Tusculanus, Joannis XIII. Pontificis maximi, qui per illud ipsum tempus Leoni octavo successerat, Legatus præfuit, qui primos Archiepiscopos & Episcopos Italici, nec scio, an quosdam Gallici, & Germanici generis, fecit, quum nostri rudes adhuc essent & novitii „. Miechovius nomina quoque primorum eorum Antistitum tradit. „ Primus (inquit) Archiepiscopus Gneznensis ordinatus est Vvillibalmus: Cracoviensis primus Archiepiscopus „ (*b*) Prohorius. Posnaniensis Episcopus primus Jordanus. Uratislaviensis primus Gothfridus. Crusviciensis seu Vvladislaviensis Episcopus primus Lucidus. Plocensis primus Angelotus. Culmensis primus Octavianus. Camienensis primus Julinus. Lubucensis primus Jacinctus.

IX. Non ante annum 1000 GnesnamArchiepiscopali honore auctam fuisse, ex fide dignis scriptoribus probatur

Ita reliqui scriptores Poloni, qui a Mieczislao institutos in Polonia Archiepiscopatus duos & Episcopatus septem, unanimi consensu tradunt. Verum nullum hujusce institutionis antiquum documentum proferunt: quinimo Episcopos quinque in

a Sub Casimiro primo, ex Diacono & Monacho Polonorum Rege, Aaron Gallus ex Abbate Tinecensi, post Rachelinam, sextum Cracoviensem, Archiepiscopus creatus est. Cromerus lib. 4. cap. 2. pag. 453.

b Cromerus in Miezislao pag. 436. ait *Lampertum Cracovien. Archiepiscop. sive Episcopum*, ad Benedict. IX. Papam a Miezislao missum, ut *regium diadema* sibi mitteret. Idem pag. 437. in Boleslao dicto Chrobry, Miezislai filio „ mortuo (inquit) „ illis diebus Roberto, primo Gnesnensi Archiepiscopo „ *Adalbertus* Pragensis Episcopus, qui relicta Bohemia in Poloniam venerat „ *Razinum* seu *Gaudentium* fratrem Archiepiscopum ordinavit.

in Polonia ante annum Chr. 1000. extitiſſe ; Archiepiſcopatum autem nullum, niſi eodem anno milleſimo fuiſſe ibi inſtitutum, oſtendit Pagius ad ann. 965. num. XI. Et ad ann. 999. num. 5. & ſeq. & ad ann. 1000. num. 2. nam Ditmarus lib. 4. & ex eo Chronographus Magdeburgenſis ad annum Chriſti milleſimum dum ſcribunt, Ottonem III. Imperatorem, devotionis cauſa, in Poloniam profectum, corpus S. Adalberti Epiſcopi Pragenſis & Martyris viſitaſſe, hæc habent : „ Bolizlaus Dux Poloniæ „ ad Diedeſi pagum venienti Imperatori, parato in loco, qui „ Ilna dicitur, ſuo hoſpitio multum hilaris occurrit. Qualiter „ autem ab eo honoraretur, & per ſua uſque ad Gneſin (*ideſt*, „ *Gneſnam*) deduceretur, dictu incredibile eſt. Videns autem „ a longe civitatem deſideratam, nudis pedibus ſuppliciter „ advenit, & ab Epiſcopo civitatis Ungero venerabiliter ſu„ſceptus, Eccleſiam introducitur, & ad Chriſti gratiam ſibi „ impetrandam, Martyris interceſſio profuſis lacrymis invita„tur. Nec mora, fecit ibi Archiepiſcopatum, ut ſpero legi„time, ſine conſenſu tamen præfati Præſulis, & ſui Metropo„litani, (*nempe Moguntini*) cujus diœceſi omnis hæc regio „ ſubjecta eſt, committens eundem prædicti Martyris fratri „ (*a*) Kadimo (*Ratzino*) eique ſubjiciens Reinbernum Sanctæ Cholbergienſis Eccleſiæ Epiſcopum, Popponem Cracuenſem (*ideſt*, *Cracovienſem*) Joannem Wiotislanenſem „ (*Wladislavienſem*) Ungero Poſnanienſi excepto „. Anno itaque 965. Epiſcopatus in Polonia inſtituti, & Moguntino Archiepiſcopo ſubjecti; anno vero 1000. iidem Epiſcopatus, Poſnanienſi excepto, ſubditi fuere novæ Sedi Metropolitanæ, nempe *Gneſnenſi*, in gratiam Gaudentii, ſancti Adalberti fratris, ab Ottone III. erectæ. Chronographus Hildensheimenſis ad annum 1000. de Ottone tertio ſic ait : „ Imp. Otto, cau„ſa orationis, ad S. Adalbertum Epiſcopum & Martyrem „ Quadrageſimæ tempore Sclaviam (*ideſt Poloniam*) intra„vit. Ibique coadunata Synodo, (*b*) Epiſcopia VII. diſpo„ſuit,

a Rectius dixiſſet, *Radzino*, quo nomine Poloni & Bohemi, qui eadem lingua utuntur, *Gaudentium* ſignificant.

b Pagius ad ann. 999. num. 6. „ Chronographus verbo, *diſpoſuit*, intelligit „ tantum, in meliorem ordinem reduxit. Septem enim Epiſcopatus illos jam ab an„no 965. inſtitutos, ex dictis ibidem liquet : & tam Ditmarus, quam Chronogra„phus

„ fuit, & Gaudentium fratrem B. Adalberti in principali urbe „ Sclavorum (*a*) Praga [leg. *Polonorum Gnesna*] ordinari „ fecit Archiepiscopum, licentia Romani Pontificis (*Silve-* „ *stri II.*) causa petitionis Bolyslavonis Bohemiorum Ducis „ (leg. *Polonorum Ducis*) ob amorem potius & honorem sui „ venerandi fratris digni Pontificis & Martyris. Inde reve- „ niens, Palmarum solemnitatem Parthenopoli (*Magdeburgi*) „ festive peregit. Paschalia vero tempora votive Quidilingan- „ burg celebravit: Pentecostes autem celebritatem digna de- „ votione Aquisgrani feriavit. Quo tunc admirationis causa, „ magni Imperatoris Caroli ossa, contra divinæ religionis Ec- „ clesiastica, effodere præcepit „. Inventus est (subjungit Ademarus in Chronico de Caroli magni Corpore) „ Eo lo- „ co, quem per visum cognoverat Imperator, sedens in aurea „ cathedra, intra arcuatam speluncam infra Basilicam B. Ma- „ riæ, coronatus corona ex auro & gemmis, tenens sceptrum „ & ensem ex auro purissimo, & ipsius corpus incorruptum „ inventum est, quod levatum populis demonstratum est. *Et* „ *infra*. Solium ejus aureum Imperator Otto direxit Botiscla- „ vo (*idest*, *Bolislao Poloniæ Duci*) pro Reliquiis S. Adalber- „ ti Martyris. Rex autem Botisclavus, accepto dono, misit „ Imperatori brachium de corpore ejusdem sancti; & Impe- „ rator

„ phus Magdeburgensis clare innuunt, quando aliquorum nomina designant „. Ex Magdeburgensi tamen, & Ditmaro colligitur, ante Ottonis III. in Poloniam adventum, quinque tantum Episcopatus ibi fuisse; nullum autem Archiepiscopatum: „Gnesnensem scil., Posnaniensem, Cracoviensem, Cholbergiensem, & Uratislaviensem. Tres igitur ab eodem Ottone in Synodo ordinati videntur, ita ut unus esset „ Archiepiscopatus, & Episcopatus septem. Quod vero ab Ottone anno 1000. peractum est, id a Polonis scriptoribus ad ann. 965. referri existimo.

a *Praga*. Verum loco *Pragæ*, legendum *Gnesna*. Quispiam enim sciolus sciens, Pragenses non minus quam Gnesnenses se corpus S. Adalberti habere gloriari, locum illum depravavit, quemadmodum & quispiam alius ejusdem farinæ, Chronicon Hildensheimense ad ann. Chr. 1000. ubi illa Ottonis III. profectio etiam narratur, corrupit. Neque enim Lambertus Schafnaburgensis, qui seculo sequenti e vivis excessit, aut Chronographus Hildensheimensis, qui ante annum 1200. opus suum absolvit, similes nugas scribere potuere; quum certum sit, Pragam anno tantum 1344. Archiepiscopali sede cohonestatam fuisse. Præterquam quod Polonos inter & Bohemos convenit, S. Adalberti corpus usque ad ann. 1000. Gnesnæ quievisse; & sola inter eos lis est, an eo anno sacrum illud corpus Pragam translatum sit, quod contendunt Bohemi, & Poloni negant. Pagius ann. 999. num. 5. Demum nomina Episcoporum Posnaniensis, Cracoviensis, Uratislaviensis, & Cholbergiensis, vel sola indicant, tum Ottonis profectionem in Poloniam fuisse, non in Bohemiam; tum de Gnesnensi, non de Pragensi Metropoli sermonem fieri.

„ rator gaudens illud excepit, & in honore S. Adalberti Martyris Basilicam Aquisgrani construxit mirificam, & Ancillarum Dei congregationem ibi disposuit; aliud quoque Monasterium Romæ construxit in honore ipsius martyris „. Scriptores tamen Poloni volunt, *Gnesnam* anno 965. Metropolim declaratam fuisse, & Adalbertum eidem Ecclesiæ ante annum 1000. præsedisse. Scribit enim Joannes Longinus in Hist. Polonica „ Anno Domini 996. Robertum Archiepiscopum „ Gnesnensem obiisse, eique Adalbertum Pragensem Episcopum successisse „. Verum de *Archiepiscopatu Gnesnensi*, sancti Adalberti antiquiora Acta silent, nec nisi illum sub Ottone III. anno 1000. institutum, fide digni Scriptores testantur. Quin etiam Emus Baronius vehementer se dubitare ait, an ea quæ ab Ottone III. circa Gnesnensem Metropolim peracta narrantur, a Romano Pontifice (*a*) probata fuerint; quum Gregorius VII. anno 1075. ad *Boleslaum Polonorum Ducem* scribens, dicat, Episcopos terræ ejus non habere *certum Metropolitanæ Sedis locum*, *& huc atque illuc pro sua ordinatione vagari*; ideoque apparere usque ad Gregorii VII. tempora nondum institutam fuisse Sedem Archiepiscopalem in Polonia.

X.
Cur a Romano Pontifice Jo: XIII. concessi Episcopatus Miecislao Poloniæ Duci anno 965. & denegati Boleslao Bohemiæ Duci.

Quidquid sit de Poloniæ Archiepiscopatu, certum est, Episcopos in Polonia eodem fere tempore, quo & in Bohemia fuisse institutos: nimirum sub Boleslao Bohemiæ, & Miescislao sive Miescone Poloniæ Ducibus. Et de Polonis quidem Episcopis, dixi satis. Ad Bohemos vero ut accedam, Dubravius narrat, quo tempore S. Venceslaus (*b*) corpus S. Ludmillæ aviæ ex arce Thetin in arcem Pragensem transferri curavit „ tunc „ primum creandi in Bohemia Episcopi Pragensis mentionem „ ortam fuisse: Siquidem (inquit) nullus ad eam usque diem „ Pon-

a Ad hanc tamen Baronii dubitationem respondit Pagius ann. 999. num. 8. „ Verum ex Gregor. VII. verbis illud tantum sequitur, quo tempore ipse literas illas „ dedit, sedem Metropolitanam vacasse propter gravissima quæ præcesserant bella, aut „ alias rationes nobis ignotas; non vero ante illum Christi annum nullum in Poloniæ „ Regno Metropolitam institutum. Sedem enim Gnesnensem in profectione Polonica Ottonis III. Metropoliticam effectam, & S. Gaudentium Archipræsulem renunciatum, non video cum fundamento negari posse.

b Georgius Bartholdus Pontanus lib. 3. Bohemiæ Piæ pag. 35. de Episcopis & Archiepiscopis „ Anno (inquit) Jesu Christi Salvatoris 923. S. Wenceslaus martyr, & „ patriæ Dux, post martyrium amitæ (leg. *aviæ*) suæ S. Ludmillæ, primum hic Di- „ vo Vito martyri Templum ædificavit. Quod S. Wolfgangus Episcopus Ratisponensis „ con-

,, Pontifex in Bojemia creatus erat, sed a principio Moraviæ ,, Antistes, postea ex Bavaria Ratisponensis, officio Pontificali apud Bojemos fungebatur. Idem Ratisponensis in Moravia quoque aliquandiu faciebat, quandiu videlicet vacua sedes ibidem suo Præsule fuerat, nempe annis quinque & triginta. Quamquam igitur Venceslaus Ratisponam pro Pontifice (Divus Wolfgangus tunc Pontifex ibi erat) qui Templum Divo Vito destinatum in Arce Pragensi dedicaret, suos quosdam miserit, non ideo tamen curam remisit quærendi viam, qua facillime ad inducendum Pragam Præsulem, ut instituerat, pervenire posset. Sed has ejus pias curas, sicut plerasque alias ad religionem pertinentes, mater nimis impia interturbare non destitit ,,. Venceslao Martyrium passo, Boleslaus quoque ejus frater, postquam filiam Dombravam Missislao Poloniæ Duci in matrimonium tradidisset, de Episcopo in Bohemiam adducendo cogitasse perhibetur: Hungaris enim & Moravis devictis ,, orta tunc primum ,, (inquit idem Dubravius circa finem libri quinti) post victoriam illam satis lautam, a Bojemis Christianis, Episcopi mentio, Boleslao coram memorantibus, tum indecorum sibi, tum indignum videri, ut Moravi, Bavarique & Misnii, ac cæteri finitimi suum domi haberent Episcopum, cujus præsentia atque auctoritate Religionis cultus & retineretur, & amplificaretur; solam Bojemiam in tanto jam fastigio collocatam, Præsule velut altero dignitatis oculo carere, ac foras quasi luscam ad alienos Pontifices prospectare, quoties Pontificalia munera in Boëmia essent obeunda. Quo audito, Boleslaus interrogat, quonam id pacto fieri queat, ut Pontifex in Bojemia constituatur? edoctusque viam a Christianis, Legatos ad Romanum Pontificem mittit oratum, ut ædem Divi Viti in arce Pragensi sitam, Præsulis honore sublimem facere dignaretur. Sed ille tunc rerum status Romæ erat, ,, eaque

,, consecravit ,,. Eo igitur anno S. Ludmilla martyrium subiit: & triennio post, ejus corpus ex arce Thetin in urbem Pragam translatum: idest, anno 926. At vero, quod de S. Vvolfgango Ratisbonensi Episcopo dicitur, eum scil. fuisse S. Venceslao æqualem, & ab ipso Templum S. Viti dedicatum, id omnino falsum est. Nam S. Vvolfgangus non ante annum 968. Episcopus designatus, Ratisbonensem Ecclesiam rexit usque ad annum 994. Vide Hundium pag. 193. Itaque pro Vvolfgango reponendus *Isengrinus*, qui Ratisbonæ sedit ab anno 926. ad ann. 937.

„ eaque ambitione atque æmulatione Pontifices inter se agitabant, ut alii alios Sede deturbarent, Urbeque fugarent; „ alii captos aut in vincula aut in Cœnobium conjicerent; „ alii nec mortuis sepultisque parcerent. Quippe Stephanus „ in Formosum mortuum tanta rabie desæviit, ut cadaver ejus „ sepulcro eruerit, erutumque in Tiberim projecerit. Hoc „ vero omnibus quasi solemne erat, ut posterior prioris acta „ rescinderet. Quæ partim videntes, partim audientes Legati, inanes reverti, quam dubia incertaque de institutione „ Præsulis futuri ad Principem referre maluerunt „. Atqui ratio temporum convincere videtur, tam Miecislaum Poloniæ, quam Bolislaum Bohemiæ Duces uno eodemque anno *965*. missis ad Romanum Pontificem Legatis orasse, ut suis in regionibus designatos ab unoquoque Duce Episcopatus erigendi facultatem impertiret: quando nempe ab alio, quam a Romano Pontifice Sedes Episcopales erigi non posse, res esset tum Polonis, tum Bohemis explorata. Cur autem Polonis quidem ea potestas (uti supra est narratum) a Joanne XIII. (qui, Leone octavo defuncto & Benedicto V. in Germaniam abducto, Sedem Apostolicam administrabat,) sit concessa; Bohemis autem denegata; non illa causa fuit, quam Dubravius comminiscitur; neque enim is Romæ tunc temporis status erat, quem ille describit, sed omnia pacata, uti ex rebus gestis Summorum Pontificum constat. Ratio igitur potissima ex utriusque Ducis moribus petenda: nimirum, Boleslai, ut pote fratricidæ, indigna postulatio judicata est; dignissima Miecislai nuper ad Christi fidem una cum optimatibus & populo Poloniæ conversi.

XI. Primus Bohemis Episcopus in urbe Praga a Jo: XIII. Papa anno 968. datus Ditmarus: Boleslao Pio Duce, ejusque sorore Mlada rogantibus.

Mortuus est Boleslaus anno *967*. Post hunc *Boleslaus* natu minor filius, cognomine *Pius*, (quia major Strachyquas Ratisponæ in Cœnobio attonsus, Monasticum habitum induerat:) Princeps Bohemiæ declaratus est. Cujus inter alia pietatis opera, non ultimo sane loco numeratur, quod viginti Templa erexerit. Erat ei soror Mlada nomine, quæ Romam profecta, a Joanne XIII. Pontifice obtinuit, ut in arce Pragensi in templo quidem S. Georgii Monasterium sanctimonialium, quibus & ipsa Abbatissa præesset, erigeretur; in æde vero S. Viti Martyris sedes Episcopalis institueretur. Manuscriptum Chroni-

con (*a*) Magdeburgense apud Pagium ad ann. 967. num.13.
„ Anno Domin. Incarn. 967. Idus Julii, Dux Bohemiæ, cui
„ agnomen Sævus Bolizlaus, male mercatum fraterno sangui-
„ ne, scilicet B. Martyris Vvencezlai, Bohemiæ Ducatum cum
„ vita (*b*) amisit. Cui filius ejus, æquivocus suus, in prin-
„ cipatu successit, multum dissimilis patri, moribus bonis, &
„ conversatione spirituali. Erat enim vir Christianissimus, fi-
„ de Catholicus, pater orphanorum, defensor viduarum, &
„ Clericorum, & peregrinorum, præcipuusque Ecclesiarum
„ fundator. Nam, ut in Privilegio Ecclesiæ S. Georgii in
„ Praga legitur, xx. Ecclesias erexit, & eas omni Ecclesiastica
„ utilitate ampliavit. Hujus fuit soror, nomine Mlada, vir-
„ go sacra, literis erudita; quæ quum orationis gratia Romam
„ venisset, & a Papa (*c*) Joanne XIII. hujus nominis beni-
„ gne suscipitur, ibique aliquandiu degens, monasticis disci-
„ plinis imbuitur. Dehinc Papa, consilio Cardinalium, imo
„ volens novæ Ecclesiæ subvenire, consecrat eam Abbatissam,
„ mutato nomine Mariam, dans ei S. Benedicti Regulam, &
„ Abbatialem virgam. Quæ Pragam rediens, & a fratre susce-
„ pta, ei obtulit literas Apostolici, quarum formula hujusmo-
„ di (*d*) fuit. Johannes servus servorum Dei, Boleslao Ca-
„ tholicæ fidei alumno Apostolicam Benedictionem: *Justum*
„ est benevolas aures justis accommodare petitionibus, quia
„ Deus est justitia, & qui diligunt Deum justificabuntur, &
„ omnia diligentibus Dei justitiam cooperantur in bonum. Fi-
„ lia nostra, tua relativa soror, nomine Mlada, quæ & Maria,
„ inter cæteras haud abnegandas petitiones, cordi nostri dul-
„ ces intulit ex parte tui preces, scilicet, ut nostro assensu in
„ tuo Principatu ad laudem & gloriam Dei, Ecclesiæ liceret
„ fieri

---

a Hoc ipsum verbatim narratur apud Cosmam Pragensem Decanum in Chron. ad ann. 967.

b Rexerat igitur Ducatum Bohemiæ a die 29. Sept. anni 926. ad 15. Jul. 967.

c Thomas Jordanus medicus, qui Dubravii historiam Bohemicam Hanoviæ typis Vvechelianis anno 1602. editam, annotationibus necessariis ornasse se & illustrasse asserit, in noe. ad lib. 6. pag. 38. ad Joannis Romani Pontificis nomen, sic habet: Johannes Papa IX. anno 897. Quibus verbis, si bonus fuit medicus, ostendit se malum historicum fuisse.

d Recitantur ex sæculo V. Benedictino pag. 833. ex eodem Chronographo: habentur etiam apud Cosmam ad ann. 967. pag. 14.

„ fieri Epiſcopatum. Quod nos utique læto animo ſuſcipien- „ tes, Deo grates retulimus, qui ſuam Eccleſiam ſemper & „ ubique dilatat & magnificat in omnibus nationibus. Unde „ Apoſtolica auctoritate, & ſancti Petri Principis Apoſtolorum „ poteſtate, cujus licet indigni, tamen ſumus Vicarii, annui- „ mus & collaudamus, atque incanonizamus, quoad Eccle- „ ſiam ſanctorum Viti & Vvenceslai martyrum fiat ſedes Epi- „ ſcopalis; ad Eccleſiam vero S. Georgii Martyris, ſub Regu- „ la S. Benedicti, & obedientia filiæ noſtræ Abbatiſſæ Mariæ „ conſtituatur Congregatio Sanctimonialium. Verumtamen „ non ſecundum Ritus aut ſectam Bulgariæ gentis, vel Ruſ- „ ſiæ, aut Sclavonicæ linguæ; ſed magis ſequens inſtituta & „ decreta Apoſtolica, unum potiorem totius Eccleſiæ ad placi- „ tum eligas in hoc opus Clericum, Latinis apprime literis „ eruditum, qui verbi vomere novalia cordis gentilium ſcin- „ dere, & triticum bonæ operationis ſerere, atque manipulos „ frugum noſtræ fidei Chriſto reportare ſufficiat. Vale. „ Et ſtatim, ut juſſum fuerat, conſilio Ducis & Abbatiſsæ „ Eccleſia ſancti Viti decernitur futuro Epiſcopo, & Eccleſia „ S. Georgii martyris ad præſens datur Abbatiſſæ, ſorori Du- „ cis, Mariæ. Igitur quidam de Saxonia, vir eloquens ac li- „ teratus, ordine Presbyter, ac profeſſione monachus, nomi- „ ne Dietmarus, olim cauſa orationis venerat Pragam: qui „ Duci cognitus, & amicitiam ejus adeptus, præſertim quia „ Slavonicam linguam perfecte ſciebat: hunc per Legatos „ evocat. Tunc Clerum, & primates terræ, ac populum con- „ vocans, precibus & monitis efficit, ut eum ſibi in Epiſco- „ pum eligant. Qua re poſtera die peracta, ad Imp. Ottonem „ eum direxit, orans per literas, ut in Epiſcopum Boëmiis „ ordinaretur. Quod Imperator conſilio Principum & Præſu- „ lum conſulens Chriſtianæ novitati, fieri juſſit. Qui a Mogun- „ tino Archiepiſcopo (*Willhelmo nempe ejuſdem Imperatoris* „ *filio*) conſecratus, in civitate Praga modulante Clero & Du- „ ce, populoque concinente ſuſceptus, Eccleſias a fidelibus in „ multis locis conſtructas conſecravit, & multos Gentiles ba- „ ptizavit „. Primus igitur Eccleſiæ Pragenſi Antiſtes præfici- tur *Ditmarus*, idque exeunte anno Chriſti 967. vel potius anno 968. ineunte: nam poſt Idus Julii anni 967. Mlada Ro-

mam perrexit: quumque aliquandiu ibi mansisset, non potuit in Bohemiam ejus reditus contingere, Ditmarique consecratio fieri, nisi procedente anno 968. Cosmas Pragensis quum iisdem fere verbis ac Chronographus Magdeburgensis, institutionem Episcopatus Pragensis narrasset, subdit pag. 15. ad ann. 968. „ Posthæc Præsul Ditmarus Ecclesias a fidelibus multis in locis ad Dei laudem constructas consecrat, & populum gentilem baptizans, quamplurimum facit Christo fidelem: nec post multos dies, anno scil. Dom. Incarn. 969. IV. Nonas Januarii (*idest die 2. Jan.*) vinculis carnis absolutus, talentum sibi creditum Christo reportavit centuplicatum „. Georgius Bartholdus Pontanus lib. 3. Bohemiæ Piæ, de Ditmaro primo Pragæ Episcopo: „ Ditmarus Saxo, Canonicus „ Regularis Magdeburgensis, devotionis causa Pragam ad „ tumbam S. patroni Vvenceslai veniens, atque Boleslao Pio „ Duci Bohemiæ, vel ob singularem suam doctrinam, vel potius ob Sclavonicæ linguæ peritiam innotescens, ab eodem „ (explorata jam in aula Ottonis Cæsaris, ubi aliquandiu vixerat, de divino cultu instituendo ratione, habitaque a „ Joanne Nono (*leg.* XIII.) Summo Pontifice per Mladam „ sororem, inde sub velatione a Pontifice, eo quod barbarum „ nomen esset, Mariam vocatam, monialem S. Georgii, nominandi Præsulis facultate, constitutisque ad id necessariis) „ omnium sacerdotum ad hoc convocatorum voto & applausu, „ primus in Bohemia nominatus Antistes, tandemque a Maguntino Præsule suo Metropolita inauguratus... suum cursum citius omnium opinione & expectatione absolvit sequenti anno in octava S. Stephani.

XII. Secundus Pragæ in Bohemia Episcopus S. Adalbertus anno 983. consecratus.

Ditmaro successit S. Adalbertus, patre natus Zlaunik, matre Zrezizlava, in urbe Lubic, sita loco, ubi amnis Cidlina in fluvium Labe (Albim) influit. *Voitychius* antea vocabatur, sed missus a patre ad Adalbertum Archiepiscopum Magdeburgensem, ut literis moribusque institueretur, dum ab eodem Archiepiscopo confirmationem sacrosancti Chrismatis accepit, Voytichii nomen in Adalbertum commutavint. De eo Cosmas ad ann. 969. hæc tradit: „ Interea rediens Philosophiæ (a) de „ castris, ubi decem aut plus militaverat annis, secum haud modi-

a Idest, ex urbe Magdeburgensi, ubi literis operam dederat.

„ dicam librorum copiam referens, aderat ſpectabilis heros, „ nomine Voytech, adhuc ordine Subdiaconus, qui velut tener agnus, inter oves ſui paſtoris ſuper morte mœrentes, „ ſedulus exhibebat exequias funebres, orationibus diurnis „ inſtans ſimul ac nocturnis, animam patris univerſalis eleemoſynis commendabat Deo largis, & precibus ſacris. Quem „ Dux Boleslaus & ejus optimates virum bono opere devotum „ cernentes, & in futurum devotiorem fore ſperantes, gratia „ Spiritus Sancti inſpirante, juvenem nimis reverenter rapiunt, & adducunt in medium, atque inquiunt, nolis, velis, noſter Epiſcopus eris, & Pragenſis vel invitus Epiſcopus vocaberis. Tua (a) nobilitas, tui mores & actus, „ optime concordant cum honore Pontificatus..... Facta eſt „ autem hæc electio non longe ab urbe Praga Levigradec in „ oppido XI. Kal. Mart. eodem quo obiit Dietmarus tempore „ & anno. Ea tempeſtate rediens de Saraceno bello adiit Veronam urbem præcellentiſſimus Imper. Otto ſecundus, pacis amator, juſtitiæ cultor, glorioſiſſimo patre primo Ottone „ glorioſior, qui in omnibus præliis extitit victorioſiſſimus victor. Ad quem Sclavonica manus Boëmiæ cum electo pergit Epiſcopo, ferens ex parte Ducis legationem, & totius „ Cleri atque populi petitionem, quo Imperiali nutu eorum „ communem confirmat electionem. Igitur ſereniſſimus Imperator condeſcendens eorum dignæ petitioni, III. Non. „ Junii dat ei Anulum, & Paſtoralem virgam; & cujus ſuffraganeus erat, Vvilligiſus Moguntinus Archipræſul, qui ibi „ forte aderat, juſſu Imperatoris, conſecrat eum in Epiſcopum, nomine Adalbertum..... Conſecratus (b) autem, „ III. Idus Junii, cum ſuis ſequentibus equitat in dulcem „ ſuam

a Zlaunik pater Adalberti, qui anno 981. obiit, fuerat Dux urbis Lubicenſis: habuit autem ſui principatus hos terminos: Ad occidentalem plagam, contra Boëmiam, rivulum Surma, & caſtrum quod eſt ſitum in monte Oſſeka juxta flumen Miſam. Similiter plagam ad auſtralem contra Teutonicos Orientales, has urbes habuit terminales, Hinou, Dudlebi, Netholici uſque ad mediam Silvam. Item ſolis ad ortum contra Moraviæ regnum, caſtrum ſub Silva ſitum Lutomis, vel uſque ad rivulum Suttana, qui eſt in media Silva. Item ad aquilonarem plagam contra Poloniam, caſtellum Kladſco, ſitum juxta flumen nomine Nizzam. Coſm. Pragen. ad ann. 991. Mater Zrezizlava obiit anno 987. Idem Coſmas.

b In Vita S. Adalberti cap. VII. „ conſecratus ille feſto amicorum Domini Jeſu „ Petri & Pauli „: ideſt, die 29. Junii.

„ suam patriam: & ut pervenit ad civitatem Pragam, nudo „ pede & humili corde, Clero & omni plebe præ lætitia mo„ dulante, Episcopalem obsedit Cathedram. Hujus tam præ„ clari Pastoris Adalberti consilio, & prædictæ atque dilectæ „ suæ sororis Abbatissæ Mariæ interventu, Dux Boleslaus quid„ quid Præsul Pragensis usque hodie in suo possidet vel obti„ net Episcopio, vel quicquid Abbatissa optavit dari & fieri „ utilitatis in suo Cœnobio, gratuita utrisque concessit pieta„ te, & canonum sacra confirmavit auctoritate „. Errat in anno consecrationis S. Adalberti, Cosmas Pragensis; non enim anno 969. uti ipse tradit, eumque secutus Pontanus: sed anno 983. (degente apud Veronam Ottone II. eodemque e bello Saracenico, quod infeliciter gesserat, reverso,) Adalbertus a Vvilligiso Moguntiæ Archiepiscopo die 29. Junii ordinatus est Pragensis Episcopus: Et consequenter aut Ditmarus ab anno 968. usque ad initium anni 983. in Episcopatu vixit: aut, si is anno tantum Episcopus fuit, vacaverit Sedes Pragensis necesse est, a die 2. Januar. 969. usque ad 28. Junii 983. Cosmam erroris manifesti arguit vel ipsum Ottonis II. Augusti, & Vvilligisi Moguntini Antistitis nomen. Nam Otto II. nonnisi a die 7. Maji, post Ottonis I. patris obitum anno 973. imperium iniit: Vvilligisus autem Roberto post Hattonem Moguntino Archiepiscopo successit anno 975. idemque anno 983. die 25. Decembris una cum Jo: Ravennæ Archiepiscopo Ottonem III. in Regem Aquisgrani consecravit. Demum expeditio Ottonis II. adversus Græcos Calabriam obtinentes, uti Pagius aliique existimant, sed verius adversus Saracenos Calabriæ incubantes, quæ expeditio a Cosma *bellum Saracenicum* appellatur, non anno 969. uti Cosmas supponit, sed anno 982. contigit, quemadmodum ex Chronico Hildensheimensi patet, his verbis: „ Anno 982. Otto Imper. pugnavit periculosissi„ me contra Saracenos in Calabrorum partibus: ibique non „ pauci de optimatibus occubuerunt „. Otto autem ex eo prælio reversus, anno sequenti Veronam perrexit, uti subjicit idem Chronographus Hildensheimensis: „ Anno 983. Impe„ rator Veronæ Placitum habuit, ibique Henricus minor de „ exilio ductus, Dux Bajowariorum constitutus est. *Et* „ *mox*. Ac non longe post, VIII. Idus Decembris Otto

„ be-

„ benignissimus Imperator obiit, filio & æquivoco ejus Regna „ relinquens.

XIII.

S. Adalbertus relicto Pragensi Episcopatu, quid ab anno 990. ad 994. egerit? Romæ scilicet in monasterio SS. Bonifacii & Alexii. A Jo: XV. Papa jubetur, in Bohemiam redire.

Itaque Adalbertus exeunte mense Junio anno 983. consecratus apud Veronam Pragæ Episcopus, uti Pagius ad eundem ann. num. 13. & ad annum 980. num. 3. ostendit; non autem anno 969. quemadmodum Cosmas non sine manifesto errore tradit. „ Post septem vero annos (inquit primus Auctor „ vitæ ejus, eidem coævus) Adalbertus, ubi vidit subditos „ obdurato corde in Deum grandia quæque & nova scelera „ adimplere, cogitat melius esse relinquere, quam in cæco „ & sponte pereunte populo operam deperdere. Quod ma- „ xime de tribus causis esse dicunt, cujus rei ordinem ipso „ narrante compererunt. Prima & principalis causa, propter „ plures uxores unius viri. Secunda propter detestanda con- „ jugia clericorum. Tertia propter captivos & mancipia chri- „ stianorum, quos mercator Judæus infelici auro emerat, „ emptosque tot Episcopus redimere non potuit „. Relicto itaque Episcopatu Romam venit anno 990. „ Erat ipsis diebus „ Romæ Imperatrix Augusta (a) Theophania, mater ejus qui „ modo regnat, tertius & Deo juvante maximus Otto: „ Sub- „ dit

a Vita S. Adalberti. „ Hæc Theophania, comperto quod gratia orationis exulans „ ille usque Hierosolymam pergere vellet, clam venire illum fecit, & argenti tan- „ tum, quantum juvenis Gaudentius vix levare posset, pro viatico accipere fecit. „ Quod eadem consequenti nocte pauperibus fideliter divisit, atque ab uno denario „ totum expendens, nil sibi retinuit. Deinde pueris remissis in patriam, mutat ha- „ bitum, & asinum pro portandis oneribus mercatus, cum tribus numero fratribus „ socium iter assumpsit. Habens itaque animum Jerosolymis Sepulcrum Domini in- „ visere, venit ad montem Casinum ... Hic quum licet agnitus non fuisset, tamen „ Domino quod futurum erat providente, honorifice hospitio susceptus est. Post „ paucos dies quum iter cæptum agere vellet, accessit ad eum illius loci Abbas & cum „ ipso admodum illustres viri hæc consilia velut a divina arce ferentes; Via, in- „ quiunt, quam beatitudinis acquirendæ causa cepisti, longe est a recta via ... va- „ gatio de loco ad locum periculum suis sequacibus minatur. State autem loco & su- „ pernis usibus eo liberius perfrui, non nos, sed præcepta majorum virorumque „ fortium exempla tibi dicunt. Quod consilium providus heros non secus quam di- „ vinitus datum accipiens, ibi finem laboris & cetera errabundæ vagationis ponere „ cogitavit ... Nam quum ibi monastica lege vivere vellet, quumque a minimo usque „ ad maximum omnes hoc libentissime vellent, repente attonitas terribile verbum „ transverberat aures. Et bonum est, inquiunt, ut stes nobiscum, hic monachicum „ induas habitum, hic Deo placiturum vivere ducas, nostras quoque Ecclesias no- „ vo opere constructas, quum sis Episcopus, sacrare potes. Quo audito ille heros „ jamdudum intra se turbatus, hæc ita dictante reddidit: utrum me hominem „ vel asinum putatis, ut quum admota filiorum cura Episcopus esse desisterem, nunc „ sub nomine Episcopi vestras domos consecrarem? nec mora ivit deorsum per montis „ con-

,, dit idem Anonymus. Chronographus autem Magdeburgen-
,, sis: ,, Anno (inquit) 990. Sanctus Adalbertus Romæ ad
,, Sanctum Alexium, inscio Abbate quis esset, factus est Mo-
,, nachus. Nam videns, quod grex sibi commissus semper in
,, præcipitium iret, nec eum ad rectam viam convertere qui-
,, ret, timens ne & ipse cum pereunte plebe periret, non au-
,, sus est cum eis amplius stare, nec passus est suam ulterius
,, in cassum prædicationis operam perdere. Sed quum jam Ro-
,, mam

,, convexa, & quasi duotum dierum itinere acto, ad magnum virum Nilum perrexit,
,, cujus nobile meritum io monastico ordine, velut novus lucifet in æthereo axe reful-
,, get: sub quo etiam duce ac divinæ artis magistro discipulorum plurima manus
,, Deo militarunt. Hi vero omnes propriis manibus victum quærentes, secundum
,, Regulam S. P. N. Basilii cœlestibus vestigiis innituntur. Hac fama ductus, ag-
,, greditur sanctum senem, & provolutis genibus, diu profudit lacrimas, quæreos
,, ab illo responsa, & amica solatia. Quem intuitus domnus Abbas Nilos, cujus
,, meriti in conspectu Domini viveret, jam in primo sermone cognovit: qui & usque
,, hodie ita amore Dei ferventem, non meminit se vidisse aliquem juvenem. Et re-
,, cepissem te, inquit, dulcis nate, nisi hæc susceptio mihi meisque nocitura, tibi
,, tamen minime esset profutura. Etenim (ut iste habitus & barbæ pili restantur)
,, non indigena, sed homo Græcus sum; terra autem quantulacumque est, quam
,, ego & mei mecum incolunt, illorum, quos tu bene fugis, propria est. sed si
,, (quod Deo volente nimis vellem) una nobiscum cohabitaveris; tollunt illi quæ
,, sua sunt; Ego cum charis filiis expellor totus; tu de incerta re plus incertus eris.
,, Quinimo accipe Patris consilium: & unde digressus es, repete urbem Romam:
,, quo quum Angelo bono te ducente perveneris, dominum Abbatem Leonem nobis
,, amicissimum ex nostra omniumque persona salutes, atque Epistolam nostram feras
,, in hac verba: aut te apud se (quod plus volo) retineat; aut si ei difficile apparet,
,, ad Abbatem Sancti Sabæ mea vice commendet. Hac spe confirmatus, regreditur
,, ad sacratam arcem, urbium dominam & caput mundi Romam. Inde cui monaste-
,, rio Abbas Leo præfuisset, diligenter inquirens, ad sanctorum limina Bonifacii &
,, Alexii, monstrante populo, perductus est. Postquam ingressus est, & cum Ab-
,, bate copia datur fandi, obtulit salutationem & literas, quas miserat Abbas Ni-
,, lus: quibus perlectis, ut ex longo usu spiritum probare doctus erat, priusquam
,, recepisset illum, arguta arte cuncta explorat... Abbas vero Leo ubi non solum
,, avertere a suo proposito, sed etiam dura prædicando plus accendere poterat, ac-
,, cepturum se fore illum pollicetur. Statuit autem Dominum Apostolicum (*Joan-
,, nem XV. Papam*) cum humiliato Antistite prius convenire, ut quidquid agendum
,, foret, tanti Patris sententia suorumque Cardinalium consilia deliberarent. Post
,, hæc rite peractis omnibus, qua die dominus discipulorum suorum pedes lavit ac
,, linteo extersit, monachalem habitum sanctus ille Episcopus accepit; Sabbato san-
,, cto, quando baptizati Catechumeni crinalibus vinclis solvuntur, soluta est & ipsi
,, capite pendens cuculla. Hinc secundum Regulæ morem fratrum numero addictus,
,, quærendum angusto calle cœpit ardentius cupere Christum. Duo autem ex fratri-
,, bus, qui cum eo erant, jamdudum videntes, quia se monachum facere vellet,
,, non bene relicto clypeo fugam dederunt. Solus vero Gaudentius, exemplo con-
,, stantis viri remanens cum beato viro, monachicam atque probabilem conversatio-
,, nem consecutus est, qui etiam sibi carne & spirito duplex germanus, & ab infan-
,, tia semper fidissimus comes adhæsit.

„ mam iter arripere vellet, forte ipso tempore Zirahquaz
„ (*al. Strachyquas qui Monachus erat*) filius Boleslai (*sævi*
„ *scil.*) qui Sanctum Vvencezlaum fratrem suum interemerat,
„ atque ad placandum hunc, de quo loquimur, Abbati S. Em-
„ merammi martyris Ratisponæ imbuendum voverat & con-
„ tradiderat, qui veniebat cum sui Abbatis licentia de Rati-
„ spona post multos annos visere patriam & cognatos, & fra-
„ trem suum Bohemiæ Ducem. Cum quo vir Dei Præsul Adel-
„ bertus secretum petiit, & multa conquestus est de infideli-
„ tate & nequitia populi, de incesta copula, & inlicito disci-
„ dio inconstantis conjugii, de inobedientia & negligentia
„ Cleri, de arrogantia & intolerabili potentia Comitum. Ad
„ ultimum intentionem sui cordis aperit, quod vellet Romam
„ Apostolicum consultum ire, & ad gentem apostatricem nun-
„ quam redire. Inter hæc & hæc addidit: & bene est, inquit,
„ quod tu frater nosceris esse Ducis. Te plebs ista mavult do-
„ minari, & tibi magis obedire, quam mihi. Tu consilio &
„ auxilio fratris superbos comprimere, negligentes arguere,
„ infideles increpare, inobedientes corripere poteris. Tua
„ dignitas & scientia, tui habitus sanctimonia multum con-
„ cordant ad hæc regimina. Quod ut fiat, ego tibi cum Dei
„ voluntate & mea potestate concedo, & ut liceat me vivente
„ ut sis Episcopus, apud Apostolicum votis omnibus interce-
„ dam. Et quem manu forte tenebat, Episcopalem baculum
„ ponit ei in sinum. Quem ille quasi furibundus in terram
„ projecit, & hæc insuper verba adjecit: Nolo dignitatem in
„ mundo, Episcopatu me indignum judico, Pastorali curæ
„ non sufficio. Monachus sum, mortuus sum, mortuos se-
„ pelire non possum. Ad hæc Præsul respondit: scias, frater,
„ scias, quod modo non facis cum bono, facies postea, sed
„ cum malo tuo. Posthæc Præsul ut proposuerat, Romam
„ iter arripit, & gentem suis præceptis inobedientem reli-
„ quit.

Post relictum Episcopatum Adalbertus, quum Romam anno 990. unacum fratre Gaudentio, & duobus aliis sociis inde Hierosolymitanam peregrinationem cogitans, Casini aliquandiu vixit, deinde ad S. Nilum Abbatem perrexit, a quo Romam ad Leonem Abbatem Monasterii SS. Bonifacii & Alexii

missus, in eo monasterio monachum professus, quinquennio (a) degit, idest, usque ad annum 994. „ Archiepiscopus „ vero Magdeburgensis (qui eo Christi anno Vvilligisus erat) „ beati Præsulis gregem sine Pastore ire conspiciens, misit Legatos cum literis, per quos Dominum Apostolicum de sancti „ viri reditu interpellat. Facta est Romæ Synodus (*anno 994.* „ *ut habet Chronographus Magdeburgensis*) pro hac causa, & „ oritur utrinque litigium grande, ex una parte eorum, qui „ monachum perdere timuerunt; ex alia eorum, qui Pastorem „ suum cum auctoritate quæsierunt. Quumque invicem diu „ pugnantibus sententiis utraque pars diu decertarent; tandem „ dubiam nunciorum Primas promeruit victoriam. Hic ipse „ Primas frater erat Ducis (*nempe Bohemiæ*) cujus terræ, qui „ exigebatur Episcopus, præfuit. Tum Apostolicus: (*nempe* „ *Joannes XV.*) non tam voluntate, quam jure Dei permotus, „ talia respondit: Reddimus quod juste quærunt, quamvis de „ bono patre jam degenerassent filii, & dabimus eum hac lege: Si audierint eum, teneant cum Dei benedictione, faciantque sub ipso fructum centuplum. Si autem a consueta „ iniquitate sua recedere nolunt, hic noster absque periculo „ sui capitis, malorum consortia declinet „. Subdit postea Anonymus, Adalbertum Pragam venisse, & omnem ætatem ac sexum ei obviam processisse. Sed quum Pragenses in carnalem partem relaberentur, *Adalbertus*, quia in morbido grege signa salutis nulla inesse conspexit, „ dulcis Romæ mœnia revisit, & nave monasterii mutat pastoralia fræna.

XIV.

Iterum Bohemia relicta Romam redit S. Adelbertus Quinque ejus fratres a Bohemis trucidantur. Ipse vero in Bohemiam remissus, quum a Bohemis non exciperetur, ad Prussos abiit, ubi an. 997. martyrio coronatus est.

Est hic secundus reditus Adalberti in urbem Romanam, quem Baronius in annum 990. confert, quum tamen ad annum 995. pertineat. Chronographus Magdeburgensis. „ Anno 995. post discessum B. Adalberti a Bohemia, quia Dux „ Bohemiæ non erat suæ potestatis, Ducis comites versi in Dei „ odium, patrum iniquorum pessimi filii, valde iniquum facinus operabantur. Nam quodam die festivo irrumpunt urbem Lubic, in qua fratres Sancti Adalberti & milites urbis „ universi, velut oves innocentes, adsistebant sacris Missarum solemniis, & velut lupi immanes, masculum & femi- „ nam

(a) In alia vita, appellatur *Radla*, ac *frater Ducis Boleslai*.

„ nam usque ad unum interficientes, quatuor (*a*) fratribus „ Sancti Adalberti ante ipsum Altare decollatis, urbem incen- „ dunt, plateas sanguine perfundunt, & præda onerati, hila- „ res recedunt. Interfecti sunt autem quinque fratres S. Adal- „ berti, quorum (*b*) nomina sunt hæc, Sobebor, Spitimur, „ Dobraizlau, Porei, Kaslau. (*Quintum nominant Czaslaum* „ *Cosmas & Dubravius*): His ita peractis, Dux Boleslaus ini- „ to consilio cum Clericis, Moguntinum (*c*) Archiepisco- „ pum (*Vvilligisum*) his sollicitat verbis: Aut nostrum Pasto- „ rem

a Infra dicuntur occisi quinque fratres S. Adalberti. Unius tamen nomen deest in Chronogr. Magdeburgen. quod suppletur ex Cosma & Dubravio.

b Apud Cosmam Pragen. „ Anno Dom. Incarn. 995. interfecti sunt in urbe Lubic „ quinque fratres S. Adalberti, quorum nomina sunt hæc, Sobebor; Sptumur, „ Drobozlau, Poreii, Cazlau „. Dubravius: „ & simul numero quinque interfece- „ runt; Sobieborium, Spitimirum, Prebislavum, Boritam, Czaslaum „. In posteriori Vita S. Adalberti dicuntur cæsi sancti viri „ in vigilia pretiosi martyris Vvencislai, ideoque die 27. Septembris.

c Auctor Vitæ Adalberti. „ Hoc ipso tempore (quo Adalbertus Romam venerat „ anno 995.) iter agit Romam Rex Francorum Otto tertius, pulchri Cæsaris pul- „ cherrima proles. Decursis quippe puerilibus annis, quum jam velut lanugine „ barbæ floreret, tempus & virtus major annis Imperatoriam sibi exposceret digni- „ tatem... Summus ipsis diebus Pontifex (*Joannes XV.*) acerrima febre correptus „ corpus terræ, animam cælo, utraque in sua dimisit exordia (*ante mensem majum* „ *anni 996.*) Rex autem Otto Alpium nives multo milite transmeans, juxta sacram „ urbem Ravennam regalia castra metatus est. Ibi in ejus occursum veniunt epistolæ „ cum nunciis, quas mittunt Romani proceres & Senatorius ordo; primo illius ad- „ ventum, velut toto tempore paternæ mortis non visum, totis visceribus desidera- „ re, ac debita fidelitate pollicitantur expectare. Deinde in morte Domini Apostoli- „ ci tam sibi, quam illis non minimam invectam esse partem incommodorum annun- „ ciant, & quem pro eo ponerent, regalem exquirunt sententiam. Erat autem in „ Capella Regis quidam Clericus Bruno (*filius Ottonis qui Marcham Veronensem ser-* „ *vabat, & Liutgarda filia Ottonis magni*) Secularibus literis egregie eruditus, ut „ ipse Regio Sanguine genus ferens, magnæ indolis, sed (quod minus bonum) „ multum fervidæ juventutis. Hunc, quia Regi placuit, a majoribus electum, „ Moguntinus Archipræsul Vvilligisus, & suus collega Adelbaldus Episcopus addu- „ xerunt Romam. Proinde a Romanis honorifice acceptum, ad hoc ordinati Episcopi „ Apostolico honore promulgarunt. Superveniens etiam Rex Romano more egregie „ accipitur. Deinde magno gaudio omnium (*die 31. Maji in die Pentecostes an. 996.*) „ Imperatorium attigit apicem... His temporibus Christianissimus ille Cæsar... „ crebro alloquitur Sanctum Adalbertum... Archiepiscopus vero Vvilligisus vete- „ rem querimoniam canens interpellat, congeminat vota cum votis, & ut reporta- „ ret illum omnibus modis instat. In Apostolica quoque Synodo canonum testimonia „ revolvens, coram omnibus se juste petere clamat, peccatum esse, singulis Ec- „ clesiis maritatis, solam Pragam viduari, juste poscentibus benevolam aurem, vi- „ duæ Ecclesiæ maritum suum præbere liberamente postulans erat. Rursum ex iti- „ nere, quo versus est ad patriam, continuis literis hoc idem reiterare non cessat; „ nec dimisit prius, donec pollicitus est dominus Apostolicus facturum se esse quæ „ vellet. Tristatus est autem homo Dei, quia linquere cogitur monasterium... er- „ go multis lacrymis dulce monasterium linquens, cum summæ discretionis viro

„ No-

,, rem Adalbertum ad nos revoces, quod magis volumus: aut
,, alium nobis ordina. Tunc Archiepiscopus sollicitus, ne popu-
,, lus nuper Christo acquisitus in antiquum relaberetur ritum,
,, mandat Apostolico, ut aut Pragensi Ecclesiæ suum Antisti-
,, tem remitteret, aut alium ordinari faceret. Et quia in cœ-
,, nobio S. Alexii vir Sanctus manebat, hunc domnus Papa
,, (Gregorius V. qui Joanni XV. mense circiter Majo an. 996.
,, successerat) & suus Abbas sic alloquuntur: Frater amantissi-
,, me, per caritatem Dei te deprecamur, ut ovium tuarum
,, regimen dignanter recipias. Si te audierint, Deo gratias;
,, si non, fugientes te fugias, ne cum pereuntibus pereas. Et
,, ad exteras nationes prædicandi licentiam habeas. Exhilara-
,, tus Præsul de data sibi docendi exteras gentes licentia, non
,, sine magna fratrum mœstitia discessit. Et cum viro summæ
,, discre-

,, Nothario Episcopo ultra Alpes proficiscitur: quumque velut duorum mensium iter
,, agererur, venerunt Maguntiam. Ubi regressus ab Italicis oris Imperator commo-
,, ratus est: cum quo vir Dei mansit bonum tempus ,, ... Otto III. ex Urbe post ac-
ceptam Imperialem coronam discedens, mense Augusto Papiæ moratus, in Agrip-
pina Colonia exeuntis anni 996. Nativitatem Domini celebravit. Adalbertus au-
tem, eodem Imperatore relicto, causa orationis Turoniam pedester petiit, inde
Parisios & Floriacum venit, tum ad Aulam Imperatoris rediit. ,, Inde quid sibi men-
,, te foret, quæ volente Deo agere vellet, sub lucem proferens, cœpit cum dilecto
,, Cæsare familiarem & extremum sermonem habere. Finita locutione pacis, oscula
,, invicem libant, & amplius nunquam sociandos non absque dolore separant ample-
,, xus. Vir ergo sanctus charam vitam charissimo Jesu multum commendans, secun-
,, dum placitum Archipræsulis sui ad Apostatricem gentem pergere cœpit. Sapuit
,, ipse quia consilio suo non obaudirent: Sed ne inobediens esset, jussum iter adim-
,, plere maluit... Gens antem hæc sceleratissima, ad quam redire compulsus est,
,, in odium sui nominis grande nefas commiserunt. Nam parentes suos, fratres fra-
,, trumque filios, masculum una cum femina, omnes morte sævissima damnarunt
,, (anno scil. 995. adeoque antecedenti) Unus ex suis fratribus, dum hæc mala do-
,, mi geruntur, cum Bolezlao Bolaniorum Duce in expeditione Imperatoris erat:
,, Dux vero ille pro amore sancti fratris, magnis promissis & amicis opibus eum so-
,, latur. Ergo pro his sceleribus aditum sibi clausum iter putans, ille sanctissimus
,, heros noluit frustrari adventum suum; sed declinavit ad præfatum Ducem, quia
,, sibi amicissimus erat: & si recipere vellent, per ejus missos explorare potuit. At
,, illi: Nolumus eum (inquiunt) quia si veniet, non venit pro nostra salute, sed
,, pro puniendis malis & injuriis, quæ de fratribus suis fecimus, & fecisse juvat. Hæc
& his similia audiens illusus Episcopus, iis relictis, inde adversus diram barbariem pro-
fanosque idololatras gladium prædicationis acuens & aptans, cum quibus primum, cum
quibus post dimicare oporteret, animo deliberare cœpit, utrum Luiticenses, an Prusso-
rum fines adiret. Tandem alternanti potior sententia successit animo, ut quia hæc regio
proxima & nota fuerat Duci prædicto, Prussiæ Deos & idola iret debellaturus. Inte-
rim Strachiquatis ordinatio in locum S. Adalberti, anno ineunte 997. sic peragi cœpta,
uti a Chronographo Magdeburgensi, Æneа Silvio, & Dubravio narratur, tametsi
Dubravius existimat, Strachyquatem, absente & Romæ degente Adalberto, dum
inaugurandus præsentatur, a Dæmonio strangulatum fuisse.

„ discretionis, nomine Nothario (*Præsule*) adiens Archiepiscopum in Palatio, rogat experiri, si suus eum grex recipere vellet. Quo facto, quid ille grex responderit, aut quam ob causam eum non receperit, vel ad quas gentes inde transierit, quantæ frugalitatis omnibus diebus Episcopii sui fuerit, quanta morum honestate nituerit; scire poterit, qui ejus vitam legerit. Tunc Ztrahquaz frater Ducis, de quo supra meminimus, (non Boleslai cognomento Sævi, qui S. Vvenceslaum occidit, uti perperam habet Pagius; sed Boleslai Pii, qui tum regnabat, adeoque filius Boleslai sævi:) „ Videns hunc quasi regulariter repudiari, tumido fastu exarsit in Episcopatum: quem populus nequam statim in Episcopalem levat cathedram, mente tumidum, veste compositum, oculis vagum, verbis vanum, moribus hypocritam, totius erroris mandritam, atque in operibus malis iniquorum archigerontam. Ventum erat ad Moguntinum Archiepiscopum: ubi peractis omnibus quæ agenda erant, dum choro melodiam modulante Archipræsul infulatus procumbit ante Altare, & post hunc inter duos suffraganeos Ztrahquaz prosternitur in medio, atroci arripitur Dæmonio: & quod illi vir Sanctus prædixerat, palam fit coram clero & omni populo.

XV. Epocha rerum gestarum S. Adalberti summatim traditur.

Æneas Silvius cap. 16. „ Quibus (Pragensibus scil.) quum esset Adalbertus prorsus ingratus, in Hungariam eum profectum, tradit, Regem Stephanum baptizasse. Exinde Poloniam ingressum, Gaudentium fratrem in Ecclesia Gnesnensi, prædicaturum Evangelium, Pontificem ordinasse. Postremo Prutenos adiisse, & apud hos martyrio vitam finisse „. Baronius, qui anno 983. Adalbertum Romam venisse, ibique Monachum in Monasterio sancti Alexii usque ad ann. 989. egisse scribit, consequenter subjungit, illum eodem anno 989. jussu Joannis XV. Papæ dum Pragam repeteret, in Hungaria Geisam Hungarorum Regem unacum filio Stephano baptizasse: Romam anno 990. reversum, in suum Monasterium rediisse; unde rursus anno 996. jussu Papæ ad suum Episcopatum dum reverteretur, a Bohemis repudiatum, in Prussiam abiisse, ibique anno 997. martyrium subiisse. At vero ostensum est supra, Adalbertum anno 983. consecratum Episcopum, post septennium in Bohemia exactum, anno 990. Ro-

Romam venisse, & post quinquennium, anno 994. in Bohemiam rediisse: anno sequenti Romam denuo reversum, anno demum 996. in Bohemiam remissum a Rom. Pontifice, & anno 997. martyrium apud Prussos subiisse. Quo vero anno in Pannonia Geisam ejusque filium Stephanum sacro baptismi fonte abluerit, demonstratum a nobis est supra, ubi de Hungaris sermonem fecimus: anno nimirum 984. non anno 989. uti vult Baronius, neque anno 996. quemadmodum alii contendunt.

XVI. Examinatur Dubravii de S. Adalberto narratio.

Dubravius lib. 6. quo primum anno Adalbertus Praga relicta Romam venit, ibi eum scribit a Pontifice impetrasse, ut Bojemos jugum Christi palam excutientes diris devoveat. „ Ad hanc execrationem (inquit) adeo exarserunt, ut quum „ de absente Adalberto ultionis pœnas quas vellent exigere „ non possent, impetum in fratres ejus germanos facerent „. Eo autem Romæ absente, subdit, Strachyquatis desiderium potiundi Episcopatus Pragensis erupisse, non audente Boleslao votis ejus refragari, ne honori fratris invidere videretur. „ Datis itaque (verba Dubravii hæc sunt) literis tum ad „ Othonem Cæsarem, tum ad Præsulem Moguntinum, inau„ gurari illum postulat. Quod munus dum Præsul Moganti„ nus obit, illeque se ante aram de more prosternit, continuo „ invadit eum malignus, vexatque, & eousque concutit, do„ nec ex ore spumabundo animam extrudit. Ex hoc tam horri„ bili & prodigioso casu non minus Boleslaus, quam Moganti„ nus exterritus, uterque suos Romam ad Adalbertum alle„ gat, qui ei reditum in patriam celerem ad recuperandum „ Pontificatum persuadeant. Illoque Romæ manendi propo„ situm retinente, cum sodalibus, quorum sodalitia professio„ ne etiam religionis approbavit, ambo rursus per legatos Ro„ manum Pontificem aggrediuntur, orantes, ut vel invitum „ Roma extrudat ad Ecclesiam suam Adalbertum, si bene „ consultum Bojemis, qui Romanam religionem affectantur, „ velit. Cessit tandem autoritati Pontificis Romani Adalber„ tus, discedensque Roma cum Gaudentio, quem loco fra„ tris (a) habuit, Anconam divertit, ibique conscensa na„ vi, Segniam in litore Dalmatico positam appellit; atque in„ de

a Quinimo frater germanus Adalberti erat.

„ de se in Pannoniam insinuat, a Præfectis adhuc, quos Capi-
„ taneos vocabant, gubernatam: quorum præcipuus (*a*) no-
„ mine Stephanus erat. Hunc ubi in humanitatem propen-
„ sum, atque erga Christianos satis hospitalem, & præterea
„ linguæ Sclavonicæ haud ignarum accepit Adalbertus, defle-
„ xit in aulam ejus; habitaque una & altera de fide & baptismo
„ concione, adeo attentum facilemque ad suscipiendum Chri-
„ stianismum expertus est, ut brevi temporis intervallo tingi
„ cum plerisque aulicis suis optaverit. Hinc a baptismo Pon-
„ fex Romanus (*b*) Coronam ei regiam detulit, & Cæsar
„ sororem suam eidem nuptum dedit. Adalbertus comitatu
„ auctior factus: nam sex (*c*) præterea fratres contubernales ex
„ contubernio ad Divum Alexium Roma digressi, ipsum apud
„ Hungaros assecuti sunt, nec divelli ab eo ullo modo potue-
„ runt. Cum iis igitur in Boëmiam ingressus, quæ summa tunc
„ ariditate ob inopiam cælestium aquarum laborabat, tanta
„ repente imbris copia ad introitus eorum cælo se effudit, ut
„ pleraque loca planiora stagnaverint..... Cæterum idem
„ Adalbertus majore honore a Boleslao excipi non potuit,
„ quam est post reditum exceptus, locoque suo & bonis qui-
„ busdam restitutus „. Refert postea, erectum ab Adalberto & Boleslao Cœnobium, quod Breunoviam vocant, deductis in contubernium sodalibus, quos ex Italia adduxit, eisque Abbate præposito Anastasio, qui posthac apud Hungaros Strigoniensem egit Pontificem. Sed quum iterum Bohemi in Adalbertum conspirassent, is invidiæ cedendum alioque demigrandum putavit. Animis itaque suorum, quos Breunoviæ relicturus erat, prius confirmatis, inde continuo cum fratre Gaudentio ad Polonos, Christianismo nuper initiatos, se confert: quibus in religione corroboratis, ac Gaudentio (quem-
ad-

a Hoc falsum. Nam Geisa Stephani pater in Hungaria usque ad ann. 997. regnavit. Stephanus autem anno 984. natus est, uti supra ostendi.

b Corona Regia a Silvestro II. Papa fuit missa Stephano Regi anno 1000. adeoque non statim post Baptismum ejus, qui anno 984. contigit. Recole quæ supra dixi.

c Eorum nomina apud Dubravium: „ Matthæus, Benedictus, Joannes, Isaac, „ Christinus, Barnabas „: quorum quinque priores martyrium passi 11. Idus Novemb. anno 1004. teste Cosma Pragensi. Verum, quum dicuntur *sex fratres* e Cœnobio S. Alexii secuti Adalbertum in Bohemiam, ii nimirum, quos supra recensui, quonam pacto in eorum numero ponitur a Dubravio *Anastasius*, quem Adalbertus illis Abbatem præfecit: sic enim erunt septem, non sex.

admodum orabant) Præsule illis Gnesnæ relicto, ipse ad vicinos Prussos iter vertit: ubi martyr occubuit. Hactenus Dubravius: qui tamen in hac narratione præterquamquod ab Auctore coævo vitæ sancti Adalberti in eo dissentit, quod semel tantum e Bohemia Romam venisse relicto Episcopatu sanctum virum scribit, procul etiam a veritate aberrat, dum eodem Adalberto per Hungariam transeunte, Stephanum quem is baptizavit, ei Regno tunc præfuisse tradit: nam Geiza Stephani pater, non Stephanus Hungaros tunc temporis regebat: de quo Geiza Auctor vitæ S. Stephani Hungarorum Regis, postquam narravit S. Adalbertum Pragensem Episcopum tam Geizam patrem, quam Stephanum filium baptizasse, sic ait: *Deinde jam grandævus, anno a Christo nato 997. vitæ hujus ærumnas cum cælestibus gaudiis commutavit:* quamquam in priore vita S. Adalberti a coævo auctore conscripta nulla de Baptismo Hungariæ Regis, aut de transitu Adalberti per Hungariam, fit mentio: in altera vero ejusdem vita hæc tantum leguntur: „ non tacendum, quod juxta positis Ungaris nunc „ nuncios suos misit, nunc seipsum obtulit. Quibus & ab erro„ re parum mutatis, umbram Christianitatis impressit „. Ademarus denique Auctor coævus in suo Chronico, tam Geizam patrem quam Stephanum filium non a S. Adalberto; sed a S. Brunone baptizatos narrat, in hæc verba: „ Sanctus Bruno con„ vertit ad fidem Ungriam provinciam, & aliam quæ vocatur „ Russia: Regem Ungriæ baptizavit, qui vocabatur Geitz, & „ mutato nomine in baptismo Stephanum vocavit: Rex quo„ que supradictus filium suum baptizari jussit, & sanctus „ Bruno imposuit ipsi nomen, sicut sibi, Stephanum.

XVII. Refellitur eorum error, qui S. Adalbertum in Poloniā sub Miecislao Duce abiisse scribunt.

Sed utcumque dicamus, Hungariæ Ducem Geisam ac Stephanum ejus filium sive a S. Adalberto (quod est verum) sive a S. Brunone (quæ est Ademari allucinatio) fuisse baptizatos; non possumus tamen dissimulare manifestum anachronismum Miechovii, Guagnini, & Cromeri, qui in historia Polonica dum Miezislaum usque ad annum 999. Polonis Ducem præfuisse, eique defuncto Boleslaum filium eodem anno 999. successisse scribunt, consequenter affirmant, S. Adalbertum (qui certe anno 997. martyrium subiit) in Poloniam sub Miezislao, non sub Boleslao accessisse: id quod auctori coævo vitæ

vitæ ipſius S. Adalberti manifeſte refragatur, qui Boleslaum Poloniæ Ducem fuiſſe uſque ab anno 995. teſtatur his verbis: „ Gens autem hæc ſceleratiſſima (Bohemi ſcilicet, qui Adal- „ bertum oderant) ad quam redire compulſus eſt, in odium „ ſui nominis grande nefas commiſerunt. Nam parentes ſuos, „ nobiles & præclaros viros, miſero vulnere proſternunt, fra- „ tres fratrumque filios, maſculum una cum femina, omnes „ morte ſæviſſima damnarunt; civitates quoque eorum igne „ ac ferro devaſtantes, omnia eorum bona in captivitatem „ redegerunt. Unus autem ex ſuis fratribus, dum hæc mala „ domi geruntur, cum Boleslao Bolaniorum Duce in expedi- „ tione Imperatoris erat. Dux vero ille pro amore ſancti fra- „ tris, magnis promiſſis & amicis opibus eum ſolatur. Ergo „ pro his ſceleribus aditum ſibi clauſum iter putans, ille ſan- „ ctiſsimus heros noluit fruſtrari adventum ſuum, ſed decli- „ navit ad præfatum Ducem, quia ſibi amiciſsimus erat, &, ſi „ recipere vellent, per ejus miſſos explorare potuit „. Et poſtquam a Bohemis rejectum ſe vidiſſet Adalbertus, ſubjungitur in ejuſdem vita: „ animo deliberare cœpit, utrum Luiti- „ cenſes, quos Chriſtianorum præda miſerorumque hominum „ damna paſcunt; an Pruzorum fines adiret, quorum Deus „ venter eſt, & avaritia juncta cum morte eſt. Tamdem al- „ ternanti potior ſententia ſucceſsit animo, ut quia hæc regio „ (*Pruſſia ſcil.*) proxima, & nota fuerat Duci prædicto, Pru- „ ziæ Deos & idola iret debellaturus „. Atqui cædes fratrum & affinium S. Adalberti, ut ſupra ex Chronographo Magdeburgenſi oſtenſum eſt, accidit anno 995.; prædicatio vero S. Adalberti ejuſque in Pruſsia martyrium, anno 997. Boleslaus itaque mortuo Miecislao patre, ſaltem ab anno 995. Poloniæ Dux fuerat.

XVIII. Alter eorum error, qui Stephanum Ungariæ Regem, Miecislaum Poloniæ Ducem, & Benedictum VII. Papam, Synchronos faciunt.

Alter eorumdem Auctorum anachroniſmus eſt, dum ſcribunt, Cromerus quidem pag. 436. „ quo auguſtiorem poſte- „ ris ſuis principatum relinqueret Miezislaus, nuper ad Chriſti „ fidem converſus & baptizatus, hortante Senatu, Lamper- „ tum Cracovienſem Archiepiſcopum ſive Epiſcopum, virum „ doctum & eloquentem, oratorem mittit ad Benedictum „ ejus nominis Septimum, Pontificem maximum, ut regium „ diadema ſibi mitteret, Regemque Polonorum ſe, & poſte-

„ ros ſuos eſſe juberet. Quo tempore etiam Stephanus Geiſæ „ filius, poſt defunctum patrem Ungariæ princeps, eadem de „ re ſuum miſerat. Atque ille quidem impetravit: quamquam Ungari vulgo crediderunt, ab Angelo cælitus ei dia„ dema eſſe impoſitum: noſtro negatum eſt, vel quod de mor„ te ejus nunciatum eſſet, vel quod differre eam rem Ponti„ fex divino oraculo juberetur: eo quod Poloni venationibus, „ rapinis ac cædibus mutuis dediti, duri & immanes, contu„ melioſi & aſperi adverſus tenuiores atque ſubditos, minus „ caſte religionem colere dicerentur „. Miechovius vero pag. 20. „ Interim Mieczlaus Polonorum princeps ſedula ad„ monitione ſuorum conſiliariorum, ad Benedictum VII. Pon„ tificem maximum mittit Lampertum Archiepiſcopum Cra„ covienſem & ceteros nuncios, Coronam ſibi & Regibus Po„ lonorum dari petendo. Cujus petitioni Papa Benedictus ſe„ ptimus reſpondit: nondum dignos fore Polonos, ut eis co„ rona hactenus deberet conferri. In proximo vero Deus „ placatus, coronam dabit eis, exaltabitque illam. Sic locu„ tus, Stephano Duci Hungarorum, qui & ipſe pro corona „ miſerat, per Aſtericum nuncium ejus, tradidit coronam; „ Polonis vero denegavit „. Atqui Benedictus VII. ab anno 975. ad 984. ſedit. Stephanus autem Hungariæ Rex non ante annum 997., poſt Geiſæ patris mortem, Regnum Hungariæ iniit.

XIX.
Confutantur ii ſcriptores, qui aſſerunt a S. Adalberto Gaudentium fratrem ſibi fuiſſe in Epiſcopatu Gneſnenſi ſubrogatum.

Tertius Cromeri error, dum vitam & martyrium ſancti Adalberti deſcribens, relictum ab ipſo ait fratrem Gaudentium, in Epiſcopatu Gneſnenſi ſibi ſuffectum, dum is in Pruſſiam perrexit. Verba ejus recito. „ Erat apud Bohemos ſe„ cundus ordine Pragenſis Epiſcopus Voicechus, qui Adal„ bertus ab externis appellatus eſt, vir nobilis, & ſanctimo„ nia vitæ pietatiſque ſtudio clarus. Is Bohemicæ pertinaciæ „ in retinendo impio idolorum cultu, & feritatis, injuſtitiæ, „ rapinarum, & neutiquam convenientium Chriſtianæ profeſ„ ſioni morum pertæſus, quum crebris admonitionibus acri„ buſque objurgationibus nihil proficeret apud populum, at„ que adeo multos etiam infeſtos ſibi reddidiſſet, Romam „ primum, ac deinde impetrato a Pontifice maximo commea„ tu, tentatis tamen iterum, an reſipiſcerent, Bohemis, in

„ Un-

„ Ungariam, Razino five Gaudentio fratre, & viris aliquot religiofis comitantibus, profectus erat: ibique annum (*a*) & amplius commoratus, Geifa principe cum uxore faventibus, Ungaros (*b*) religione Chriftiana non ita pridem, nec univerfe adhuc fufcepta, per interpretem accuratius imbuit: Stephanum Regis filium vel baptizavit, ut volunt quidam, vel baptizatum jam ante confirmavit. Inde Poloniam ire perrexit. Acceptus honorifice a primoribus & cetera multitudine, ab ipfo Miezislao Duce, eandem Polonis, quam Ungaris navavit operam, cum Cracoviæ & in itinere, qua veniebat, tum Gnefnæ in primis: & eo quidem majore ftudio & alacritate, quod linguæ & fanguinis cognatio Bohemis fuis cum Polonis intercederet. Mortuo vero illis diebus Roberto, primo Gnefnenfi Archiepifcopo, Adalbertus magnis precibus exoratus, quemadmodum volunt noftrates, fufficitur. Sed non multo interjecto tempore, vifo nocturno divinitus admonitus, jam inde ab initio fufceptam ad Pruffos, de quibus paulo poft dicemus, peregrinationem, ægre dimittentibus eum principibus, perfequitur: relicto pro fe Gaudentio, five Razino fratre Archiepifcopo. Ibi dum religionem Chriftianam magna cum difficultate & patientia diffeminat, a gente barbara & immani, dæmonum & idolorum facrificulis cum antiftite inftigantibus, veneranda myfteria peragens, prope oppidum, quod Fifshaufum Germani poftea dixere, ad litus Oceani, a barbaris confosfus interficitur die 23. menfis Aprilis anno Chrifti 997. „ Miechovius quoque dum exceptum Gnefnæ Ottonem III. a Boleslao Poloniæ Duce refert, (quando nempe is Imperator corpus S. Adalberti veneraturus in Poloniam advenit:) eundem Boleslaum ait, juffu Imperatoris, a *Gaudentio Gnefnenfi* cæterifque Pontificibus, in Regem Poloniæ coronatum fuiffe. Verum in vita S. Adalberti, neque *Gaudentius* dicitur *Gnefnæ*

 Epi-

a Auctor vitæ coævus: Roma difcedens anno 996. Adalbertus, cum Notherio Epifcopo ultra Alpes proficifcitur: quumque velut duorum menfium iter ageretur, venerunt Mogontiam: inde abiit Adalbertus Turoniam, Parifios, & Floriacum, & poftea rediit Moguntiam, unde in Poloniam divertit. Mox quum per miffos Ducis Polonorum tentaffet, an ipfum Bohemi reciperet vellent, ab illis rejectus, in Pruffiam iter direxit, ubi obiit.

b De Hungarorum ad Chrifti fidem converfione, fupra differui.

Episcopatum suscepisse, neque is apud Gnesnam relictus, dum Adalbertus in Prussiam perrexit, sed una ambo iter illud iniisse. Verba Auctoris coævi accipe: „ Dux vero (Poloniæ scil. „ Boleslaus) cognita voluntate ejus (Adalberti nempe, in „ Prussiam ire deliberantis:) dat ei navem, & ipsam pro pace „ itineris, terdeno milite armat. Ipse vero primo adiit Gida- „ nie (*Gedanum*:) quam Ducis latissima regna dirimentem, „ maris confinia tangunt. Ibi divina misericordia adventum „ ejus prosperante, baptizabantur hominum multæ catervæ. „ Ibi Missarum solemnia celebrans, Patri immolat Christum, „ cui non post multos illos dies seipsum pro hostia fuerat obla- „ turus. Quidquid vero superfuit Deo, quod ipse & novi „ baptizati communicarunt, colligere jubet, & mundissimo „ panno involutum, sibi servavit pro viatico deportandum. „ Postera autem die salutatis omnibus, imponitur carinæ & pe- „ lago, & tollitur ab eorum oculis, nunquam postea viden- „ dus. Hinc nauticum iter velocissimo cursu peragens, post „ paucos dies marinum litus egreditur, & reversa est navis „ cum armato custode. Ipse autem pro præstitis beneficiis „ gratiam vectoribus & vectorum Domino agens, remansit ibi „ cum geminis fratribus, quorum alter Presbyter Benedictus, „ alter dilectus & a puero sibi comes frater Gaudentius erat. *En Gaudentius in Prussia, non Episcopus Gnesnæ, neque ibi ab Adalberto relictus*. Pergit Auctor vitæ. „ Tunc magna fidu- „ cia Christum prædicantes, intrant parvam Insulam, quæ „ curvo amne circumvecta, formam circuli adeuntibus mon- „ strat. Venientes vero loci possessores, cum pugnis expule- „ runt eos, & quidam arrepto naviculæ remo, astitit Episco- „ po propius, & ut forte Psalmos in libro decantaverat, in- „ gentem ictum inter scapulas dedit. Excussus manibus volat „ in diversa codex, & ipse extenso capite & membris jacet „ humo prostratus; sed exterius afflicto corpore, quid pia „ mens intus ageret, risus cordis per vocis organum mox pa- „ tefecit. Gratias tibi, inquit, Domine, quia etsi amplius „ non erit, saltem vel unum ictum pro Crucifixo meo accipere „ merui. Transiens vero in aliam partem fluminis, stetit ibi „ sabbato. Vespere autem facto, Dominus villæ divinum „ heroa Adalbertum transduxit in villam. Congregat se un-

„ di-

„ dique iners vulgus, & quid de illo foret acturus, furibunda „ voce & canino rictu expectat. Tunc sanctus Adalbertus, „ quis, & unde esset, vel ob quam causam illuc veniret, in- „ terrogatus, tali e contra miti voce respondit: Sum nativi- „ tate Sclavus, nomine Adalbertus, professione Monachus, „ ordine quondam Episcopus, officio nunc vester Apostolus. „ Causa nostri itineris est vestra salus, ut relinquentes simula- „ cra muta & surda, agnoscatis Creatorem vestrum, qui solus „ & extra quem alter Deus non est: & ut credentes in nomine „ ejus habeatis, & in atriis immarcescibilibus cælestium gau- „ diorum præmia percipere mereamini. Hæc sanctus Adal- „ bertus. Illi autem jamdudum indignantes, & cum clamore „ blasphema verba adversus eum proclamantes, mortem sibi „ minantur. Extemplo terram baculis percutiunt, fustes ca- „ piti ejus apponunt, & infrendunt dire dentibus in eum. Ma- „ gnum sit tibi (inquiunt) quod huc usque impune venisti: & „ sicut celer reditus spem vitæ, ita tibi parvæ moræ necis da- „ mna creabunt. Nobis, & toti huic Regno, cujus nos fau- „ ces sumus, communis lex imperat, & unus ordo vivendi. „ Vos vero, qui estis alterius & ignotæ legis, nisi hac nocte „ discedatis, in crastinum decapitabimini. Ipsa nocte naviculæ „ imponebantur, & retro ducti manserunt quinque dies in vi- „ co quodam „. Hæc dum in illa geruntur parte, futurum Adalberti martyrium prævidisse narrantur Joannes Canaparius in Monasterio S. Alexii, sanctus Nilus Abbas, & Gaudentius sancti viri frater. Hæc in priori vita. At in altera apud Baron. ad. ann. 997. num. 2. præter Joannem Canaparium, & S. Nilum, alius quoque Presbyter additur: cui „ dum Missam fa- „ ceret, & sacram hostiam juxta ritum religionis offerret, re- „ velans Spiritus ad aures dixit, ut B. Adalberti martyris suf- „ fragia laboranti mundo imploraret. Paret ille libens monitis „ divinis, & intra memoriam SS. Martyrum Adalbertum vo- „ cat, ut pro nostris erroribus apud divinam misericordiam „ mactata hostia intercedat „. Subjungit Auctor prioris vi- tæ: „ Jam exurgente purpureo die cœptum iter agunt, & „ Davidico carmine viam sibi breviant, & dulcis vitæ gau- „ dium appellant Christum. Inde nemora & feralia lustra „ linquentes, sole ascendente ad meridiem, campestria loca „ adie-

„ adierunt. Ibi fratre Gaudentio (*en iterum Gaudentius cum*
„ *S. Adalberto in Prussia*) Missam celebrante, sanctus ille
„ Monachus communicavit, & post sacram Communionem,
„ pro alleviando labore itineris pauxillum obsonii accepit. Et
„ dicto versu, & sequenti Psalmo, surgit de gramineo cespi-
„ te, & quantum jactus est lapidis, vel missus sagittæ, pro-
„ gressus, loco resedit. Hic tum cepit eum somnus, & quia
„ diutini itineris fessus erat, pleno cornu perfudit eum sopo-
„ rifera quies. Ad ultimum pausantibus cunctis, affuit pagani-
„ cus furor, & irruerunt super eos impetu magno, & jecerunt
„ omnes in vincula. Sanctus vero Adalbertus stans contra
„ Gaudentium (*en tertio Gaudentium non relictum Gnesnæ,*
„ *sed una cum S. Adalberto in Prussia.*) & alium fratrem li-
„ gatum: Fratres (inquit) nolite contristari: scitis, quia hæc
„ patimur pro nomine Domini, cujus virtus ultra omnes vir-
„ tutes, pulchritudo supra omnes decores, potentia inenarra-
„ bilis, pietas singularis. Quid enim fortius, quid eo pul-
„ chrius? Quam dulce est pro dulcissimo Jesu fundere vitam!
Non igitur relictus Gnesnæ, aut consecratus a S. Adalberto Episcopus Gaudentius, sed una simul in Prussiam profectus, martyrio dulcissimi fratris interfuit. Errant proinde scriptores Rerum Polonicarum, dum id, quod anno millesimo ab Ottone III. Imp. in Polonia de instituto Gnesnensi Archiepiscopatu, eodemque fratri S. Adalberti Gaudentio concesso, ex Chronographis Magdeburgensi & Hildensheimensi supra narratum est, ipsi perperam vel ad annum *965.* referunt, quo primum Miecislaus Poloniæ Dux Christianam religionem amplexus Episcopales sedes instituit; vel de anno *996.* interpretantur, quo S. Adalbertus unacum fratre Gaudentio Gnesnam apud Boleslaum Ducem Miecislai filium sese recepit, antequam in Prussiam ad prædicandum illis gentibus Evangelium proficisceretur.

Prosequitur Auctor vitæ S. Adalberti, ipsius martyrium enarrans: „ Prosilit ex furibundo agmine igneus Siggo, & to-
„ tis viribus ingens jaculum movens, transfixit ejus penetralia
„ cordis: ipse enim Sacerdos idolorum & dux conjuratæ co-
„ hortis, velut ex debito prima vulnera facit: deinde concur-
„ runt omnes, & vulnera miscentes, iram exsaturant. Pro-

„ fluit

„ fluit purpureus ſanguis per foramina utriuſque lateris: ille „ oculis ac manibus ſtat orans in cælum. Exiit rubeus amnis „ divite vena, & extractæ haſtæ ſeptem ingentia vulnera pandunt. Ille vinclis ſolutis extendit manus in modum crucis, „ & ſuppliciter fuſis precibus pro ſua & perſecutorum ſalute „ ad Dominum clamat. Sic illa ſancta anima carcere ſuo evolat: ſic nobile corpus protenta cruce terram occupat: ſic „ quoque multo ſanguine vitam fundens, beatis ſedibus & „ ſemper chariſſimo tandem perfruitur Chriſto... Accurrunt „ undique armis dira barbaries, & nondum expleto furore, „ auferunt corpori nobile caput, & ſeparant exſanguia membra: corpus vero loco dimittentes, caput palo fixerunt, & „ læto clamore ſua ſcelera laudantes, reverſi ſunt unuſquiſque „ ad proprias ſedes. Paſſus eſt autem ſanctus & glorioſiſsimus „ martyr Chriſti Adalbertus, IX. Kal. Maji, imperante rerum „ Domino Ottone III. pio & clariſsimo Cæſare, feria ſexta, ſcilicet, ut qua die Dominus Jeſus Chriſtus pro homine, eadem „ die homo ille pro Deo ſuo pateretur „. Nimirum, anno 997. quo feria VI. incidit in diem XXIII. menſis Aprilis: quo anno & Lambertus Schafnaburgenſis martyrium S. Adalberti contigiſſe affirmat, ſic ſcribens: *Anno 997. Adalbertus Epiſcopus martyrizatur*. Errat proinde Marianus Scotus, qui ejus martyrium ad annum 995. deſcribit: ſibi quoque Coſmas Pragenſis repugnat, dum ad ann. 996. hæc habet: „ Anno 996. poſtquam inſignis ſignifer Chriſti Præſul Adalbertus retibus fidei „ cepit Pannoniam ſimul & Poloniam, ad ultimum dum in „ Bruſſia ſeminat verbum Dei, hanc præſentem vitam pro „ Chriſto feliciter terminavit martyrio IX. Kal. Maji, Feria VI. „ Eo anno fuit Paſcha VI. Kalendas Maji „. Ubi duplex eſt error: primus quidem: quia *Feria* VI. non incidit in *diem* 23. *Apr.* ſeu IX. Kal. *Maji* anno 996. ſed anno 997. Alter error, quia anno 996. *Paſcha fuit*, non VI. *Kal. Maji*, ſed *Prid. Idus Apr.* ſive *die* 12. *Aprilis*: Anno autem 997. Paſcha incidit in *diem* 28. *Martii*, ſeu, V. *Kal. Aprilis*.

XX. Thegdagus poſt S. Adalbertum, Epiſcopus Pragenſis, anno 998. conſecratur.

Boleſlaus Poloniæ princeps quum precibus non poſſet, pretio a Pruſsis Corpus S. Adalberti redimit, illudque Gneſnæ ſepulturæ tradidit: adeo non vulgaribus clarum miraculis (verba hæc ſunt Dubravii:) ut Otto III. Imperator, voti reus factus

factus ob recuperatam valetudinem, quam Adalberto acceptam retulit, Gnesnam ad sepulcrum ejus adierit: anno nempe 1000. quemadmodum supra narratum est. „ At Boleslaus „ Bohemiæ Dux videns Pragensem Ecclesiam suo Pastore vi- „ duatam, anno 997. dirigit legatos suos ad Imperatorem ter- „ tium Ottonem, ut Boëmensi Ecclesiæ sponsum meritis di- „ gnum daret, ne grex Christo noviter mancipatus (*inquit* „ *Cosmas Decanus Pragensis*) redeat ad pristinos vanitatis ri- „ tus, & ad iniquos actus: quippe profitetur non haberi in to- „ ta Boëmia tunc temporis Clericum (*a*) Episcopatu dignum. „ Mox Cæsar Augustus Otto, sicut erat in divinis humanisque „ rebus prudentissimus, annuens petitioni eorum, cœpit cu- „ riosius cogitare, quem de suis potissimum in hoc tam arduum „ opus dirigeret Clericum. Forte aderat in regali curia Ca- „ pellanus nomine Thegdagus (*b*) actibus ac probis moribus „ decoratus, liberalibus studiis apprime eruditus, genere de „ Saxonia, lingua proferre imbutus Sclavonica. Hunc quia „ sors obtulerat, omnis Regiæ aulæ Senatus & ipse Cæsar „ valde lætificatus, in Pontificem Pragensis Ecclesiæ eligit & „ collaudat, & mittens ad Moguntinum (*c*) Archipræsulem, „ quo eum celeriter in Episcopum consecret, mandat. Anno „ Dom. Incarn. 998. Nonis Julii consecratus est Thegdadus, „ honeste a Clero & Populo Pragensis Ecclesiæ recipitur, „ atque cum magno gaudio ad cornu Altaris sancti Viti inthro- „ nizatur. Dux valde congratulatur, quia Pastor bonus suo „ gregi arridet, & grex lætus Pastori novo alludit „. Videtur,

---

a Atqui erant in Breunoviensi Cœnobio Monachi illi, Matthæus, Benedictus, Joannes, Isaac, Christinus & Barnabas, viri sanctissimi, quibus Abbas præerat Anastasius, uti scriptores omnes Polonici narrant, & ipse Cosmas fatetur. Non ergo deerant in Bohemia digni Episcopatu viri: sed quia tam in politicis, quam in Ecclesiasticis Bohemia Ottoni III. Augusto & Archiepiscopo Moguntino subjecta erat, ideo petendus fuit ab Ottone Antistes, quem Moguntinus consecraret.

b *Aleodatum* vocat Æneas Silvius cap. 16. *Theodatum* Dubravius lib. 6. *Deodatum* Pontanus lib. 3. qui & addunt, eum origine Saxonem, ac tum Ottonis Cæsaris a sacris & ab epistolis fuisse virum literis, maxime tamen eloquentia præclarum, sed Slavonico idiomate cunctis acceptiorem.

c Erat is Vvilligisus, qui, teste Hermanno Contracto, anno 1011. obiit: pro quo Erchanbaudus Archiepiscopus Moguntiæ ordinatus est. Mariano Scoto dicitur Erkenbaldus: qui & obiisse narratur anno 1020. eique *Aribo* successisse. *Aribone* autem Moguntino anno 1031. defuncto, substitutus *Bardo*; Bardoni anno 1051. *Lupoldus*; Lupoldo anno 1060. *Sigefridus*: Sigefrido anno 1084. *Vetel*: al. *Wezelo*. Vide Marianum, & Lambert. Schafnaburg.

tur, mendum cubare in die consecrationis Thegdagi Episcopi Pragensis: nam consecrationes Episcoporum, nisi die Dominico, aut in solenni aliqua festivitate, fieri non consueverunt: proinde non *Nonis Julii*, quæ dies anno 998. in feriam v. incidit, sed v.*Nonas Julii*, hoc est, Dominico die, ea consecratio peracta. Subdit Cosmas de Boleslao Bohemiæ Duce deque Gnesnensi Episcopo Gaudentio: „ Dies autem sui (hoc est „ Boleslai) obitus est VII. Idus Febr. Anno Dom. Incarn. 999. „ Eodem anno Gaudentius, qui & Radun (leg. *Ratzin*) frater S. Adalberti, ordinatus est Episcopus ad titulum Gneznensis Ecclesiæ „. In hoc etiam errare videtur Cosmas: nam Gaudentius, ut supra dixi, non est ordinatus Gnesnæ Episcopus, nisi quum Otto III. in Poloniam perrexit. Quum autem profectio ejus in Poloniam anno millesimo contigerit, ad eum annum, non ad antecedentem conferenda est Gaudentii consecratio.

XXI. Ecardus, Izzo, & Severus, Pragenses Antistites.

Obiit Thegdagus, tertius Bohemiæ Antistes, anno Incarn. 1017. III. Idus Junii, cui (teste Cosma) *anno* 1018. *successit Ekardus Præsul*: de quo idem Cosmas: „ Anno Dom. Incarn. 1023. VI. Idus Augusti (*a*) Ekardus IV. Episcopus „ Pragensis Ecclesiæ, transivit ab hac luce, victurus perpetuam „ vitam. Hujus post obitum Izzo obtinuit Episcopatum, qui „ ordinatus est eodem anno IV. Kal. Jan. ab Archiepiscopo „ Moguntino „: idest die 29. Decembris, quæ in Dominicam anno exeunte 1023. incidit. Decessit Izzo (*b*) *Anno* 1030. III. *Kal. Februarii*. „ Post hunc Severus (inquit Cosmas) „ præsul successit in ordine (*c*) sextus: qui anno 1031. Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli in natalitio ordinatus est „ Episcopus a Moguntino Archiepiscopo „. Vixit in Episcopa-

a *Helicardus* dicitur Dubravio lib. 7. & Pontano lib. 3. qui addit, eum Germanum natione fuisse, Slavonico tamen sermone commendatiorem, concionatorem eximium, *Occard* vulgo dictum, Romam ad Benedictum VIII. profectum, ubi plurimas libertates & gratias pro Ecclesia S. Viti ad voluntatem Principis sollicitavit, quas rediens, magna omnium exultatione publicavit.

b Iso Dubravio & Pontano.

c Dubravius ordinem Episcoporum Pragensium perturbat. Dum enim inter Adalbertum & Thegdagum recenset Strachiquatem tertium Episcopum, consequenter, Thegdagum quartum, Ekardum quintum, Isonem sextum, & Severum septimum vocat. Sed alii scriptores Strachiquatem tamquam intrusum nec plane consecratum omittunt.

tu uſque ad annum 1067. quo deceſsit, Coſma ſic ſcribente:
„ Anno Dom. Incarn. 1067. v. Idus Decembris, Severus,
„ ſextus Pragenſis Eccleſiæ Epiſcopus, migrat ab hoc mundo,
„ bravio fruiturque jucundo. Hic utramque fortunam pro-
„ ſperam & adverſam ſatis expertus eſt. Nam aliquando a
„ Duce Brecislao captus, catenatus, carceri mancipatus,
„ utrumque ſimul in occulto & in aperto martyrium tulit.
„ Hic fere omni tempore ſui Præſulatus, ſine aliqua refraga-
„ tione Boëmiæ & Moraviæ quaſi unum & individuum Epiſco-
„ pium rexit; & rexiſſet, ſi non poſt obitum Spingei, nimia
„ devictus efflagitatione Wratislai Ducis, conſenſiſſet promo-
„ veri Joannem Epiſcopum in Moravia: prius tamen multorum
„ ſub teſtimonio hujuſmodi deliberato feudo & allodio, ſive
„ concambio; ſcilicet, ut Pragenſis Præſul duodecim villas,
„ quæ ſunt in omni Boëmia potiores pro iſto Epiſcopio eligat,
„ inſuper & centum marcas argenti annuatim de Camera Du-
„ cis accipiat; curtem autem quæ eſt in Moravia ad Sekir coſtel
„ cum ſuis appendiciis, ut antea, ſic & in poſterum poſsideat:
„ ſimiliter & villam Slinnicam cum foro, atque caſtrum ibidem
„ ſitum in media aqua, nomine Zuracka Podium, dictum a
„ conditore ſuo Poduia Judæo, ſed poſtea Catholico. Fertur
„ autem quod fuiſſet in Moravia ante tempora Severi quidam
„ Epiſcopus [ut reor] nomine Wrachen [*Wichinum intel-*
„ *ligit*] de qua Parochia quantum conflictum cum prædicto
„ Præſule Joanne ſucceſſor Severi Jaromir habuerit, in loco
„ ſuo declarabitur.

XXII.
Bohemiæ Duces a Boleslao Pio uſque ad Brecislaum Udalrici filium. Ob direptam Gneſnensē Eccleſiam, Dux Brecislaus & Seve-

Sed de reſtituto Moraviæ Epiſcopatu, mox ſermo erit. Nunc ad aliud progredior, quod ſub Severo Pragæ Epiſcopo & Brecislao Duce factum, Poloni apud Sedem Apoſtolicam ſunt conqueſti. *Brecislaus* (*a*) Udalrici filius, quum poſt patris mortem, anno 1037. Principatum Bohemiæ ſuſcepiſſet, inju-

---

a *Brecislaus* dicitur Coſmæ. *Bretislaus* Dubravio. *Pradislaus* Cromero. *Riſeſlislaus* Æneæ Silvio. Porro Ducum Bohemiæ poſt Boleslaum Pium, Sævi Boleslai filium, ſeriem accipe. *Boleslaus Pius* ex Hemma filios habuit *Vuenceslaum* & *Boleslaum*, ſed *Vuenceslaus* puer deceſſit. *Boleslaus*, hujus nominis tertius, anno 999. Dux inauguratus, filios habuit *Jaromirum* & *Oalricum* ſeu *Udalricum*: quumque improbo quorumdam procerum ſuorum conſilio in fines Poloniæ irrupiſſet, *Boleslaus Poloniæ Dux* eum intra fines regni ſui non aſſecutus, auctis copiis Bohemiam ingreſſus, arces partim vi, partim in deditionem accepit. Pragam Metropolim & Villegradum

jurias sub Boleslao avo & patre Udalrico Bohemis a Boleslao Poloniæ Duce illatas ulturus Poloniam infestis armis an. 1038. invadens, Gnesnensem Ecclesiam diripuit, & sacra plurimorum Sanctorum corpora in urbem Pragam transtulit, Severo Episcopo Ducem comitante. Cosmas Pragensis Decanus rem gestam initio libri secundi fusius describens, Translationem S. Adal-

> rus Pragæ Episcopus a Benedicto IX. Papa in jus vocati. Quid responderint? Injustæ de Romana curia quorumdam scriptorum querelæ.

dum arcem, quo se Dux Boleslaus cum Jaromiro filio receperat, biennio obsessam, ad deditionem compulit, Ducem Boleslaum oculis privavit, Jaromirum filium ejus, Ravitis in custodiam asservandum tradidit: ipse quum præfectos, qui nomine suo Bohemiam administrarent, partim de suis, partim de Bohemis, quos fideles sibi expertus fuerat, constituisset, præsidiisque opportuna loca firmasset; victorem in Poloniam reduxit exercitum. *Udalricus* alter Boleslai filius, quem pater Henrico Imperatori nutriendum dederat, ab Imperatore in Bohemiam dimissus, Principatum anno 1002. suscepit, sive victis prælio Polonis (uti Bohemi tradunt) sive Boleslao ipso Poloniæ Rege concedente, quemadmodum Cromerus narrat; fratrem Jaromirum excæcat, sive proditoribus suggerentibus, sive quod ætatis beneficio illum sibi præferri videbat. Ex Bozena, quam Beatricem dicunt, suscepit filium, nomine *Brecislaum*, seu *Bretislaum*. Anno 1037. obiit Boleslaus Udalrici & Jaromiri pater, quem Boleslaus Poloniæ (*non Miesko*, uti perperam scriptores Bohemi referunt) lumine privaverat: nam, Cosma ipso teste, Polonus hic Boleslaus Anno 1025. xv. Kal. Jul. decessit. Eodem an. 1037. v. Idus Novembris *Udalricus* Bohemiæ Dux e vivis excessit, *Brecislao* filio ducatu relicto. *Brecislaus* ex Jutha seu Juditha uxore, comitis Bavariæ Othonis filia, liberos genuit *Spitigneum*, *Uratislaum*, *Conradum*, *Jaromirum & Othonem*. Anno autem 1038. (secundo sui Principatus, (non *quarto*, uti Cosmas lib. 2. perperam scribit, sibi ipse repugnans, qui initium Ducatus Brecislai paulo superius post v. *Id. nov. anni* 1037. posuerat:) quum Miecislaus secundus, Boleslai filius, Poloniæ Dux, decessisset, relicto superstite filio *Casimiro*, quumque ejecta a Polonis *Rixa* Casimiri matre, & Casimiro extra Poloniam profugo, quasi limphatico furore Polonia cuncta exagitaretur, mutuisque cædibus omnia miscerentur, *Brecislaus Bohemus* optimum fore ratus, ne differret oblatam occasionem ulciscendi de illatis injuriis, quas olim Dux Boleslaus Casimiri avus Bohemis intulerat, cum valido exercitu, ferro & igni Silesiam, & majorem Poloniam quamlongissime populatus est: Uratislaviam, Posnaniam, aliaque minora oppida complura diripuit & incendit: Gnesnam metropolim primo impetu cepit: „ ad Basilicam ejus „ oppidi spoliandam (*verbis utor Cromeri lib. 4. de orig. & reb. gestis Polonorum*) ubi „ jussu ipsius venere milites, aliquoties irrumpere conati, subito cæcitate & letargo „ divinitus percutiuntur. Erat in castris Prædislai, Severus Pragensis Episcopus. „ Is miraculo attonitis omnibus, & spoliationem templi in religionem vertentibus, „ persuasit, non ob id, quod putabant omnes, sed propter nefanda flagitia & enormia scelera Bohemorum, cæcitatem illam & oblivionem ipsis accidisse, triduanoque jejunio divinam iram placandam esse censuit. Quo expleto Bohemi liberi jam, „ Episcopo authore, templum ingrediuntur: aurum & argentum omne, vestes sacras & omnem Basilicæ supellectilem, quæ erat munificentia superiorum principum „ satis ampla, tollunt: itemque quinque Eremitarum, de quibus in Boleslao meminimus, corpora, quæ illic a pio Rege translata erant, auferunt: Gaudentii corpus, pro Adalberti corpore, a ministris templi pio mendacio indicatum, etiam „ tollunt. Nam Adalberti corpus iidem ministri in aditu templi clam defoderant. „ Quamvis Bohemi ejus Reliquias habere se jactent. Hæc omnia Pragam asportavit „ Boleslaus, & in Basilica Pragensi reposuit, præter Christiani, unius de quinque „ illis eremitis, corpus, quod Olomucensibus concessit. Atque hæc anno Chri-

S. Adalberti Kalendis Septembris anno 1039. peractam affirmat. Id vero postquam contigisset, missa fuit anno 1039. legatio ab Ecclesia Polonorum ad Benedictum IX. Romanum Pontificem, quam Baronius ex Longino ad eundem annum num. 3. exscribit. Eandem ex Cosma Pragensi accipe. „ Sed his prosperis a Deo concessis (loquitur de S. Adalberti, aliorumque Sanctorum corporum e Gnesnensi in Pragensem urbem Transla„ tione) improbus (a) delator non destitit, qui Apostolico, „ uti gesta hæc erant, divinas sanctiones & SS. Patrum tradi„ tiones

„ sti 1038. acciderunt „. Hæc Cromerus. Alii aliter res in Polonia & Bohemia ab anno Chr. 995. ad annum 1038. gestas narrant: neque enim Bohemi cum Polonis consentiunt: neque ipsi Poloni aut Bohemi scriptores sibi ipsi conveniunt. Videtur tamen Cromerus hac in re similiora veri narrasse; tametsi ad corpus S. Adalberti quod attinet, tam Bohemi, quam Poloni illud sese habere ita gloriantur, uti Romani & Beneventani de corpore S. Bartholomæi Apostoli adhuc decertant.

a Longinus apud Baron. ad ann. 1039. num. 3. „ Gravem & enormem Gnesnen„ sis Ecclesiæ deprædationem, per impium Brzetislaum Bohemiæ Ducem & suum „ exercitum, in sacrarum & Deo dicatarum rerum sublatione & in Bohemiam aspor„ tatione, commissam, metropolitanus Gnesnensis Stephanus primus, qui succes„ sit Bossuthæ, molesto & amaro animo ferens, Rachetini Archiepiscopi Cracovien„ sis, cæterorumque Episcoporum Poloniæ communicato consilio, nuncios notabi„ les Romam mittit, coram summo Pontifice & Cardinalibus, de perpetrato per „ Ducem Brzetislaum & Bohemos sacrilegio questuros. Qui quum ad urbem acces„ sissent, & coram Benedicto Papa IX. audientia obtenta, nefanda Ducis Brzetislai „ & Bohemorum facinora, sacrilegia in Deum & sanctos ejus, spolia in sacra templa, „ cædem & captivitatem in Orthodoxos & Fideles, rapinam in omnes, fideli narra„ tione exposuissent: Severum quoque Pragensem Episcopum omnium sacrilegiorum „ hujusmodi participem & conscium fuisse, sacrilegiaque singula ejus suasu & consi„ lio fuisse patrata significassent: Pontifex Romanus non secus, quam justum erat, „ motus, longam cum Cardinalibus aliisque qui tunc in urbe aderant, Prælatis, te„ nuit deliberationem. Et quum omnium pari unanimique sententia execrabile scelus „ in Gnesnensem Ecclesiam commissum mucrone Ecclesiastico vindicandum censere„ tur; diversa tamen edebantur in modo ultionis inferendo vota. Et alii quidem „ Brzetislaum omni ducali honore & Fidelium communione privandum esse cense„ bant: alii per triennium in exilium agendum, nempe salubrem aliquam peregri„ nationem ad loca sancta suscipiendo, tanto temporis spatio patria caritutum. Seve„ rum vero Episcopum a Pontificali gradu dejiciendum, & in monasterium pro expia„ tione tanti sceleris, perpetuam illic pœnitentiam acturum, trudendum, da„ mnandum esse. Alii tam Ducem Brzetislaum, quam Severum Pragensem Episco„ pum usque ad plenam omnium sacrorum restitutionem, anathematizandos fore. „ Hæc ultima sententia velut mitior & media, ab omnibus accepta est. Verum quo„ niam Sedes Apostolica, parte altera non audita, decreta sua promulgare non con„ suevit, personalis contra Ducem Brzetislaum & Severum Episcopum Pragensem „ citatio promulgatur. Quorum nuncii dum Romam advenissent, & pro scelere „ sacrilegii diluendo verba coram Pontifice facerent, scelus illud, de quo per Ec„ clesiam Polonicam accusabantur, non diffitentur Ducem Brzetislaum & Episcopum „ Severum admisisse; non tamen temeritate, inquiunt, impia, sed devotione & „ pietate forsan stulta, Sanctorum ossa cæteraque Sanctuariorum vasa ex Gnesna su„ blata, & Pragam relata esse. Belli enim jure, quod Polonorum genti inferebat, „ credi„

,, tiones violasse Ducem Boëmiæ & Episcopum promulgavit;
,, &, si hoc inultum Dominus Papa prætermitteret, jura
,, Apostolicæ Sedis per totum mundum observanda imminue-
,, ret. Continuo Sacer conventus celebratur, Canones reci-
,, tantur, sacræ Scripturæ scrutantur, Dux & Episcopus,
,, quamvis absens, de præsumptione arguitur. Alii Ducem
,, omni

,, credidit se spolium illud juste Brzetislaus Dux noster, & populus Bohemicus
,, admisisse. Tum vern Papa, nuociis correptis, stultam & deliram eorum excusa-
,, tionem osteodit; nec licere quantumcumque justo bello Ecclesias Dei sols sanctua-
,, riis & rebus Deo dicatis spoliari, aut ossa Saoctorum de loeis Catholicis, sioe
,, Sedis Apostolicæ speciali auctoritate & consensu, transferri, quum bella homini-
,, bus, non cælestibus & sacris iodicere conveoiat. Proinde autem singula sanctuaria
,, Ecclesiæ Gnesnensi, cæterisque Polooorum Ecclesils erepta aut restituerent, aut
,, tam Ducem Brzetislaum, qoam Severum Episcopum Pragensem Apostolico rigore
,, scirent excommuoicandum. Legati vero Bohemorum, omnium ablatorom restitu-
,, tione, Ducis & Episcopi oomine, repromissa, tam Ducem, qoam Episcopum ad
,, compleodum quæ verbo promiserant, obligant, largis sermonibus pollicendo,
,, tam Ducem quam Episcopom decreto Apostolico devote & homiliter paritoros.
,, In haoc pollicitationem dimissi, plerosque Cardinalium nuncli Bohemorum adeunt,
,, pluribusque largitionibus & promissis illos sollicitant, ut suis consiliis & suffragiis
,, decretum Apostolicum de restituendis sanctuariis Ecclesiæ Gnesneosi rescindant;
,, aut si resciodere non possent, respectibus aliquibus executionem ejus suspendant.
,, Inescati Cardinales pretiis, & precibus, cœptam io sacrilegium Principemque
,, severitatem & ipsi remittunt, & Pontifici remittendam persuadent: non cnnvenire
,, ajunt gravitati Apostolicæ, Ducem Bohemiæ qui per nuncios suos omnia illici-
,, te recepta restituturum, & præceptis Apostolicis se exhibet staturum, censuris aliqui-
,, bus percelli, & in sugillationem publicam Principem parere paratum adduci; ne in-
,, juste irritatus, ad rebellionem justam se conferat. Multifaria tuoc erat Sedem Roma-
,, nam ambientiom, & de ea conteodentium collisio. Nam Sabinensis Episcopus, qui se
,, Silvestrum nominabat, & Joaones Archipresbyter S. Joannis ante Portam Latioam,
,, qui & Gregorius Sextus, contra Benedictum nonum Papatum usurpabant. Quapro-
,, pter persuasio Cardinalium, censurarum promulgationem corropta mente contra
,, DucemBohemiæ dissuadentium tuoc facile admissa est, & justitia Polooorum concer-
,, tatiooe hujusmodi & schismate de Papatu, protelata & impedita suppressaque, Polo-
,, norum Pootificibus illam promovere & sollicitare desistentibus; bello insuper civili
,, Poloniæ Regnum premente, emarcoit ,,. Eminentissimus Baronius his ex Longi-
no recitatis fidem adjungeos, de Cardioalibus quidem illius temporis hæc ait: *Tales erant illi a Benedicto creati sui similes Cardinales*. De Benedicto autem Pontifice: *& quidem a Benedicto illo Pontifice quid aliud expectandum erat, quam judicia cuncta recta subverti?* Quamquam autem idem Barooius advertit ibidem, *ejusmodi judicium eo anno cœptum, ad quadriennium usque productum, quum in Ecclesia Romana inter tres conflatum est schisma*. quod nimirum anno 1044. inchoatum est: At vern prooum erat ex ipsis Longini verbis intelligere, calumniose hæc omnia in Cardinales & Pontificem maximum fuisse jactata, ex eo nimirum quod Polooi causa ceciderint. Non enim cohærent priora cum posterioribus: Promittoot siquidem (si Longino credendum est) Legati Buhemorum, a Duce & Episcopo omnia restituenda fore: & facta promissione dicuntur fuisse dimissi. Si dimissi, quid opus erat, ut subornarent Cardinales, ne censuras Pontifex in Bohemos promulgaret? si anno 1039. legati Bohemorum satis fecerant Papæ Benedicto, polliciti tam Ducem quam Episcopum decreto Apostolico devote parituros; quonam pacto Schisma de Papatu, nonnisi post quatuor

annos

„ omni dignitate privatum, per tres annos in exilium decer-
„ nunt: Alii Episcopum ab omni Pontificali officio suspensum,
„ quoadusque vivat, in claustro monachorum degere judicant:
„ Alii ambos gladio anathematis feriendos clamant. Interea
„ Legati Ducis & Episcopi Boëmorum ex parte totius populi
„ & ipsorum Romam adveniunt, ferentes mandata magis mu-
„ neribus oblita, quam facundia verborum polita. Quibus
„ ubi data est copia fandi, in conspectu Apostolici, & Sacri
„ Concilii, tali sermone causam suæ legationis sunt persecuti.
„ O fidei catholicæ & Sedis Apostolicæ sanctissime Rector, &
„ o Patres in libro vitæ conscripti, quibus a Deo collata est
„ potestas judicandi simul & miserendi. Miseremini, peccas-
„ se confitentibus, parcite pœnitentibus simul & veniam po-
„ stulantibus. Fatemur enim, quod illicita, & contra statu-
„ ta Canonum egimus, quia de tam longinquis partibus ob
„ tam breve temporis spatium ad tam sanctum negotium ve-
„ strum nequimus habere nuncium. Sed quicquid est illud
„ quod fecimus, sciatis, Patres conscripti, nos non ex temeri-
„ tate, sed pro magna utilitate christianæ religionis atque bo-
„ na intentione id fecisse. Aut si unquam bona intentio cadit in
„ vitium, o sanctissimi Patres, secundum vestrum judicium
„ parati

---

annos a discessu legatorum exortum, protelare, impedire, & supprimere potuit promulgationem quadriennio antea dissuasissent Cardinales auro, ut ait Longinus, & precibus corrupti? Cur demum Polonorum Pontifices illam promulgationem promovere & sollicitare destitissent? Ergo Polonorum culpa fuerit, non Cardinalium, neque Bohemorum, quod Bohemi in patriam reduces nihil eorum præstiterint, quæ Romæ polliciti fuerant. Veri similiora itaque sunt, quæ a Bohemis narrantur, si illud excipias, quod de subornatis Cardinalibus confingitur. Antiqua & communis hæc est eorum querimonia, qui Romæ non eam, quam volunt, subeunt sententiam. Miechovius lib. 2. cap. 13. postquam Bohemos Poloniam vastasse, prædamque sacram ex Gnesnensi Ecclesia abstulisse, eo fere modo, quo Cromerus, narrasset, subjungit: „ Cum his, & multitudine captivorum utriusque sexus Brzetislaus in vigilia „ S. Bartholomæi anno Domini 1038. Pragam perveniens, sacrilegam prædam in ma- „ jori Ecclesia Pragensi deposuit; captivos vero, inter quos & Sacerdotes videban- „ tur, in Colonias distribuit. Et licet Stephanus Metropolitanus Gnesnensis coram „ Sede Apostolica super spolio suæ Ecclesiæ, Brzetislao Duci & Episcopo Severo „ Pragensi lites intentasset, & diffinitivam obtinuisset, nihil tamen de ablatis re ha- „ buit „. Non igitur corrupti Cardinales, non subversa judicia recta a Pontifice: sed Bohemi verba dederunt Pontifici, & nihil eorum quæ sunt polliciti effecerunt, Polonorum Pontificibus causam Deo relinquentibus. Cromerus quoque lib 4. ineunte, ne verbum quidem de subornatione, aut Pontificis Benedicti corrupto judicio facit, sed sic scribit: „ Nec unquam postea Prædislaus, quæ jure belli ceperat, „ Polonis restituit; quamvis postulatus ea de re apud Pontificem maximum a Stepha- „ no Archiepiscopo Gnesnensi, qui Polonus Polono Bozutæ successerat „. Facessant ergo maledicta in Romanam Curiam.

„ parati sumus emendare nostrum flagitium. Ad hæc Apostolicus paucis: si pœnitet, inquit, haud nocet error. Mox Legati summoti a Concilio, potiuntur hospitio; sequenti die reddituri rationem in judicio. Illa autem nocte Ducis missi & Episcopi circumeuntes corruperunt pecunia Cardinalium astutiam, auro supplantant justitiam, mercantur pretio clementiam, muneribus leniunt judicialem sententiam. Postera autem die iterumLegatis sacriConcilii inCapitolio præsentatis domnus Apostolicus os aperuit sacrum, ponderosis verbis & auctoritate plenum: sicut,inquit,pertinacibus in impietatis culpa est sævior exerenda vindicta, ita reatum suum recognoscentibus & pœnitentiam desiderantibus, facilem præbemus assensum, & ab hoste inflictis vulneribus, misericordiæ adhibemus antidotum. Magnum enim peccatum est aliena rapere, sed majus christianos non solum spoliare, verum & captivare, & captivatos ceu bruta animalia vendere, nimis est abominabile: quod vos perpetrasse in Poloni anobis relatum est per veridica nuncia. Quod autem nulli liceat sine nostra permissione de loco ad locum sacrum transferre corpus, testantur Canones, prohibent Patrum decreta, & præsumptores hujusmodi rei, divina jubent oracula gladio anathematis ut feriantur. Sed quia vos sive per ignorantiam, sive bonæ intentionis ob gratiam hanc rem fecistis, præcipimus, ut pro hac tam temera præsumptione Dux vester & Episcopus cœnobium omnibus Ecclesiasticis usibus & honoribus sufficienter amplificatum in competenti loco construant; probatasque personas ac officia servientium clericorum ex more constituant, ubi Deo sedulum servitium tam pro vivis fidelibus,quam pro defunctis in sempiternum exhibeatur, ut saltem vel sic in conspectu Dei reatus vestri transgressio deleatur. Mox Legati valde exhilarati proficiscuntur, & referunt Duci jussa Apostolici. Quibus Dux velut divinis jussis obtemperans, sub honore Sancti Venceslai martyris in urbe Boleslai juxta flumen Labe (*Albim*) ubi idem Sanctus olim feliciter consummavit martyrium, venustissimum fabricavit Cœnobium, in quo (sicut & hodie cernitur) (*anno videlicet circiter* 1130. *quo Cosmas scribebat*) Deo servit caterva Fratrum numerosa, & habetur Præpositura, & Basi-

„ lica

„ lica valde gloriosa „ . Hactenus Cosmas de intentata Bohemis circa sacras Reliquias a Polonorum Episcopis lite.

XXIII. Post Severum, sextum Pragæ Episcopum, consecratur septimus *Jaromirus* seu Gebehardus, alias Gerardus, Uratislai Ducis Bohemiæ frater, anno 1068.

Gravioribus incommodis Bohemiam affecit orta inter Episcopos ipsos Bohemos dissensio. Bratislao IV. Id. Januar. anno 1055. defuncto successit filius *Spitigneus*. Hunc anno VI. Ducatus, V. Kal. Febr. anno 1061. demortuum excepit *Wratislaus* frater, qui ex uxore *Zuatava* (*a*) Casimiri Polonorum Ducis filia, quatuor liberos habuit, *Boleslaum*, *Borivoyum*, *Uladislaum*, & *Sobeslaum*: Moraviæ autem Regnum inter fratres suos dividens, Orientalem partem *Ottoni* (*b*), Occidentalem *Conrado* tradidit: *Jaromirum* autem sacro Diaconatus ordine insigniri vel invitum curavit: qui proinde abjecta quam per manus impositionem acceperat gratia, militare cingulum sumens, aufugit cum suis sequacibus ad Ducem Poloniæ, mansitque ibi usque ad annum 1067. quo Severus Pragensis Episcopus decessit. „ Tunc Conradus & Otto (ut scribit Cosmas „ Pragensis) audientes, Pragensem Episcopum migrasse ad „ Christum, mittunt & revocant fratrem suum Jaromir de Po„ lonia, & discingunt eum zona militari, & iterum recipit „ habitum & tonsuram Clericalem. Interea Dux Uratislaus „ præcavens sibi in futurum, & timens, ne germanus suus „ quum Præsul factus foret, cum prædictis fratribus contra se „ conspiraret, cœpit tacitus secum tractare, quoquo modo „ posset eum Episcopio defraudare. Erat autem tunc tempo„ ris in Curia Ducis quidam Lanczo Capellanus de Saxonia, „ nobili prosapia natus, vir personatus, & admodum litera„ tus, ac Præpositura Lucomiricensis Ecclesiæ sublimatus, „ moribus & vita non contradicens honori Pontificatus. Et „ quia Duci semper fidelis mansit, omnibus modis Dux elabo„ rabat, is Pragensis Præsul ut sit. Interim Conradus & Otto „ ve-

a *Svvatochnam* Michovius vocat lib. 2. c. 14.

b Dubravius l. 8. „ Pragam a funere Spitignei, Uradislao, Conrado, Ottone „ convenientibus, in eo conventu ab omnibus ordinibus Uratislaus post Spitigneum „ natu maximus, Bojemiæ Princeps declaratur, & ab eodem Moravia inter duos „ juniores fratres sic bifariam dividitur. Regio illius Orienti exposita, in qua „ urbs Olomucium sita est, & circum montes ac silvæ venandi copiam suppeditant „ Ottoni tamquam venationibus debito, fruenda conceditur. Illa altera occidua, „ cum Brunna pariter & Znoyma, Austriæ proxima, Conrado linguæ Germanicæ „ gnaro defertur „. Cetera de Jaromiro fratrum minimo Clericali militiæ adscripto, injecta spe Episcopatus Pragensis post Severi decessum.

„ veniunt de Moravia, fratrem ſuum Jaromir ſecum afferen-
„ tes, & ſubnixe Ducem pro eo poſtulantes, quo ſit memor
„ germanitatis, memor paternæ inſtructionis, memor ſacra-
„ mentorum, quibus frater ſuus obligarat fidem Comitum,
„ quod poſt Severi Præſulis obitum, Jaromir ſibi eligerent in
„ Epiſcopum „. Reluctante Uratislao & Lanczonem tamquam Epiſcopatu digniſſimum collaudante, interceſſere Koyata filius Uſebor Palatinus Comes, & Zmil filius Bozen Præfectus in urbe Satec; ortaque ſeditione, quum major pars exercitus ceſſiſſet ad illos tres fratres, & caſtra circa oppidum Opocen & infra metati eſſent: „ Videns Dux quaſi ſe deſtitutum,
„ nec ſatis fratrum ab impetu fore tutum, fugit quam celerius
„ potuit, timens ne ipſi præoccuparent Pragam, aut Wiſſe-
„ grad urbem. Mittit igitur ad fratres dicens: non propter Ko-
„ yatam filium Uſebor, aut Zmil filium Bozen, verum nunc
„ magis paternæ traditionis memor ſacramentorum ejus,
„ quod Juſtitia, quod fraterna dilectio poſcit, faciam. Tan-
„ tummodo ſequimini me ad Urbem Pragam. Qui advenien-
„ tes, caſtra fixerunt in pratis juxta villam Goslivar, & mit-
„ tunt ad Ducem, ſi factis dicta comprobare velit. Quos ille
„ pacifice ſuſcipiens, fratrem ſuum Jaromir elegit in Epiſco-
„ pum. Conradum vero & Ottonem, datis & acceptis inter
„ ſe ſacramentis, dimittit cum pace in Moraviam. Facta eſt
„ autem electio hæc Anno Dom. Incarn. 1068. Sole intrante
„ xxv. partem Geminorum. Nec mora Dux Uratislaus mittit
„ Comites Severum, Abexium, Marquardum Theutonicum,
„ cum fratre ſuo Jaromir jam electo ad Imp. Henricum II. qui
„ venientes in Vigilia S. Joannis Baptiſtæ adeunt Cæſarem in
„ urbe Moguntina, tractantem cum Epiſcopis & Principibus
„ imperialia negocia, & offerentes Electum ſuum, rogant ex
„ parte Ducis, & totius populi, quo ſua authoritate dignetur
„ eorum electionem confirmare. Quorum petitioni Cæſar
„ annuens, tertia die, ideſt, VI. Kal. Julii, feria ſecunda,
„ dat ei Anulum & Paſtoralem Virgam, & in proximo die
„ Dominico VI. Nonas Julii a Præſule Moguntino (*Sigefri-*
„ *do*) Jaromir, mutato nomine Gebeardus, ordinatus eſt in
„ Epiſcopum „. Utrobique pro VI. *Kal. Jul.* & VI. *Nonas Julii*, legendum IV. *Kalend. Julii* & IV. *Non. Julii* : nam

anno 1068. quum litera Dominicalis esset E, dies IV. *Kalen. Julii*, idest, 28. *Junii* incidit in fer. 2. & dies IV. *Non. Jul.* idest, 4. *Julii* in Dominicam.

XXIV. Olomucensis in Moravia Episcopatus restituitur. Quo anno? series Episcoporum Moraviæ post S. Methodium usque ad Joannem, qui sub Severo Pragensi Episcopo est consecratus.

Peracta *Gebehardi* (*a*) sive *Jaromiri* Episcopi Pragensis consecratione, quum sedatus esset qui post obitum Severi proximi Decessoris circa Successorem ortus fuerat in Bohemia tumultus, graviorem alium idem Gebeardus excitavit. Vivente Bratislao patre, Bohemiæ Duce, dum Uratislaus ejus filius Moraviam administrabat, Severum Episcopum rogavit, ut Pragensi Episcopatu contentus, permitteret alium in Moravia Episcopum ordinari, quemadmodum ex Cosma supra est narratum. Rem gestam Dubravius sic refert lib. 8. „ *Uratislaus*, (postquam ipsius filiolum *Bretislaum*, Olomucii baptizatum Severus Pontifex è sacro Fonte suscepisset) adjunctis sibi Conrado & Ottone fratribus, eumdem Severum „ orare incepit, ut una uxore contentus, cum altera divortium „ faceret. Nonaginta enim propemodum annis, ambitu Pra„ gensium Antistitum, Olomucensis Ecclesia suo sponso ca„ ruit, dum utrumque sibi Pontificatum Pragensis Episcopus „ usurparet. Atque hanc in primis Severus tunc excusationem „ habuit, cur non statim petitioni subscribere posset, quoniam „ vetus res, non autem nova intercederet, quæ sine Colle„ gii Pragensis sententia confici a se solo nequiret. Non cessa„ bat urgere Uratislaus, jam Spitigneo (*b*) quoque adjuto„ re, ut de jure interim suo Severus decederet, cetera se „ cum fratre Principe in Bojemia curaturum. Dat manus tan„ dem Severus, Pontificatumque Olomucensem ad Joannem, „ quemadmodum Uratislaus petebat, transfert, sibique Pra„ gensem retinet.

Quum Spitigneus ab anno 1055. ad annum 1061. Ducatum Bohemiæ tenuerit, ut supra dictum est; quumque Dubravius dicat, non cessasse Uratislaum, jam Spitigneo quoque adjutore, urgere Severum Pragensem Episcopum, ut de jure interim suo decedens, Pontificatum Olomucensem Joanni traderet; consequens est, Joannis Olomucensis inaugurationem ante

a Alii *Gerardum* vocant. *Larmir*, & *Joramir*, in Epistolis S. Gregorii VII. Papæ dicitur.
b Qui tum Bohemiæ Ducatum tenebat.

ante annum 1061. fuisse peractam: Emendandus proinde Catalogum Olomucensium (*a*) Antistitum, ubi de Joanne Episcopo sic legitur: „ Joannes Moravorum Episcopus (*b*) „ tertius, Sancti Stanislai Cracoviensis Episcopi coætaneus, „ (*b*) consentiente Severo, ex canonico Pragensi, a Segefrido Moguntino Episcopo ordinatus, anno sexagesimo tertio supra millesimum Pontificatus curam suscepit „. Nam anno 1063. Spitigneus jam obierat. Quum denique idem Dubravius dicentem Uratislaum Severo Episcopo inducat: „ Ut „ una uxore (Ecclesia scilicet Pragensi) contentus, cum altera, Olomucensi nempe, divortium faceret; nonaginta enim „ propemodum annis, ambitu Pragensium Antistitum, Olomucensis Ecclesia suo sponso caruit, dum utrumque sibi „ Pontificatum Pragensis Episcopus usurparet „: colligitur exinde, post Silvestri, tertii Moravorum Episcopi, obitum, qui ex dictis Tom.3. p.171. ad ann. 935. figendus est, vacasse Sedem Olomucensem annos circiter 125., quot ab ann.935. ad 1060. effluxere. Ex quibus annis 125. si detrahas annos 35. quibus post Silvestri obitum Ecclesia Olomucensis dicitur in eo Catalogo unita fuisse Ratisponensi; habebimus post eam unionem mansisse Olomucensem Ecclesiam suo viduatam Pastore annis 90. usque ad inaugurationem Joannis sub Severo Pragensi anno circiter 1060. (ut supra) peractam. Verba Catalogi Olomucensis de Silvestro Episcopo accipe. „ Silvester Moravorum Episcopus secundus [*imo tertius*] Joanne „ vita defuncto, Episcopales infulas anno Christi quadragesimo secundo supra nongentesimum (imo 916.) suscepit, „ Episcopatuique decem & novem annos præsedit [*adeoque* „ *obiit anno* 935.] Post cujus mortem Episcopatus Ratisponensi Ecclesiæ (quæ tum Bajoariorum erat Metropolis) usque ad annos 35. fuit unitus (*idest usque ad annum* 970.] „ Inde vero per Benedictum VII. tempore B. Adalberti Pragensis Archiepiscopi „ (utrumque falsum: nam Benedictus VII. non ante exeuntem annum 974. Pontifex Maximus, & Adalbertus anno 983. Pragensis Episcopus electus est) „ ope-

a Qui rerum Bohemicarum Scriptoribus interseritur a pag. 279.
b Imo quartus: nam primus Methodius. 2. Joannes. 3. Silvester. Vide me Tom. 3. pag. 171.

„ opera Boleslai Pii, Ecclesiæ Pragensi annexus, quæ unio
„ nonaginta duobus annis duravit usque ad Severum Episco-
„ pum Pragensem, ac Uratislaum Regem Bojemiæ primum,
„ cujus opera, annuente Alexandro Pontifice Maximo, Epi-
„ scopatus rediit ad Moravos „. Hoc etiam falsum: tum quia *nonaginta propemodum*, non *nonaginta duobus annis*, Olomucensis Ecclesia fuit unita Pragensi, adeoque ab anno 930. usque ad annum 1060. tum etiam quia vivente Spitigneo, ut supra ex Dubravio ostensum est, Joannes ordinatus fuit Olomucensium Antistes; adeoque ante *diem v. Kal. Februarii anni* 1061. quo die & anno (juxta Cosmam Pragensem) Spitigneus decessit: tum demum, quia idem Spitigneus, sub quo Joannes ordinatus est Episcopus, non attigit Pontificatum Alexandri Papæ Secundi, qui *Kalendis Octobris anni* 1061. Romanam Cathedram ascendit, quum Spitigneus octo ante mensibus jam obiisset. Atque hæc secundum mentem Dubravii dicta sunto. Ceterum quia Cosmas Pragensis ad annum 1067. scribit, *post obitum Spitignei, Joannem fuisse consecratum Olomucensium* (*a*) *Antistitem*, idest anno (ut videtur) 1063.; idcirco, auctor Catalogi recte affirmat, ab eo tempore quo Olomucensis Sedes cum Pragensi conjuncta fuit, idest, ab anno 970. usque ad eum annum, quo Joannes consecratus est, nimirum usque ad ann. 1063., effluxisse *annos nonaginta duos*: idque, *annuente Alexandro II. Papa*, factum, ut nempe Episcopatus ad Moravos rediret. Quamobrem rationibus hisce sedulo pensatis, id quod Tomo tertio pag. 171. a linea 23. de Interpontificio Ecclesiæ Moravensis scripsi, sic reficiendum censeo:
„ Denique spatium Interpontificii illius, quod a Silvestri obi-
„ tu, usque ad ordinationem Joannis Moravorum Episcopi
„ per Moguntinum Metropolitanum peractum effluxit, ex no-
„ stro Calculo recte procedit. Nam, Cosma Pragensi teste,
„ Joannes, consentiente Severo Pragensi, Moravensis seu
„ Olomucensis consecratus fuit anno 1063. uti auctor Catalogi
„ etiam

a Verba Cosmæ hæc sunt: Hic (Severus Pragensis Episcopus, qui anno Chr. 1031. consecratus, decessit v. Idus Decembris anno 1067.) „ Hic, inquam, Severus fere omni tempore sui Præsulatus sine aliqua refragatione & sine omni contradictione, Boëmiæ & Moraviæ quasi unum & individuum Episcopium rexit, & rexisset, si non post obitum Spitignei nimia devictus efflagitatione Uratislai Ducis, consensisset promoveri Joannem Episcopum in Moravia.

„ etiam affirmat: ac proinde post Silvestri decessum Sedes „ Moraviæ universim vacaverit, necesse est, annis 128., ab „ anno scilicet 935. ad annum 1063., quum idem ipse Catalogi auctor dicat, Sedem illam, postquam Silvester diem „ obiit, unitam fuisse Ratisponensi per annos 35., deinde „ Pragensi per annos 92.: nam ex utraque hac supputatione „ simul accepta, annus 1063. quo Joannes consecratus est, „ consurgit.

XXV. Jaromiri seu Gerardi Pragensis Episcopi controversia cum Joanne Episcopo Olomucensi in Moravia: nec non cum Uratislao Bohemiæ Duce.

Narrata igitur Severi Episcopi Pragensis morte & Jaromiri seu Gebehardi inauguratione, Dubravius loco supra citato, idest, lib. 8., prosequitur, sic scribens: „ Bene aliquandiu inter illos (hoc est, inter Ducem Uratislaum & Gerardum Episcopum) conveniebat: Sed posteaquam Gerardus „ avaritia succensus, ambire Olomucensem præterea Pontificatum cœpit, prætextum habens, quod Severus in damnum „ Successoris, nihil potuerit in conjunctione Pontificatuum „ demutare; Uratislao contradicente, patrociniumque Joannis Episcopi Olomucensis suscipiente, rursus ex hac contentione nova simultas coorta est, quam mox Gerardus exacerbavit, verberibus mulctato Joanne, quod sibi de Pontificatu Olomucensi cedere noluerit. Hanc tam insignem injuriam Uratislaus una cum Joanne Romam ad Pontificem Romanum referendam censuit. Relator futurus erat (*a*) Sacrificulus Joannis, vir industrius, ac sæpe in Curia Romana versatus: sed & illum Gerardus per insidias literis & viatico spoliatum, additis plagis pessime accepit. Legat demum „ Uratislaus (*b*) suos legatos melius quam prius comitatos: „ atque ii Romam incolumes pervenientes, isthic obtinent, „ ut Senatusconsultum fieret in ipsorum sententiam de Rudolpho (*c*) Cardinale Pragam mittendo, qui præsens causam controversam, tamquam Judex, cognosceret, dijudicaretque. Veniens ille citat Gerardum ad causam dicendam; ac semel iterumque & tertio per contumaciam apparere detrectantem, ab officio Pontificali suspendit. Edicitur

a Cosmas. *Clericus* Joannis Episcopi, nomine Ahna, vir Theutonicus.

b Petrum scil. Presbyterum, Podivæ filium, S. Georgii Præpositum, & comitem Prædam filium Buz: Rapotæ Palatino Comiti commendatos. *Cosmas*.

c A Gregorio Papa missum Rudolphum scribit Cosmas. Eum tamen ab Alexandro II. missum refert Dlugossus.

„ tur protinus ab aliis Sacerdotibus, ad factionem Gerardi „ pertinentibus, velut Justitium. Nam & templa passim clau„ duntur, & sacrificia intermittuntur, cum hac denunciatio„ ne, non prius se ad illa redituros, quam censuræ vinculum „ adversus Gerardum laxatum fuerit. Irritatus audacia illo„ rum Cardinalis, ferit contumaces omnes anathemate. Nec „ urgere illos devovereque desinit, quam jurejurando Ge„ rardus de se Romæ sistendo promittit; venitque ad vadi„ monium promissum; sed in causa cecidit, relegatus in coe„ nobium, ut privatam cum contubernalibus vitam viveret, „ posteaquam Antistitis munere defungi, aut nescierit, aut „ noluerit. A quo sodalitio paulo post certior factus adesse „ Romæ Mathildim, quæ gratia & authoritate apud Romanum „ Pontificem ante alias Italiæ Matronas præpolleret, quam „ quidem Gerardus (*a*) pro cognata sua agnoscebat, quan„ do ut ipse, ita illa quoque generis sui originem ad Cæsares „ Germanos referret. Illam continuo precabundus adit, ro„ gans, ne se in periculo positum illa ope sua apud Pontificem „ destitueret. Mathildis, necessitudine quæ sibi cum Gerar„ do intercederet, comperta, benignis verbis recreatum, se„ cum ad Pontificem adducit, factaque perblanda oratione, „ pristinum fortunæ habitum cognato impetrat „. Hæc Dubravius. Paulo aliter Æneas Silvius cap. 21. „ Inter hæc Se„ verus Episcopus, qui Bohemiam Moraviamque Sacerdotio „ tenuerat, Joanne in Moravorum Ecclesia sibi substituto, „ jam gravis senio ex vita decedit. Ob quam rem Conradus „ & Otho Uratislaum precibus onerant, Jaronuro [*Jaromi*„ *ro*] fratri ut Ecclesiam Bohemiæ ab Imperatore impetret. „ Annuit Uratislaus, neque Imperator adversatus est. Jaro„ nurus ex Polonia revocatus, relicta militia, Episcopus ordi„ natur,

a *Cujus* (Mathildis) *de genealogia materno sanguine Præsul Jaromir descendens, duxit affinitatem*. Cosmas, „ Mathildis ex Bohemorum sanguine nata „. *Æneas Silvius*. Vide Pagium ad ann. 1070. ubi a num. 6. usque ad 15. Genealogiam Mathildæ texens, consanguinitatem ejus cum Henrico Imp. Secundo nimirum ac Tertio, ostendit. Quum autem Jaromitus Svvatochnam seu Zvatavam matrem habuerit, filiam scilicet Casimiti Poloniæ Regis, qui parentes habuit Miecislaum, & Richzam nepotem Ottonis III. natam ex germana ejus Mathilda & Ezzone sive Herenfrido Comite Palatino Rheni; hinc est, quod aliqua affinitas inter Jaromitum & Mathildam intercesserit. Nam Henrici secundus & tertius ex Henrico Bajoariæ Duce, qui Ottonis Magni ex fratre nepos erat, descenderunt. Vide Pagium ann. 995. n. 7.

,, natur, ac mutato nomine Gebardus appellatur. Qui mox ,, spiritu superbiæ inflatus, Moraviam non minus sibi, quam ,, suo Antecessori debitam dicit; illum exterum, se civem: ,, illum infimo loco natum, se Regia stirpe ortum. Ingressus ,, Moraviam, Joannem Episcopum, qui cedere nollet, con- ,, tumeliis & verberibus afficit. Uratislaus, qui Joannem ,, amaret, ea re commotus, Romanum Pontificem, contu- ,, maciam Gebardi uti corripiat, scriptis hortatur. Missus est ,, in Bohemiam Rudolphus Cardinalis, qui causa cognita de- ,, lictum puniat. Is vocatum Gebardum, quum minime pa- ,, reret, Sacerdotio abdicavit. Sed rogatus a Clero, digni- ,, tatem ei restituit, jubens, & ipsum & Joannem intra annum ,, coram Summo Sacerdote se exhibere. Paruerunt ambo. ,, Sacerdos maximus ambobus auditis, Gebardum amovere ,, Sacerdotio statuit: fecissetque, nisi preces intervenissent ,, Matildis Virginis, filiæ Bonifacii, Ducis Lucani, quæ tum ,, Romæ fuit, ex Bohemorum sanguine nata. Hæc est illa ,, Mathildis, fama inclyta, & apud Historicos late memorabi- ,, lis, quæ a Radicofano (a) Senensis agri oppido usque Ce- ,, peranum interjacentem terram donavit Ecclesiæ: posteri ,, Patrimonium S. Petri appellarunt. Hujus ergo interventu ,, Romanus Præsul utrumque Sacerdotem sua Diœcesi con- ,, tentum esse, ac remissis injuriis in patriam reverti jussit,,. Eminentissimus Baronius ad ann. 1073. num. IX. ex Longino seu Dlugosso Polonicorum Annalium Auctore hanc ipsam Jaromiri Pragensis Episcopi cum Jo: Moravensi contentionem sic describit. ,, Joramirus (Jaromirus) alias Gebeardus Pragen- ,, sis Episcopus moleste ferens Episcopatum suum in Olmu- ,, censem dismembratum esse, pro reintegrando illo plures ,, conatus impendit. Quos quum obstante Duce Bohemiæ ,, Wratislao, qui ejusdem mutilationis & præfati Olmucensis ,, Episcopatus fundationis primarius fuerat institutor & auctor, ,, irritum ire videret; Joannem Olmucensem Episcopum ,, clandestine accedens, plurimis contumeliis & verberibus ,, per se ipsum & familiares vulneravit. De qua novitate ,, Dux Wratislaus plurimum consternatus, querelam ad audi- ,, torium

a Dormitat Æneas Silvius, dum Patrimonium a Mathilda Romanæ Ecclesiæ concessum, a Radicofano ad Ceperanum extendit.

„ torium Summi Pontificis contra Joramirum Episcopum Pra-
„ gensem, dum primi nuncii ad Urbem missi, Joramiri man-
„ dato, mutilati & cæsi itinere fuissent, deduxit. Sceleris
„ magnitudine Papa Alexander Secundus motus, Rudolphum
„ Cardinalem ad coërcendam enormitatem sceleris & trans-
„ gressionis transmisit. Cui quum Joramirus obedire, coram
„ eo citatus, contumaciter recusaret; privavit Pontificio, ac
„ etiam Diœcesim Pragensem Ecclesiastico subjecit interdi-
„ cto. Placidius tamen postea, ne majora scandala exoriren-
„ tur, agenti, & Joramiro officium Pontificale restituit, & In-
„ terdictum a Diœcesi Pragensi tollit; terminum tamen ad
„ comparendum coram Alexandro Papa, utrique Episcopo
„ assignat. Quo quum ambo pervenissent, Papa depositio-
„ nem Joramiri ratam esse decernit; precibus tamen multifa-
„ riis Comitissæ Mathildis Virginis, filiæ Bonifacii Ducis Lu-
„ censis in Tuscia, quæ universum Patrimonium suum B. Petro
„ contulit perpetuo, & Ecclesiam Romanam ab hostibus stre-
„ nue defendit, expugnatus, omne facinus in se, & in Joan-
„ nem Episcopum Olmucensem admissum condonavit, & Jo-
„ ramirum pristinæ dignitati restituit; ita tamen, quod Olmu-
„ censis Ecclesiæ fundatio de cætero firma & perpetua per-
„ severaret.

XXVI. S. Gregorii VII. Papæ epistolæ in causa Jaromiri Pragæ Antistitis.

Hæc sub Alexandro II. Papa peracta dicuntur. Substitutus autem x. *Kal. Maji anni* 1073. in locum defuncti Alexandri Gregorius VII., statim legatos in Bohemiam *Bernardum*, & *Gregorium* misit, qui quum a Wratislao Duce honorifice excepti essent, ab Episcopo tamen Pragensi Jaromiro indigne atque illiberaliter sunt tractati, quemadmodum idem Pontifex ad Uratislaum scribit lib. 1. ep. 17. his verbis: „ Frater
„ vester Larmir (*Jaromir*) Pragensis Episcopus, olim noster
„ amicus, his nostris legatis, Bernardo scilicet & Gregorio
„ [ut auditu percepimus] in tantum rebellis exstitit, ut, si
„ ita est, sicut dicitur, Simonis magi vestigia contra Aposto-
„ lorum Principem imitatus fuisse videatur. Quapropter ro-
„ gamus nobilitatis vestræ prudentiam, ut & nostros Legatos
„ & fratrem nostrum prædictum Episcopum conveniatis, &
„ per vos, & ex parte nostra fratrem vestrum attentius horte-
„ mini, quatenus Legatorum nostrorum monitis debitæ obe-
„ dien-

„ dientiæ aurem inclinet, & quidquid justitiæ sibi suggesserint, vel ex eis præjudicio (*a*) pergravari, nulla sibi ab hac Ecclesia audientia denegabitur. Si vero neutrum horum facere acquieverit, & sententiam Legatorum nostrorum de suspensione sui officii in eum promulgatam confirmabimus,& durius contra eum, scilicet, usque ad interniciem, gladium Apostolicæ indignationis evaginabimus „. Itaque ad Gregorii VII. Pontificatum ea sunt omnino referenda, quæ Bohemi scriptores sub Alexandro II. narrant de Pragensi Episcopo a Legatis Papæ (ut ajunt) divinis suspenso; quumque ex epistolis ejusdem Gregorii Papæ constet, Jaromirum bis Romam sub eodem Pontifice venisse, dicendum est,eum ex Urbe in Bohemiam reversum, promissis Romæ factis non stetisse, sed Moravensem Episcopatum invadere perrexisse. Subdit quippe Baronius ad ann. 1073. num. 53. „ At homo in omnibus refractarius, Apostolicæ Sedis compulsus est auctoritate, licet invitus nolensque, ad dicendam causam Romam venire, judicio postulatus, instante & urgente Joanne Episcopo Moraviæ. Fuit tamen in his eidem Gregorio plurimum laborandum, ut plures ab eo scriptæ eo argumento literæ (*b*) docent, quibus etiam redargutus est Sigefridus Archiepiscopus Moguntinus, qui eam causam ad suum judicium statuit advocare. Quomodo autem tandem Romam veniens, fuerit absolutus, & ad Episcopatus munus redintegratus, literæ (*c*) ejusdem Pontificis ad Uratislanm Boëmiæ Ducem ita significant. Frater tuus Larmirus [*Jarmirus*] Pragensis Episcopus ad Apostolorum limina veniens, conspectui nostro ea qua oportuit se humilitate præsentavit; & de objectis sibi, quædam confitens, congruam inde satisfactionem obtulit; quædam vero denegavit, & in hunc modum se purgando removit, videlicet, quod ipse Joannem Moravensem Episcopum non percusserit, neque servientes ejusdem Episcopi decapillari, aut barbas eorum abradi præceperit, aut occasione subterfugiendi Synodum inducias per Legatum suum petierit. Nostræ igitur dilectioni plene re- „ con-

a Deest aliquid, Fort. *pergravari dixerit*.
b Id. lib. 1. ep. 44. 45. 60. 61.
c Lib. 1. ep. 78.

„ conciliatum, & restituto sibi omni Episcopali officio, ad „ propriam sedem cum literis nostris, & Apostolico eum sigil- „ lo remisimus, commendantes eum tuæ nobilitati, ut omni „ inter vos odio, & inimica æmulatione sublata, fraterno cor- „ de eum diligas, & Episcopalem in eo dignitatem (sicut di- „ gnum est) veneranter inspicias. *Hactenus Gregorius Ponti-* „ *fex. Pergit Baronius:* At vero quod scriptum est, *Perver-* „ *si difficile corriguntur*, rursum adversus eum integrandum „ fuit judicium, quum reversus in patriam, denuo cœpit la- „ cessere eundem Joannem Episcopum Moraviæ, ut ipsius „ Gregorii ad eum literæ (*lib. 2. epist. 6. & 7.*) docent, „ quibus eum rursus Romam vocavit, & aliæ ad *Joannem* „ ipsum scriptæ, quibus eum est consolatus.

XXVII. Alexander II. Papa Mitram Uratislao Bohemiæ Duci mittit. Privilegia ab eodem Pontifice Vvissegradensi Ecclesiæ concessa.

Nam, ut modo dicebam, bis Jaromirus Romam est profectus, idque sub Gregorio Papa, non sub Alexandro: adeoque Rodulphi Cardinalis legatio, si quidem vera fuit (quod non ita facile admiserim) non ob aliud ab Alexandro missa, nisi ut Mitram Wratislao Duci deferret. Concessam quippe ab Alexandro II. Papa anno circiter 1068. *Mitram* (*a*) Bohemiæ Duci, testatur S. Gregorius VII. Alexandri successor lib. I. epist. 38. data *Romæ* XVI. *Kal. Jan. Ind.* XII. *hoc est*, 17. Decemb. anno 1073. ad *Uratislaum Boemiæ Ducem*, in qua sic ait: „ Longa jam temporis intervalla transacta sunt, ex quo & no- „ bilitas tua B. Petro Apostolorum principi non modicæ devo- „ tionis animum spopondit, & studium: & tibi in Apostolica „ Sede inter cæteros Principes larga benignitas, præ multis „ etiam singularis & egregia fuit astricta charitas. Cujus rei „ fidem & indicium ex benevolentia Domini & Antecessoris „ nostri Alexandri Papæ satis perecepisse potes, qui petitioni- „ bus tuis non unquam sine sua & filiorum sanctæ Romanæ „ Ecclesiæ solicitudine & labore condescendit, & ad signum „ in-

a Vide ad ann. 1068. Baron. num. 4. & Pagium num. 4. „ Qui hoc exemplum „ secutus est (inquit) Lucius II. Papa (*imo, Eugenius III.*) de quo Otto Frisingen. „ lib. 1. de gest. Frider. cap. 27. & seq. Concordiam inter Siculum & Papam hujus- „ modi esse accepimus. Papa concessit Siculo Virgam, & Anulum, Dalmaticam, & „ Mitram, atque Sandalia. Mitram etiam Regi Aragoniæ concessit Innoc. III. ut in „ gestis ejusdem Papæ pag. 135. videre est. Regalia insignia universa, mantum vi- „ delicet, & colobium, sceptrum, & pannum, coronam, & mitram, ad opus „ tuum, non minus pretiosa, quam speciosa fecimus præparari, & ea liberaliter tibi „ donavimus, in signum gratiæ specialis „. Legatur Rainaldus anno 1204. num. 71.

„ intimæ dilectionis, quod laicæ personæ tribui non consue-
„ vit, Mitram quam postulasti, direxit „. Mirari subit, Scriptores Rerum Bohemicarum, Dubravium, Æneam Silvium, Cosmam Pragensem, Mitræ ab Alexandro Papa Uratislao Duci concessæ nullam facere mentionem. Hoc unum Cosmas ad ann. 1070. refert, Monasterium scil. ab Uratislao Wissegradi fundatum, & pro hac fundatione missum ab ipso ad Alexandrum Papam Legatum, ut Privilegiis illud exornaret: „ An-
„ no (inquit) 1070. Dux Uratislaus in moribus Deo carus &
„ hominibus, necnon in rebus bellicis miles præclarus, inspi-
„ ratione divina commonitus, Monasterium in Metropoli Bo-
„ hemiæ urbe Vvissegrad vocata, quæ omnium terræ illius ci-
„ vitatum quasi mater & domina est, Deo juvante construen-
„ dum pia mente proposuit. Ad cujus propositi efficientiam
„ non mediocri animo consilia pertractans, dignum duxit,
„ quatenus Monasterium, quod gratia Dei cooperante confi-
„ ciendum devote proposuerat, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Pon-
„ tifici regendum, omnique ab adversitate diligenter prote-
„ gendum, simul cum Canonicis ejusdem Ecclesiæ commen-
„ daret. Igitur Petrus Ecclesiæ S. Georgii Præpositus Romam
„ missus, devota nuncia sui Ducis Domino Apostolico fideli-
„ ter insinuavit. Quo audito Venerabilis Papa Alexander II.
„ Deo gratias pro tam felici præfati Principis desiderio retu-
„ lit: moxque Synodum convocavit, in qua LXXII. Episcopi
„ fuerunt. Quibus postquam omnia prædicti Ducis verba re-
„ citavit, cuncti unanimi corde & voce glorificantes Deum,
„ qui sanctam suam Ecclesiam in toto orbe dilatare non cessat,
„ responderunt, Amen „. Refertur postea Rescriptum Alexandri II. datum VII. *Idus Maji*. Verum illud vel addititium, vel saltem interpolatum [uti observat Pagius ad ann. 1070. num. 17.] quum stylus ab omnium aliorum stylo prorsus diversus sit. Illius autem Ecclesiæ Collegiatæ prope Pragam ad arcem Vvissegradensem fundatæ, in plerisque historiis & Chronicis Bohemiæ fit mentio, quamvis in quibusdam, uti in historia Æneæ Silvii, & Dubravii, Alexandro III. sedente, fundata perperam dicatur: ad illud enim tempus Cosmas laudatus non pervenit; & Joannes Episcopus Tusculanus, qui [in Rescripto Alexandri II. missus dicitur ad hæc perficienda] ejus-

que fundamenta jecit, sub Alexandro II. vixit, & sub Alexandro III. Imarus, Hugo, ac Petrus Tusculani Episcopi fuere. Uratislaus Dux, (*a*) illius Ecclesiæ Privilegia auxit, & Præpositum ejus, *Principem & Cancellarium Regni Bohemiæ* in perpetuum esse jussit, quod traditio sit, ædem sacram ibi antea stetisse, a Borsivojo primum exstructam, & a sancto Cyrillo (leg. *Methodio*) consecratam. Æneas Silvius cap. 22. „ Mortuus est per idem tempus (*anno* (*b*) *scil.* 1086.) Johannes Moravorum Episcopus, cujus Ecclesia, instante Gebardo, Pragensi unita est. Quæ res illi, majoris insolentiæ fomentum fuit, adeo ut præsente Rege interesse divinis minime dignaretur. Ob quam causam Uratislaus, indulgente Alexandro Papa tertio, natione (*c*) Senensi, Collegium Canonicorum Regularium in arce Pragensi erexit: in quo dum res agitur divina, non Præpositus tantum, sed Decanus, & Sacerdos, Diaconusque & Subdiaconus rem divinam facientes, Episcopalibus ornamentis utuntur; & Præpositus quidem Cancellarius Regni appellatus, Principis honore defungitur „. Dubravius lib. 9. ineunte, pag. 65. postquam jussu Henrici Imperatoris, Uratislaum unacum Svuatava uxore Regio diademate coronatum, & post mortem Joannis Moravensis, Jaromiro Olomucensem Episcopatum, unacum Pragensi conjunctum, concessum narrasset, (id quod anno 1086. factum constat) subjungit: „ Ceterum Gerardus tam latam ditionem assecutus, nequaquam ulterius se intra officii debiti regiones continuit; non quod ulla nova injuria ab illo fuerit lacessitus, sed tantum vetus valuit simultas, memoriaque favoris, quem Rex Joanni Olomucensi Præsuli, „ quoad

a Inter annum 1086. quo Joannes Moravensis obiit, & inter annum 1090. quo Jaromirus dum per Hungariam ad Romanum Pontificem questum injurias proficisceretur, apud Strigonium decessit.

b Vide Cosmam Pragensem ad ann. 1086.

c Iterum dormitat Senensis Æneas Silvius. Nam Alexander III. Papa Senensis non ante annum 1159. Pontificatum iniit: Uratislaus autem Bohemiæ Dux, de quo hic sermo, mortuus est anno 1092. xix. Kal. Febr. Itaque pro Alexandro secundo, sub quo eo Capella erecta, uti ex Cosma Pragensi constat, perperam Alexandrum III. obtrudit. Altera est etiam ejusdem Auctoris allucinatio, qui quum in unum fundationem ejus Capellæ, atque Privilegiorum augmentum confudisset, id sub Alexandro Papa factum scripsit, quod neque sub Alex. II. neque sub Greg. VII. contingere potuit; sed sive sub Victore III. qui ab anno 1086. ad 1088. sedit, sive sub Urbano II. ejusdem Victoris successore, qui sedem ab ann. 1088. usque ad 1099. tenuit.

„ quoad vixerat, perpetuum exhibuit, ut se Gerardus quo-
„ que pertinacem fratri exhiberet inimicum. Sed quæ Urati-
„ slao magnitudo animi inerat, risu magis, quam stomacho
„ ejusmodi fratris insolentiam transmittebat, rationem inte-
„ rim tamen dignitatis suæ habens. Nam in altera urbis arce,
„ quam Vicegradensem vocant, Templum omnibus Sacerdota-
„ libus officiis, dignitatibusque & Privilegiis æque insigne in-
„ stituit, atque erat illud alterum in arce S. Viti, solo Pontifi-
„ ce excepto, in cujus locum, auctoritate Pontificis Romani,
„ Præpositum substituit, qui dum sacra facerent, non ipse tan-
„ tum, sed etiam cæteri illius administri Pontificalibus infulis
„ ornati incederent. Additus Præposito magistratus, ut Ar-
„ chigrammateum Regni, nunc Cancellarium appellant, age-
„ ret, & cum illo honor principalis, ne in hac quoque parte,
„ multum Pontifice inferior esset. Quoties igitur cumque so-
„ lemnis feriarum dies occurreret, non ad Pontificem, sed
„ ad Præpositum sacrificia peragentem Rex divertebat, hoc-
„ que modo artem fratris arrogantiamque arte sua eludebat.
Ita videntur Æneas Silvius, ac Dubravius existimasse, *Mitram* non Uratislao Duci, sed Canonicis Wissegradensibus a Romano Pontifice concessam. Verum irrefragabilis Gregorii VII. Papæ auctoritas certo certius convincit, *Mitræ* usum ante annum 1073. ab Alexandro II. Papa fuisse concessum Uratislao: quidquid sit de Pontificalibus infulis ab uno ex successoribus ejusdem Gregorii VII. post annum 1086. Uratislao impetrante, Wissegradensis Ecclesiæ ministris traditis.

XXVIII. Causa dissidii inter Jaromirum Pragensem, & Ioannem Olomucensem Episcopos, ex literis S. Gregorii VII. Papæ exponitur.

Sed redeo ad Gregorii VII. epistolas de dissidio inter Jaromirum & Joannem Episcopos exorto. Itaque lib. 1. epist. 17. ad Uratislaum Bohemiæ Ducem, dat. *Laurenti* VIII. *Idus Julii*, *Ind.* XI. hoc est, anno Chr. 1073. agit gratias Pontifex, quod Bernardum & Gregorium legatos suos benigne tractaverit; eosdem autem a Jaromiro, ipsius Ducis fratre, Episcopo Pragensi non liberaliter exceptos queritur. Rogat, ut eum hortetur, obedire legatorum monitis. „ Quia (inquit) ob
„ devotionem & reverentiam BB. Apostolorum Petri & Pauli
„ Principum Apostolorum, Legatos nostros, Bernardum vi-
„ del. & Gregorium, qui ab hac sancta & Apostolica Sede ad
„ vestras partes directi sunt, debitæ caritatis benevolentia su-
„ sce-

„ ſcepiſtis, & eos, ut veſtram condecet magnificentiam hono„ rifice tractaſtis, omnipotenti Deo gratias agimus; proinde „ noſtræ benevolentiæ vobis vicem rependimus. Quoniam „ enim Anteceſsorum noſtrorum negligentia, & Patrum ve„ ſtrorum, qui hoc fieri poſtulaſſe debuiſſent, agente incuria, „ Apoſtolicæ Sedis nuncii ad partes veſtras raro miſſi ſunt, „ quidam veſtrorum hoc quaſi novum aliquid exiſtimantes, „ & non conſiderantes ſententiam Domini dicentis: qui vos „ recipit, me recipit: & qui vos ſpernit, me ſpernit; Lega„ tos noſtros contemptui habent „. Cetera de Jaromiro Epiſcopo, ab illis verbis: „ Frater veſter Joramir Pragenſis Epi„ ſcopus, olim noſter amicus, his noſtris legatis, Bernardo „ ſcil. & Gregorio, ut auditu percepimus, intantum rebellis „ exſtitit „ ſupra ex Baronio ſunt recitata. Ex qua epiſtola conſtat, nullam antea ab Alex. II. Papa legationem ad Bohemos fuiſſe miſſam, neque Jaromirum Romam ſub eo Pontifice ad cauſam dicendam perrexiſſe: alioquin ejus rei veſtigium aliquod in eadem epiſtola exſtaret, aut mentio facta fuiſſet.

Jaromiro, ut ſupra, legatorum Sedis Apoſtolicæ Bernardi & Gregorii ſententia a divinis ſuſpenſo, ſcripſit Gregorius Papa epiſtolam 44. libri 1. *dat. Romæ* 2. *Kal. Febr. Ind.* XII. anno ſcil. 1074. qua ei reſtituit reditus Epiſcopatus, ut omni poſtpoſita mora cum Legatis Uratislai Ducis, & cum Joanne Moravenſi Epiſcopo adverſario ſuo, ſanctorum Apoſtolorum limina adeat. Commemorat, ſe fratri ejus Duci ſcripſiſſe, ut Moravenſem Epiſcopum & ſuos legatos Romam mittat. „ Quamquam inobedientia tua, & culpa, quam in contem„ ptu legatorum S. R. E. perpetraſti, preces tuas, te abſente, „ & nondum parato ſatisfacere, recipi non meruit; tamen, „ ne ex Apoſtolica, licet juſta diſtrictione, abſentationis tuæ „ moram vel occaſionem diutius defendere poſſis, neceſſita„ tem, qua te urgeri in epiſtola tua conqueſtus es, & impedi„ mentum ad nos veniendi removere decrevimus. Itaque „ præſenti auctoritate tibi reſtituimus, & tenenda concedi„ mus, quæcumque a legatis noſtris, Bernardo videlicet & „ Gregorio, præter Epiſcopale officium, tibi interdicta ſunt: „ quoniam te exſpoliatum rebus Eccleſiæ tuæ, inopia rerum

„ ne-

„ necessariarum, obedientiam debitæ satisfactionis non posse „ exequi (sicut supra diximus) conquerendo excusas: atque „ hoc idem fratri tuo Wratislao Duci per epistolam nostram „ notificavimus, admonentes eum, ut de consuetis decimis „ & reditibus Ecclesiæ tuæ nihil in potestate sua tibi denegari „ patiatur aut subtrahi. Admonemus igitur, & ex parte Apo- „ stolorum Petri & Pauli, & nostra per eos Apostolica tibi „ auctoritate præcipimus, ut nullis excusationibus absentiam „ tuam ulterius defendens, in Ramis Palmarum Apostolica „ adire Limina non prætermittas; cognoscens fratrem tuum a „ nobis esse commonitum, ut Joannem Moravensem Episco- „ pum, itidem ad nos venire commoneat, & ex sua parte ta- „ les ad nos nuncios dirigat, quibus in nostra possimus exami- „ natione diffinire dissensionum causas. Interim vero de pos- „ sessionibus Moravensis Episcopatus nihil te tangere volumus „ & præcipimus, ne & ipse aliqua molestiarum excusatione „ præsentiam suam conspectui nostro subtrahat. Præscriptum „ vero terminum adventus tui, tu ipse ita mature fratri tuo „ Duci indicare curato, ut Moravensem Episcopum & suos „ legatos una tecum ad Apostolicam Sedem dirigere possit „. Hoc ipsum in epist.45. ad Uratislaum Ducem Bohemiæ, eodem die & Indictione data scribit. „ Frater tuus Jaromirus Pragen- „ sis Episcopus, conqueritur se exspoliatum Ecclesiæ suæ re- „ bus, inopia rerum necessariarum, pro reddenda ratione „ eorum, quæ sibi intenduntur, ad Apostolicam Sedem veni- „ re non posse „. Monet, ut in integrum ei restituantur quæcumque a Legatis Apostolicæ Sedis Bernardo & Gregorio, præter Episcopale officium, interdicta sunt, & præter ea, pro quibus Joannes Moravensis super eum clamat Episcopus. „ Eo „ autem tempore, inquit, quo ipse Jaromirus sicut per epi- „ stolam nostram commonitus est, Apostolicam sedem adire „ debuerit, te quoque, si fieri posset, præsentem fore, maxi- „ me cuperemus. Quod si rerum aut temporum eventus pro- „ hibuerit, nobilitatem vestram multum admonemus, ut Epi- „ scopum Moravensem præsentiam suam nobis exhibere com- „ moneatis; & præterea de vestris fidelibus tales ad nos nun- „ cios dirigatis, cum quibus rerum veritate solerti indagatio- „ ne perquisita, & undique explorata, favente divina cle-

„ men-

„ mentia, omnes diſſenſionum cauſas abſcindere, & quid-
„ quid æquum fuerit, determinata ſententia ſtatuere va-
„ leamus.

Quum autem Jaromirus & Joannes eodem anno 1074. *in Ramis Palmarum* [ut videtur] hoc eſt, die 13. Aprilis Romam veniſſent, deſignatis a Gregorio Papa tam Olmucenſis, quam Pragenſis diœceſeos terminis, in Bohemiam eodem anno regreſſi ſunt. Quid vero poſt eorum reditum contigerit, apparet ex epiſtola VI. libri ſecundi, ad *Geboardum* ſive Jaromirum *Epiſcopum Pragenſem*, data x. *Kal. Octob. Ind.* XIII. anno 1074. in qua arguit eum de contempta auctoritate Sedis Apoſtolicæ, de mentita fide, de fraudulenta occupatione rerum Epiſcopi Moravenſis, quas reſtitui jubet, & eum Romam cum dicto Epiſcopo per ſeipſos, aut per legatos ſuos ad definiendam cauſam venire: de mendaciis contra Ducem Bohemiæ ſibi ſuggeſtis; demum de excomunicatione in homines ejuſdem Ducis abſque legali judicio lata. „ Venientem te
„ [inquit] hoc anno ad Apoſtolicam Sedem Apoſtolica utentes
„ manſuetudine, multo benignius multoque mitius, quam
„ facta tua mererentur, Te ſuſcepimus atque tractavimus.
„ Sed tu more tuo malum pro bono reddens, contempta
„ noſtra charitate, & Apoſtolica auctoritate, contra interdi-
„ ctum noſtrum de bonis & rebus, unde inter Te & Joannem
„ Epiſcopum Moravenſem lis eſt, Te intromittere auſus es:
„ & (quod valde nobis moleſtum eſt) noſtra conceſſione Te
„ id feciſſe mentitus es. Nos equidem meminimus ſic decre-
„ viſſe, ut Epiſcopus Moravenſis terram & alia, de quibus
„ inter vos diſcordia erat, uſque ad futuram Synodum cum
„ omni pace & quiete tenere deberet. Hoc in literis noſtris
„ fratri tuo Duci expreſſe ſignificavimus. Hoc tu ut nullate-
„ nus impedires, in manum noſtram promittendo firmaſti:
„ ſed ut verbum inde mutaremus, hoc, quum multum inſta-
„ res, neque precibus, neque pretio impetrare potuiſti. Por-
„ ro in noviſſimis, quaſi quaſdam novas querelas ſuper fratre
„ tuo Wratislao Duce quod fraudulenter concludantur, ſed
„ orbem terrarum ad diſcordiam multarum gentium & te fe-
„ ciſſe nunc cognovimus: aſſerens videlicet de quodam caſtro
„ ſancti Venzlai & de Præpoſitura juſtitiam tuam tibi contra-
„ di-

„ dicere. Hoc tantum effecisti, ut eum in epistola nostra „ moneremus, quatenus si se injuriam tibi fecisse cognosceret, pro nostro, imo amore vestro, quod æquum esset, inde faceret. Hac igitur occasione & de nobis mendacium „ finxisti, & nostra decreta subvertisti. Sed quæso, non erubescis, aut non times, quod pro talibus causis non solum „ ordinis tui periculum tibi imminet, sed ex fraterno odio „ nec Christianitatis quidem in te suscepta gratia manet? Præcipimus ergo tibi ex parte B. Petri, & nostra Apostolica „ auctoritate, ut castrum quod tam fraudulenter cepisti, & „ alia omnia quæ in lite sunt, præfato Moravensi Episcopo „ reddas: & Tu ad diffiniendam causam (sicut statutum est) „ aut ipse Romam venias, aut idoneos legatos mittas; atque „ hoc ita tempestive Moravensi Episcopo notifices, quatenus „ & ipse pariter se vel legatos suos ad iter præparare valeat. „ Præterea, sicut nobis relatum est, pacem quæ iter te & fratrem tuum Ducem convenit, multis modis perturbare non „ desinis, præcipue quum suos absque canonica culpa & legali „ judicio excommunicas. Quod quidem Tibi maxime periculosum est: quoniam, sicut B. Gregorius dicit, qui insontes ligat, sibi ipsi potestatem ligandi atque solvendi corrumpit. Unde Te admonemus, ut anathematis gladium „ nunquam subito, neque temere, in aliquem vibrare præsumas, sed culpam uniuscujusque diligenti prius examinatione discutias. Cetera „. Idem ipse Pontifex in epist. 8. libri 2. data, ut supra, ad Joannem Moravensem Episcopum, consolatur de injuriis a Pragensi Episcopo perpessis; & quantum ipse ea re commotus sit, ex nuncio & literarum ad Ducem Bohemiæ missarum exemplis cogniturum asserit. Arguit, quod putarit, se sententiam leviter mutasse. Jubet, ut Apostolica fultus auctoritate omnia bona a Pragensi Episcopo ablata repetat. „ Scimus enim (inquit) quanta fraude Pragensis Episcopus te circumvenit; qui tamen non solum ad tuas, sed, „ de nobis mentiendo & quasi ex nostra concessione rapacitatem suam roborando, ad nostras etiam injurias patenter „ erupit. Qua de re quam graviter commoti simus, vel quid „ inde censuerimus, hic nuncius tuus viva voce tibi indicare „ poterit, & tu ipse in literis quas Duci, & exemplo litera-

„ rum; quas eidem Episcopo misimus, pleniter cognoscere „ potes. Et tu quidem nimis simpliciter egisti, quod nos „ contra decreta nostra surgere, & sententiam nostram tam „ leviter mutare putasti: qui ea omnia, quæ inter te & illum „ in lite sunt, usque ad futuram Synodum, & totius dissensio- „ nis vestræ discussionem, tuis possessionibus decrevisse præ- „ sens intellexeras. Nunc igitur Apostolica auctoritate jussus „ atque suffultus, castrum, & siquæ alia præfatus Episcopus „ tibi abstulit, sine mora repetas. Illum namque admonui- „ mus, firmiterque tibi ea omnia sine contradictione reddere „ præcepimus. Ducem vero rogavimus, ut si Episcopus no- „ bis non obediret, eum de castro expelleret, & restitutis „ tibi omnibus pro amore Dei, bona Ecclesiæ, cui præes, „ Deo adjuvante defenderet „. Sic quippe ad Uratislaum Bohemiæ Ducem in epist. 7. libri 2. dat. x. *Kal. Octob. Ind.* XIII. scribit: „ Pervenit ad nos nuncius vester, qui magnæ devotio- „ nis & fidelitatis vestræ exhibitionem nobis retulit, & quæ „ B. Petro sub nomine Census misistis, videlicet centum „ marchas argenti ad mensuram vestri ponderis, fideliter præ- „ sentavit. Quod quidem gratanter accepimus. *Et post pau-* „ *ca*. De cetero grates vobis habemus, quod obedientes no- „ stris monitis, cum fratre vestro Jeromiro Pragensi Episcopo „ pacem fecistis..... Verum ille indebitam nobis vicem re- „ pendens, mox ut domum reversus est (sicut nos non dubia „ relatione cognovimus) de castro quodam, & aliis rebus, „ unde litem habet cum Joanne Moravensi Episcopo, contra „ interdictum nostrum, & contra sui ipsius in manus nostras „ datam promissionem, etiam de nobis mentiendo, quasi id „ sibi concesserimus, se intromittere ausus est.... Unde & „ tuam nobilitatem ex parte B. Petri & nostra Apostolica „ auctoritate rogamus & præcipiendo monemus, ut nequa- „ quam eum de tanta deceptione ulterius gaudere sinas „, Reliqua.

Quamobrem quum uterque Episcopus Romam iterum perrexisset, definitivam sententiam a Pontifice excepturus, concordia super controversia inter Moravensem & Pragensem dioecesim, eodem Pontifice agente, in concilio mense Martio anno 1075. ambarum partium assensu composita est, edito hu- jusmo-

jusmodi (a) diplomate „ Gregorius Episcopus servus servorum Dei. Quoniam ad memoriam semperque dilucidandam causarum negotiorumque veritatem nihil aptius, nihil durabilius, quam scripturarum paginas æstimamus, qualiter lis & discordia, quæ inter confratres nostros, videlicet Joannem Moravensem Episcopum, & Geboardum Pragensem, de quibusdam decimis & curtibus diu protracta est, tandem per pactionis convenientiam in Apostolica Sede determinata sit, per literas nostras non modo præsentibus, sed & futuris, notum fieri volumus. Hæ enim causæ, quum in secundo nostri Pontificatus anno, residentibus una nobiscum in Basilica Salvatoris multis Fratribus, convocatis etiam & coram positis supradictis Episcopis, ad audientiam nostram & totius ibidem congregati Concilii perlata sit, diu & multum inquisita atque rimata, tanta ambiguitate & perplexionibus involuta videbatur, ut ad sinceram veritatis & justitiæ explorationem per ea, quæ tunc adhibita sunt judicia perduci non posset. Verum, ne illorum altercatio absque pacis interventu diutius aut fraterna odia aut aliqua periculosa hinc vel illinc studia accenderet, cum consilio Fratrum nostrorum causam ita ex æquo dirimi constituimus, ut omnia, de quibus inter eos contentio foret, per medium dividerentur, & hic unam, ille alteram partem interim absque omni inquietudine tenerent, donec si apertiora judicia sive scripto, aut congruis testibus invenire possent, diligentissime investigarent. Ad quod faciendum, ne forte suscitandæ litis infinita alterutri daretur occasio, terminum quoque eis decem annorum præfiximus, ut qui certis approbationibus ad justitiam se pertingere posse confidit, intra prælibatum terminum proclamandi & consequendi jus Ecclesiæ suæ licentiam & potestatem habeat: & si alterum horum, vel utrosque, quod non optamus, interim obire contigerit, successores eorum in eadem pactione & constitutione permanere debeant. Ex ea autem parte qua præfatus terminus aut sub silentio, aut non ostensa veritatis & justitiæ, propter quam clamet, approbatione transductus fuerit, nullus deinceps locus, nulla acclamandi occasio, aut super hac re re-

 „ novan-

a Lib. 2. Epist. 53.

„ novandæ quæstionis licentia supersit. Hoc igitur modo prænominatos Episcopos in nostra præsentia pacificatos, & præscriptæ diffinitioni gratum, ut videatur, adhibentes assensum, ad propria cum Apostolica benedictione & fraterna caritate dimisimus. Hoc ab omnibus inviolatum & perpetuo inconcussum fore Apostolica auctoritate præcipimus atque sancimus. Data Romæ sexto nonas Martii, Indictione decima tertia „. Ut hæc concordia firma inter Olomucensem & Pragensem Episcopos esset & stabilis, scriptis quoque *ad Vvratislaum Bohemorum Ducem literis*, (*a*) *Dat. Romæ* XVIII. *Maji*, *Ind.* XIII. hortatur in hæc verba. „ Fredericus nepos vester, & Romanæ Ecclesiæ fidelis, nos humilibus precibus flagitavit, quatenus tuæ nobilitatis prudentiam rogaremus, ut beneficium, quod sibi pater suus reliquit, eum permittere-tis habere. *Et post pauca*. Præterea monemus, ut studeatis terram vestram, & vestri honoris regimen firmissimæ pacis fœdere undique præmunire, scilicet, ut nullius litis scandalum in tuo regimine versari permittas, præcipue inter te & fratres tuos, & Pragensem & Olomucensem Episcopum.

Ex quibus intelligimus, primo, nihil horum, quæ a scriptoribus Bohemis Dlugosso, Dubravio, Ænea Silvio, & Cosina Pragensi de causa inter Pragensem & Olomucensem Episcopum agitata leguntur, sub Alexandro II. contigisse: Sed illam sub Gregorio VII. inchoatam terminatamque fuisse. Deinde, eandem causam aliter se habuisse, ac ab illis scriptoribus narratur. Illi enim perhibent, Pragensem Episcopum in id operam suam impendisse, ut Olomucensis Ecclesia, dejecto ejus Episcopo Joanne, cum Pragensi conjungeretur: Pragensem insuper, quum Romæ in causa cecidisset, relegatum fuisse in cœnobium, ut privatam vitam degeret; sed Mathildis Comitissæ interventu pristino honori restitutum, jussumque fuisse a Romano Pontifice, ut uterque Præsul sua Diœcesi contentus esset, ac remissis injuriis in patriam reverteretur. At vero ex Epistolis Gregorii Papæ liquet, non de integra Olomucensi Diœcesi, neque de supprimendo eo Episcopatu, Pragensem contendisse, sed tantum de castro quodam, & certis aliis bonis, quæ Pragensis ad suam Ecclesiam pertinere ajebat; defi-

definitumque, non quidem ut Pragensis in cœnobium detruderetur, sed ut omnia illa bona, de quibus inter eos contentio erat, per medium dividerentur; nulla Comitissæ Mathildis facta mentione. Major certe fides Gregorio Papæ viventi ac præsenti causamque definienti fides est adhibenda, quam illis scriptoribus, qui longo post tempore vixerunt scripseruntque.

XXIX. S. Gregorius VII. Papa Bohemis usū Slavicæ linguæ in rebus divinis non concedit.

Antequam Bohemicam Ecclesiam dimittam, duo sunt præterea valde notabilia. Primum scilicet, quod Gregorius Pontifex rogatus ab Uratislao Duce, ut facultatem divina officia sermone Slavonico recitandi concederet, expressis verbis denegavit. Sic enim lib. 7. epist. xv. *ad Uratislaum Bohemorum Ducem, dat. Romæ iv. Nonas Januarii Ind.* III. hoc est, anno 1080. scribit. „ Hujusmodi salutationis nostræ consuetudi„ nem, scilicet Apostolicæ benedictionis, eam tibi mittentes, „ non sine hæsitatione modo servavimus, propterea quod vi„ deris excommunicatis ipse communicare: quicumque enim „ bona Ecclesiarum invadunt, idest, sine certa licentia Epi„ scoporum vel Abbatum diripiunt, vel ab aliqua persona acci„ piunt, non solum ab Apostolica Sede hoc tempore, verum „ etiam a multis sanctis Patribus, sicut in scripturis eorum re„ perimus „. Monet ut Ecclesias ab invasoribus defendat: tum pergit: „ Quia vero nobilitas tua postulavit, quo secun„ dum Sclavonicam linguam apud vos divinum celebrari an„ nueremus officium, scias nos huic petitioni tuæ nequaquam „ posse favere, ex hoc nempe sæpe volventibus liquet, non „ immerito sacram Scripturam omnipotenti Deo placuisse qui„ busdam locis esse occultam, ne, si ad liquidum cunctis pa„ teret, forte vilesceret, & subjaceret despectui, aut prave „ intellecta a mediocribus in errorem induceret. Neque enim „ ad excusationem juvat, quod quidam religiosi viri hoc quod „ simpliciter populus quærit, patienter tulerunt, seu incorre„ ctum dimiserunt; quum primitiva Ecclesia multa dissimula„ verit, quæ a sanctis Patribus, postmodum firmata Christia„ nitate, & religione crescente, subtili examinatione correcta „ sunt. Unde ne id fiat, quod a vestris imprudenter exposci„ tur, auctoritate B. Petri inhibemus, teque ad honorem „ omnipotentis Dei, huic vanæ temeritati viribus totibus resi„ stere

„ ſtere præcipimus „. Demum legatum quem petierat Uratislaus, miſſurum ſe Pontifex promittit: „ De legato autem noſtro, quem mitti ad ſe tua devotio popoſcit, noveris item „ nos preces tuas ad præſens commode efficere minime potuiſ„ ſe: tamen in hoc anno, divina favente clementia, tales „ procurabimus invenire perſonas, quæ & negotiis veſtris va„ leant utiliter deputari, & neceſſitudines veſtras plenius co„ gnoſcentes, ad notitiam noſtram deducere. Ut ergo tute „ poſſimus ad vos legatos noſtros dirigere, neceſſe arbitramur „ & volumus, ut filium noſtrum Fredericum, & hunc Feli„ cem ad nos iterum ſtudeas, aut horum alterum, mittere, „ quatenus ita poſſint quo deſtinabimus ſecure venire „. Inter *Petitiones Bohemorum*, propoſitas in Synodo Baſileenſi anno 1438. menſe Novembri, quas Æneas Silvius cap. 50. refert, Septima hæc fuit: „ Item ſupplicamus, ut ſupra, qua„ tenus ex eiſdem cauſis, veſtræ Paternitates dignentur per„ mittere, ad minus Evangelia, Epiſtolas, & Symbolum in „ Vulgari in Miſſis & Eccleſiis coram populo ad excitandam „ devotionem libertari, legi, & decantari. Nam in noſtro „ linguagio Slavico, ex indulto Eccleſiæ olim ab antiquo in „ Vulgari ſuo exercetur, etiam in noſtro Regno „. *Reſponſio* „ *Patrum hæc eſt*. Ad ſeptimam Petitionem, quod illa eſt de „ directo contra compactata, & ipſorum Bohemorum Promiſ„ ſionem, per quam tenentur ſe conformare Ritibus Eccle„ ſiæ. Certum autem eſt, quod Ritus Eccleſiæ hoc non habet, „ neque in ipſa Pragenſi Eccleſia ante iſta diſturbia hoc fiebat. „ Unde juſtum & rationabile foret, quod conformarent ſe Ri„ tibus Eccleſiæ, & in hoc, & in omnibus aliis compactata ef„ ficaciter adimplerent, & tunc poſſent honeſtius a ſacro Con„ cilio petere, & rationabilius ſperare „. Sed de Slavica lingua alibi erit ſermo.

XXX. Refertur eorum ſententia qui aſſerunt, in Moguntina Schismaticorum Synodo anno 1086 Regiam coronam Uratiſlao Bohemiæ Duci ab Henrico IV. Imp. fuiſſe conceſſam: Olomucen-

Alterum: quod anno 1086. die 29. Aprilis in Conventu Moguntino Dux Bohemiæ Vratislaus, juſſu Henrici III. ſeu IV. Imperatoris, *Rex* appellatus dicitur: & die 16. Junii tam ipſe quam Swatava uxor Regio diademate coronati: & poſt Joannis Moravenſis Epiſcopi obitum, Epiſcopatus Moraviæ cum Pragenſi unitus. Rem geſtam narrat Coſmas Pragenſis in hæc verba. „ Anno Dom. Incarn. 1086. jubente & peragente Romano„ rum

„ rum Imperatore tertio Henrico Augusto, celebrata est Synodus magna in urbe Moguntia: ubi IV. Archiepiscopi, & XII. Præsules, quorum nomina post docebimus, simul cum Abbatibus Monasteriorum & cæteris fidelibus, residentes plurima decreta super statu Sanctæ Ecclesiæ scriptis roboraverunt. In quo Conventu idem Cæsar omnibus sui Regni optimatibus, Ducibus, Marchionibus, Satrapis, Episcopis, assentientibus & collaudantibus, Ducem Bohemorum Wratislaum, tam Bohemiæ, quam Poloniæ præfecit, & imponens capiti ejus manu sua Regalem Circulum, jussit Archiepiscopum Treverensem, nomine Egilbertum, ut eum in Sede sua Metropoli Praga in Regem ungat, & diadema capiti ejus imponat. In eodem Concilio Pragensis Præsul Jaromir scripta suæ antiquæ querimoniæ repræsentat de Moraviense Episcopo Joanne supra memorato. Qui quamvis eodem anno (*a*) jam ab hoc sæculo migrarat, tamen valde præcavens in futurum prædictus Præsul, & agens per amicos, pulsat aures Cæsaris, ne iterum in eodem loco alius subrogetur Episcopus. Replicat coram omnibus Privilegium olim à S. Adalberto Episcopo suo Antecessore, confirmatum à Papa Benedicto, quam à primo Ottone Imperatore. Ad cujus justam querimoniam Imperator motus precibus Ducis Vratislai fratris ejusdem Episcopi Jaromir,& consilio Archiepiscopi Moguntini Wezelonis, & aliorum bonorum, qui justitiæ favebant, novum antiquo fere ejusdem tenoris addit Privilegium, & signo Imperiali confirmat, ut in sequentibus patebit „. Refert deinde Cosmas diploma Henrici III. quo

sem quoque Ecclesiam Pragensi conjunctam.

a Dubravius ineunte lib. 9. in end. conventu, Olmucensem quoque Ecclesiam Pragensi unitam scribit: „ Ibidem in Gerardum quoque fratrem Wratislai beneficium egit, Pontificatum Olomucensem, Joanne tunc mortuo, cum Pragense denuo conjungens, illumque Gerardo conferens, eadem licentia, quam paulo ante in patre (*Henrico*) detestatus, & bello persecutus est, quod Romano Pontifice spreto, Præsules pro sua libidine instituerit „. Confunditur hic a Dubravio Henricus filius, qui ab anno 1105. ad 1125. regnavit, cum patre, qui ab ann. 1056. ad 1105. imperavit.

At vero *Augustinus* decretorum Doctor & Olomucensis atque Brunnensis Ecclesiarum Præpositus, in Catalogo Episcoporum Olomucensium ad Stanislaum Olomucensem Episcopum, pag. 279. scribit, Joannem Moravorum Episcopum obiisse anno Chr. 1086. VII. Kal. Decembris: ac proinde septem circiter mensibus post eum conventum. Augustino suffragatur *Æneas Silvius*. Qui cap. 22. præmissa ad ann. 1086. Regis Vratislai coronatione subdit: „ Mortuus est per idem tempus Johannes Moravorum Episcopus, cujus Ecclesia, instante Gebardo, Pragensi unita est.

quo unio illa confirmatur, consilio, ut dicitur, Archiepiscoporum Vvezlonis Moguntini, Sigevini Coloniensis, Egilberti Treverensis, Liemeri Bremensis, & Episcoporum Liederici Virdunensis, Conradi Trajectensis, Udalrici Eistetensis, Ottonis Ratisbonensis, cum assensu Laicorum, Ducis Bohemorum Uratislai, & fratris ejus Conradi, Ducis Friderici, Ducis Lutoldi, Palatini Comitis Rapotæ: in cujus diplomatis fine legitur; „ Data 3. Kal. Maji, Anno Dom. Incarn. 1086. Ind. IX. „ Anno autem Domini Heinrici, Regni quidem XXXII. Imperii vero III. Signum Domini Heinrici tertii Romanorum Imperatoris Augusti „. Subjungit Cosmas: *Quod ego vidi ipsum Cæsarem suis manibus annotantem in Privilegio Pragensis Episcopatus*. „ Porro in suo diplomate, *narrat Henricus*, qualiter fidelis noster Pragensis Episcopus Gebhardus sæpe confratribus suis & Coepiscopis ceterisque Principibus nostris, ac novissime nobis conquestus est, quod Pragensis Episcopatus, qui ab initio per totum Bohemiæ ac Moraviæ Ducatum unus & integer constitutus, & tam à Papa Benedicto, quam à primo Ottone Imp. sic confirmatus est, postea Antecessorum suorum consensu, sola dominantium potestate subinthronizato intra terminos ejus novo Episcopo, divisus esset & imminutus. Qui quum Moguntiæ coram Legatis Apostolicæ Sedis, præsentibus nobis, ac plerisque Regni nostri optimatibus, eandem querimoniam intulisset... Primitiva illa Parochia cum omni terminorum suorum ambitu, Pragensi Sedi est adjudicata... *Et mox*. Mediantibus itaque nobis, & communi Principum aspirante suffragio, pactum est, ut Dux Bohemiæ Uratislaus & frater ejus Conradus, supradicto Pragensi Episcopo fratri suo Parochiam judiciario ordine requisitam ex integro reprofiterentur & redderent. Proinde nos rogatu ejusdem Episcopi rationabiliter inducti, Pragensis Episcopatus redintegrationem, nostræ Imperialis authoritatis edicto, illi & successoribus ejus confirmamus & stabilimus; inviolabiliter decernentes, ne ulla posthac cujuslibet conditionis persona, vel ulla societas hominum, Pragensi Ecclesiæ quicquam sui juris in prænotatis terminis alienare præsumat „ Quinam fuerint *Legati Apostolicæ Sedis*, coram quibus is conventus Moguntiæ dicitur habitus, sub-

subducta temporis ratione patet: nimirum, ii, qui (*a*) ex parte Pseudo Pontificis Guiberti, vulgo dicti Clementis III., lateri Henrici Augusti, ejusdem Antipapæ fautoris, adhærebant. Itaque à Schismaticis conjunctus cum Pragensi Episcopatus Olomucensis, & Regia corona Vratislao tradita, atque ita tradita, ut simul *Bohemiæ* & *Poloniæ Rex* diceretur, quemadmodum prosequitur idem Cosmas, hac in narratione plus æquo Schismaticorum partibus addictus: „ Eodem anno v.
„ Idus Junii obiit Otto Dux Moraviæ frater Vvratislai Ducis
„ Bohemiæ. Interea Egilbertus Treverensis Archiepiscopus,
„ jussis obtemperans Imperatoris, adveniens Metropolim Pra-
„ gam XVII. Kal. Julii, inter Sacra Missarum solemnia Rega-
„ libus fascibus indutum unxit in Regem Vvratislaum, & im-
„ posuit diadema super caput tam ipsius, quam ejus conjugis
„ Zvatavæ Cyclade Regia amictæ, Clericis & universis Satra-
„ pis acclamantibus: *Vvratislao Regi quam Bohemico, tam*
„ *Polonico, magnifico & pacifico, à Deo coronato, vita, sa-*
„ *lus, & victoria*. Posthæc tertia die Archipræsul secundum
„ regiam magnificentiam immenso pondere auri & argenti di-
„ tatus, & cæteris xeniis ac muneribus donatus, magno cum
„ honore ad propria remeat „. Pagius ad eund. ann. 1086. num XI. recitatis Cosmæ verbis hæc observat: „ Vvratislaum
„ XX. Bohemorum Ducem in hoc Conventu, seu Pseudo Sy-
„ nodo Moguntina, cui Clementis Antipapæ Legatos inter-
„ fuisse testatur Cosmas citatus, hoc anno Regem *Bohemiæ*
„ & *Poloniæ* coronatum, Regiamque dignitatem, quæ ab
„ excessu Svatopluci seu Sphentopulcri in Moravia regnantis
„ suppressa fuerat, restitutam, docent etiam Æneas Silvius
„ (*b*) in Hist. Bohem. cap. 22. & Dubravius lib. 9. Hoc tem-

a In ea, quæ vocatur *Apologia Henrici IV. Imp.* auctor Schismaticus, Legatorum Antipapæ Guiberti nomina recenset: *Legati*, inquiens, *Sacros. Sedis Apostolicæ*, *Petrus scil. Episcopus Portuensis Ecclesiæ*, *& duo Cardinales Romanæ Ecclesiæ*. Sed mentitur: nam Bertholdus Constantiensis non *Petrum*, sed *Joannem Portuensem* vocat, his verbis de concilio Quintilinburgensi ab Orthodoxis adversus Schismaticos celebrato. „ In fine Synodi, sententia anathematis cum ardentibus candelis promulgata
„ est in Guibertum hæresiarcham, sedis Apostolicæ pervasorem, & in Apostatas san-
„ cti Petri, Hugonem Albanensem, Joannem Portuensem ex Episcopos, Petrum ex-
„ Cancellarium.

b Æneæ Sylvii verba accipe: Posthæc anno 1086. ab ortu Salvatoris Christi apud Maguntiam in Concilio Principum ab Imp. Henrico ejus nominis IV. Uratislaus Rex decla-

„ pore Bohemi nihil in Polonia possidebant, ut videre est apud „ Cromerum in Hist. Polonorum. Sed Pessina in Marte Mo„ ravico lib. 3. cap. 2. existimat, *Poloniæ* nomine intelligen„ dam *Silesiam*, Poloniæ partem. Addit, ab hoc tempore „ Reges Bohemiæ, dum Comitiis Imperii intersunt, proxi„ mum ab Imp. locum obtinere, sicut & in aliis publicis actibus „ juxta Auream Bullam cap. 22. & successores Vratislai tam „ fratres, quam filios, *Ducis* tantum, nomen tulisse; quod „ Æneas Silvius suspicatur accidisse, quod *Imperatoris Ro„ mani* indultum sumendæ coronæ more majorum obtinere „ non valuerunt. Friderici tamen Ænobarbi tempore, Bohe„ miæ Principes Reges iterum appellati, & titulus ille ad po„ steros propagatus.

XXXI. Observationes in Moguntinam Schismaticorum Synodum.

Quidquid tamen sit de Regia Corona Wratislao Bohemorum Duci ab Henrico hujus nominis Tertio (qui ab aliis Quartus dicitur) in Conventu Moguntino concessa; certum est primo,

---

declaratur, Moravorum Regno (quod supra extinctum diximus) in Bohemiam translato: Polonia, Slesia, Lusacia, Moravia, Bohemorum imperio adjectæ. Gilbertus Trevirorum Archiep. cum eo Pragam missus, qui coram provincialibus Regem inungat, regalibusque adornet insignibus. Id eodem anno factum, acclamante populo, Uratislao Regi salus, honor, atque victoria. Svatava quoque Regina cum eo coronata. Mortuus est per idem tempus Johannes Moravorum Episc. cujus Ecclesia, instante Gebardo, Pragensi unita est. Idem Auctor cap. 23. & 24. subjungit de Uratislai successoribus: „ Nam Conradum, fratrem ejus, ac deinde Uratislai fi„ lios (Bisetislaum, Boleslaum, & Borzivislaum) non Regis nomine, sed Ducis tan„ tum usos, tamquam Regni decus homini, non provinciæ datum fuisset. Uladislaum „ vero quarto loco Uratislao natum (eundemque Bohemiæ Ducem XXV.) a Fride„ rico primo, sibi & posteris Regiam dignitatem obtinuisse, & quum in expugnatio„ ne Mediolanensi egregiam operam navasset, Imperatori mirifice gratum, leonem „ rubeum bifurcatæ caudæ in clypeo albi coloris, insigne Regium accepisse „. Mox cap. 25. de quinque aliis Bohemiæ post hunc Uladislaum Ducibus, idest Sobieslao XXVI., Friderico XXVII., Conrado XXVIII., Bizetislao XXIX., atque Venceslao XXX. „ Hos quoque (inquit) Regis nomine abstinuisse constat, sive quia „ magis vi, quam jure imperaverunt; sive quod Imperatoris Romani indultum sumen„ dæ coronæ, more majorum, obtinere non valuerunt „. Quamobrem in sequentibus capitibus XXVI. ad XXXIV. *Primislaum* trigesimum Bohemorum Ducem, vocat *Regem tertium*: *Venceslaum* XXXI. Ducem, *Regem quartum*: *Othocarum Regem quintum*; *Venceslaum*, Regem *sextum*: *Venceslaum* hujus filium, Regem *septimum*: *Rodolfum* Regem *octavum*: *Henricum* Regem *nonum*: *Johannem* Regem *decimum*: *Carolum* Regem *undecimum*, eundemque in Imperatorem electum, dictumque Carolum quartum: demum *Venceslaum* Caroli filium, *Regem Bohemiæ duodecimum*. Ac proinde juxta Æneam Silvium, *primus Bohemiæ Rex* Uratislaus inter Duces vigesimus, & *secundus Bohemiæ Rex* Uladislaus inter Duces vigesimus quintus. Sed de hac Bohemiæ Ducum Regumque Chronologia, vide meam Adnotationem ad numerum XXXIV. Ubi de Uladislao per Fridericum Imperatorem *Regia Corona* insignito anno Christi 1158.

mo, Moguntinum illum Conventum non anno 1086. sed anno 1085. fuisse a Schismaticis celebratum: Item certum est, nullam in eo conventu, juxta antiquos Rer. Germanicarum Scriptores, aut concessæ Bohemorum Duci Coronæ, aut conjunctæ cum Pragensi Olomucensis Ecclesiæ mentionem factam fuisse. Sigebertus Gemblacensis: „ Anno 1085. Henricus Imperator Moguntiæ regali & synodali Conventu coacto, exigit ab omnibus, ut Hildebrandi depositionem, & Guiberti ordinationem sub scripto approbent: cui aliqui manu & ore faventes, corde tamen Hildebrando adhærebant „. Dodechinus Abbas in Appendice ad Mariani Scoti Chronicon: „ Anno 1085. Synodus Moguntiæ apud Sanctum Albanum, jussu Henrici habetur: cui ipse cum Legatis Vigberti, qui & Clemens, interfuit, cui omnes obedire contra Gregorium potentialiter compulit. Vvizelo ipsius Civitatis Episcopus hanc Synodum regebat, qui Hildebrandi aut Gregorii (*a*) pronunciabat „. Bertholdus Constantiensis in Append. ad Hermannum Contractum ad ann. 1085. narrat primo, Conventum habitum in *Berbac* (*b*) loco in Thuringia posito, communi partium consensu, seu Henricianorum & Catholicorum, ut

a Deest aliquid. In ea enim Pseudosynodo, impia Gregorii Papæ depositio, & sacrilega Clementis Antipapæ intrusio approbata fuit.

b *Berbac* apud Bertholdum: Berchach, apud Conrad. Urspergensem. Schismaticus Auctor Apologiæ Henrici IV. Imp. in libello qui inscribitur: „ De unitate Ecclesiæ conservanda, & schismate quod fuit inter Henricum IV. Imp. Rom. & Greg. VII. Pont. Max. „. Tom. Rer. Germanicar. è Biblioth. Marquardi Freheri, Franconofurti ann. 1600. pag. 156. „ Fercanueatus in loco qui dicitur Gurflungun, XIII. Kal. Febr. anno scil. 1085. ab Incatn. Dnmini „. Ubi disputatio describitur ab homine schismatico inter Gebehardum Saltzburgen. & inter Chuonradum Trajecten. & Vvezelinum Moguntinum. De Synodo autem Moguntina hæc habet pag. 197. „ Deinde indicta est Synodus apud Moguntiam, secuoda hebdomada post Pascha, secundum Constitutionem Sedis Apostolicæ: ubi convenerunt cum Imperatore Legati ipsius Sacrosanctæ Sedis Apostolicæ, Petrus scilicet Episc. Portuen. Ecclesiæ, & duo Cardinales Romana Ecclesiæ. Præsidebant quoque huic Synodo Vvezelinus Moguntinæ Ecclesiæ Archiepiscopus, & Eilbertus Treviren. Archiepisc. & Sigevinus Colonico. Archiep. Liematus autem Bremen. Archiep. quia non poterat adesse, miserat illuc Legatos suos, sua vice, promittens, se ad omnia consensurum quæ pertinent ad Fidem Catholicam, & ad pacem atque unitatem Ecclesiæ. Reliqui vero Episcopi, qui illic tum fuerunt, hi sunt, quorum nomina subscripta sunt. Thiedericus Viridumen. Ecclesiæ Episc., Henricus Episcopus Leodiæ, Chunradus Episc. Trajecten. Ecclesiæ, Udalricus Eisteten. Eccles. Episc., Meginvvardus Frisingeo. Eccl. Epis., Otto Episc. Ratisbonæ, Ruobertus Episc. Babenburgensis Eccl. Huormannus Spiren. Eccl. Episc., Otto Constantien. Eccl. Episc., Bucardus Episc. de Losanoa, Sigefridus Episc. ex

 „ Augu-

ut Canonum auctoritate probaretur, cui justitia faveret; nam *Vvecilo*, qui anno antecedente in locum Sigefridi defuncti intrusus fuerat Moguntinus Archiepiscopus, partes Henrici Imperatoris absentis; Sanctus vero *Gebebardus* Salisburgensis Archiepiscopus causam Gregorii VII. Papæ defendit. Mox de Synodo *Quintilineburgensi* (loco prope Halberstadium in Saxonia sito) hæc habet: „ Hermannus Rex in Quintilineburg „ Pascha celebravit, ubi & Legatus Domini Apostolici in ipsa „ Paschali hebdomada, generalem Synodum cum Archiepi- „ scopis, Episcopis, & Abbatibus, Sancti Petri fidelibus, „ solemniter celebravit. Interfuit huic Synodo, Gebehardus „ Reverendissimus Juvaviensis Archiepiscopus, item Ven. „ Hartuvigus Magdeburgensis Archiepiscopus cum suis Suf- „ fraganeis. Item Suffraganei Moguntiæ Sedis de Saxonia. „ Nam Wireeburgensis, & Vvormatiensis, Augustensis quo- „ que, & Constantiensis de Alemannia, quique ipsi canonica „ necessitate impediti, venire non potuerunt, per legatio- „ nem suam se sancto Concilio repræsentaverunt, seque per „ omnia ejusdem Synodi statutis assensuros, mandaverunt. „ Rex etiam Hermannus cum suis Principibus eidem Synodo „ interfuit. Quum ergo omnes juxta ordinem suum consedis- „ sent, prolata sunt in medium decreta Sanctorum Patrum, „ de Primatu Sedis Apostolicæ, quod nulli unquam liceat

„ ejus

„ Augusta, Gebehardus Episc. Behemensis de Praga, Udo Hildinsheimen. Ecclesiæ „ Epis. Henricus Poderbrunen. Episc. Erph Episc. Monasterii Fulcmar Min- „ den. Eccles. Episc. Bibo Tullen. Eccles. Episc., quia per se ipsum adesse non „ potuit, per Legatos suos, qui vice sua intererant huic Synodo, consensit & sub- „ scripsit. Burcardus quoque Basileen. Eccl. Episc. & Otto Stratzburgen. Ecclesiæ „ Episc. per Legatus suos consenserunt & subscripserunt, qui propter hostes Eccle- „ siis suis crudeliter nimis imminentes domum dimissi sunt. Et multi simul Presby- „ teri atque Diaconi interfuerant huic Synodo congregatæ in Civitate Moguntia „. Universim, præter Puttuen. Episcopum, *Archiepiscopi* iv. & *Episcopi* xix. è quibus unus Archiepiscopus, & Episcopi tres per Legatos adfuisse dicuntur. Hi partibus Henricianis faventes. Pro Gregorio autem VII. Pontifice stetisse dicuntur Episcopi xv. videlicet, Gebehardus Salzburgen. Archiep., Hartuigus Magdeburgen. Archiep. Adalbero Vvirtziburgen. Episc., Altman Patavien. Adalbertus Vormatien. Burcardus Halberstaten. Vverinherus Merseburgen. Guntherus Citicen. Benno Misinen. Hartuingus Vvirdunen. Herimannus Meten. Reginhardus alter Minden. Vvigult alter Augusten. Gebehardus alter Constantien. Henricus alter Paderburnen.; qui quatuor postremi a Schismatico Scriptore vocantur *per studia partium subintroducti*, nimirum quia eorum Ecclesiæ a Schismaticis erant invasæ. Universim Catholici Episcopi xv. Porro in ea Pseudosynodo nil aliud actum, quam anathema dictum in S. Gregorium Papam, ejusque fautores, & acclamatum Henrico Imperatori & Guiberto Antipapæ.

„ ejus judicium retractare, & de ejus judicio judicare. Quod
„ de totius Synodi publica professione laudatum & confirma-
„ tum est: & hoc utique contra Heinricianos, qui fideles San-
„ cti Petri constringere voluerunt, ut excommunicationem
„ Domini Papæ Gregorii super Heinricum cum illis retracta-
„ re præsumerent. In eadem Synodo ordinatio Vvecilonis,
„ Moguntini invasoris, & Sigefridi Augustensis, & Norberti
„ Curiensis, imo omnes ordinationes & consecrationes Ex-
„ communicatorum, penitus irritæ judicatæ sunt, juxta de-
„ creta Sanctorum Patrum Innocentii, Leonis Primi, Pela-
„ gii, atque ejus Successoris Gregorii Primi. Item secta præ-
„ dicti Vvecilonis ejusque sociorum, sub anathemate damna-
„ ta est, quæ asserit, seculares suis rebus exspoliatos, eccle-
„ siastico non subjacere judicio, nec excommunicari posse pro
„ suis excessibus: quæque excommunicatos, absque recon-
„ ciliatione recipi posse contendit. *Et post Canones aliquot*
„ *ibi constitutos*: In fine Synodi sententia anathematis cum
„ ardentibus candelis promulgata est in Guibertum hæresiar-
„ cham, Sedis Apostolicæ pervasorem, & in Apostatas S. Pe-
„ tri, Hugonem Albanensem, Joannem Portuensem Exepi-
„ scopos, Petrum Excancellarium. Item in Leomarum Bre-
„ mensem, Utonem Hildinesheimensem, Ottonem Constan-
„ tiensem, Burchardum Basileensem, Huzmannum Spiren-
„ sem Exepiscopos. Item in Vvecilonem Moguntinum inva-
„ sorem, Sigefridum Augustensem, Nortbertum Curiensem,
„ in hos, inquam, & in omnes eorum complices, inevitabilis
„ sententia anathematis promulgata est „. Demum de Pseu-
dosynodo illa Moguntina ad eundem annum 1085. Bertholdus
Constantiensis hæc habet. „ Sed hi omnes adversarii Ecclesiæ
„ Dei, (qui nempe modo inter excommunicatos numerati
„ sunt) in *tertia* hebdomada post finitam Synodum (*idest*,
„ *ineunte Majo*) suam Moguntiæ collegerunt non Synodum,
„ sed Conciliabulum: in quo umbratilem sententiam excom-
„ municationis contra fideles Sancti Petri deprompserunt,
„ utpote nequaquam illos excommunicare valentes, sed aper-
„ tissime seipsos a Communione Catholicorum sequestrantes,
„ ut non tantum judicio Sanctæ Ecclesiæ, sed & proprio eo-
„ rum judicio, sicut omnes Hæretici, a Catholicis essent se-
„ parati.

„ parati. Sedes quoque Catholicorum Episcoporum viventium, temeraria cupiditate cæcati, sibi vendicare non timuerunt. *Conradus Abbas Urspergensis*: An. Dom. 1085. Synodus Moguntiæ habetur, cui interfuit Imperator, ubi præsentibus Legatis Romanorum (*idest*, *Guiberti Antipapæ ejusque fautorum*) omnes Episcopi rebelles Imperatori, deponendi judicantur; cæteri vero anathemate, ut videbatur, condemnantur. Ibi etiam communi consensu atque consilio constituta est pax Dei (*nimirum*, *Schisma*, *&* *hæresis Vveciliana atque Guibertina*) non multo post substitutis ab Imp. per Parochias abdicatorum Præsulibus, in locum Adalberonis Meginhardus, conversatione probabilis, literis etiam & ingenio atque facundia nulli pene secundus, Vvirciburgensi Ecclesiæ Præsul ordinatur, dignus qui & alius temporis esset Episcopus. *Et mox*. Eodem anno condicto tam ab inimicis quam ab amicis Imperatoris colloquio, in Thuringia loco qui Berchach dicitur, conveniebant ex utraque parte quicumque sapientissimi de optimatibus judicabantur, canonum authoritate probaturi, cui parti justitia faveret, Imperatore tamen absente: sic enim ipse consensit. Electis igitur satis literatis, & eloquentibus viris, hinc Vvecilone Moguntino, illinc Gebehardo Saltzburgensi Archiepiscopis, disputatio cœpta est. Affirmat Gebehardus, proponente hoc prius Vvecilone, Imperatorem non injusto judicio tam Regno, quam Communione, Apostolici sententia privatum. E contra Vvecil, dominum suum præjudicium non minus a Papa, quam a Principibus passum contendit, dum ipso apud Canusium in satisfactione posito, imo jam a Papa in communionem recepto, alterum super se Regem elevarent. Adjecit etiam idem Moguntinus, quod Imperator diu jam a Saxonia depulsus, & regnandi copia etiam ab illa dissensione, quæ ante Rudolphum facta præscribitur, spoliatus, nec vocari, nec judicari, nec damnari canonice debuisset. Hoc Gebehardus improbare nitens, asserit, neminem per hoc divinis absolutum legibus, si forte sua qualibet re familiari fuerit spoliatus: quanto minus Rex, qui Saxonia, quæ non suum dumtaxat prædium, sed Domini sit Regnum, qui, Daniele, vel ipso Rege Nabuchodonosor „ teste,

„ teste, cuicumque voluerit, dat illud; quum etiam ante „ amissam Saxoniam, prius ab Alexandro, dehinc ab Hilde- „ brando vocatus, satisfacere contempsisset. Sic itaque utrin- „ que parte sua favente atque acclamante discessum est. No- „ tum tamen est, quod eandem sententiam adversarii Impe- „ ratoris tanto insequebantur zelo, ut habito postmodum in „ Quintilengoburg Concilio, ubi Otto Episcopus Ostiensis in- „ terfuit Legatus Hildebrandi Papæ, ipsam nimium ventilan- „ tes, hæresim Vvecilonis, ipsumque hæresiarcham appella- „ rent, contra fidem scil. illum dogmatizasse culpantes, quod „ quandiu quis suis spoliatus sit rebus, divinis non subjaceat „ legibus „. Hæc fusius narrantur ad ann. 1089. a Baronio & a Pagio; ex quibus constat, in illa Moguntina Pseudosynodo ne verbum quidem de Rebus Bohemicis factum fuisse; eandem præterea Pseudosynodum non anno 1086. uti Scriptores Bohemici contendunt, fuisse habitam, multoque minus anno 1087. quemadmodum Cromerus Polonicar. Rerum lib. 5. in Uladislao primo pag. 465. habet his verbis: „ Vvratislaum Bohemorum Principem Henricus Quartus Imperator, de consilii sententia, Moguntiæ, Regem appellaverat, „ anno post Christum natum 1087. eique & posteris ejus Poloniam omnem, in qua uterque ne tantillum quidem habebat, „ quantum vestigio calcare posset, attribuerat „. Pergit de Vvratislai Successoribus: „ Vvratislao, ac deinde Conrado „ item Vvratislai fratre, qui post fratrem Regnum susceperat, intra paucos menses vita defunctis, Prædislaus Vvratislai filius ex Ungaria, ubi justam patris iram fugiens exulabat, revocatus successerat. Neque is tamen, ac neque „ Conradus, neque succedentium post Principum quisquam, „ usque ad Vvladislaum, Regium nomen usurpavit. Itaque, „ sicuti a vero abhorret, *Poloniam* ab Henrico Imp. anno 1086. „ Vvratislao Bohemorum Duci concessam; neque enim Polonia id temporis erat proprio (*a*) suo Duce destituta: ita falsum est, quidquam in eo conciliabulo de Rebus Bohemicis „ agitatum fuisse.

Quare

a Boleslao sive defuncto, sive Regnum abdicante, post patratam S. Stanislai Episcopi cædem, ad Polonici Regni administrationem anno 1081. uti Cromerus refert, a Poloni vocatus fuit Wladislaus ipsius Boleslai frater, rexitque illud usque ad ann. 1102. quo obiit.

XXXII.
Quid sentiendum de Regio nomine a Bohemiæ & Poloniæ Ducibus propria auctoritate usurpato? & primò agitur de Poloniæ Duce, simulque ostenditur, quandonam & a quo Regia ei corona sit delata.

Quare vero similius existimo, in ea rerum perturbatione, quum nempe intruso per Henricum Imp. in Sedem Apostolicam Guiberto Pseudopontifice, Italia simul ac Germania partium studiis, Catholicis scilicet S. Gregorio VII. Pp. faventibus; Schismaticis autem Henricianas partes sectantibus, lacerabatur, eoque potissimum tempore, quo Saxonia aliæque Germaniæ regiones ab eodem Henrico penitus defecerant, *Regium* sibi nomen primo quidem *Poloniæ Ducem Boleslaum* accepisse; deinde Boleslai exemplo, *Bohemorum* quoque *Ducem Vratislaum*. Bohemicos enim scriptores sic Henrico Imperatori acceptum Regium diadema referre, sicuti Rerum Polonicarum scriptores de Ottone tertio scribunt, eum scilicet Coronam Boleslao primo concessisse: nimirum utrosque sine ullo antiquo documento: quum ex genuinis auctoribus certum esse debeat, ante Sancti Gregorii VII. Papæ tempora neque Polonos, neque Bohemos Duces *Regio nomine* fuisse appellatos; eam autem appellationem, quam sibi ipsis, nullo concedente, circa annum 1077. propria auctoritate attribuerant, a successoribus postea intermissam.

Et ad Regnum quidem Poloniæ quod spectat, auctorem habeo Bertholdum Constantiensem, cujus hæc sunt verba in Append. ad Hermann. Contractum: *Anno 1077. Dux Poloniæ se in Regem coronavit*. Erat is *Boleslaus* (*a*) Casimiri filius, de quo Lambertus Schafnaburgensis in chron. „ Anno 1077.
„ Dux Polonorum, qui per multos jam annos Regibus Theu-
„ tonicis tributarius fuerat, cujusque Regnum jam olim virtu-
„ te Theutonicorum subactum, atque in Provinciam reda-
„ ctum fuerat, repente in superbiam elatus, propterea quod
„ Principes Theutonicos cerneret domesticis seditionibus oc-
„ cupatos, nequaquam ad inferenda exteris gentibus arma va-
„ care, Regiam dignitatem, Regiumque nomen sibi usurpa-
„ vit, diadema imposuit, atque ipso die Natalis Domini à
„ XV. Episcopis in Regem est consecratus. Quæ brevi post
„ com-

a Pagius ad ann. 1077. num. 21. vocat eum *Boleslaum III.* sed secundus hujus nominis fuit, non tertius, nam primus Boleslaus, cognomem Chobry, filius Miezislai, primi Christiani Ducis, & pater Miezislai secundi. Secundus autem Boleslaus, de quo hic sermo est, quique S. Stanislaum Cracoviensem Episcopum impie occidit, filius fuit Casimiri ex Monacho & Diacono Ducis, & frater Uladislai, qui post ipsum Dux Poloniam rexit ab anno circiter 1081. ad 1102.

„ comperta, Principes Theutonicos, quibus Reipublicæ dignitas curæ fuit, graviter affecere, sibique invicem succensebant, quod dum intestinis in se, atque in sua viscera odiis sævirent & digladiarentur, potentiam opesque barbarorum in tantum aluissent, ut jam tertio Dux Boëmicus Regnum Theutonicum ferro & igni populabundus peragrasset, & nunc Dux Polonorum in ignominia Regni Theutonici contra leges ac jura majorum, Regium nomen, Regiumque diadema impudens affectasset „. Cromerus in fine libri quarti pag. 462. recte ait. „ jam vero quindecim Episcopos Poloniam, non modo tunc, sed nunquam omnino habuisse, rei evidentia falsum esse convincitur „. Sed idem Cromerus manifeste allucinatur, quando scribit, plus septuaginta annis ante hoc tempus Poloniam Regem habuisse, & quidem Ottonis III. beneficio: Lambertus enim Schafnaburgensis, quæ narrat, videre potuit, & contestem habet omni exceptione majorem, scilicet Gregorium VII. Papam, qui lib. 2. epist. 72. non *Regem*, sed *Ducem Polonum* vocat *Boleslaum*, simulque de paucitate Episcoporum in Polonia queritur. Epistola enim *dat. Romæ* VII. *Kal. Maji*, *Ind.* XIII. hoc est, anno Chr. 1075. sic inscribitur: „ Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei, Boleslao Duci Polonorum, salutem & Apostolicam benedictionem „. Incipit: „ Quoniam honor, qui ministris & dispensatoribus exhibetur, ad reverentiam Dominorum propriam attinere dignoscitur. *Et post pauca*. Illud nobis primo attendendum est, quod Episcopi terræ vestræ non habentes certum Metropolitanæ Sedis locum, nec sub aliquo positi magisterio, huc & illuc pro sua quisque ordinatione vagantes, ultra regulas & decreta Sanctorum Patrum liberi sunt & absoluti. Deinde vero quod inter tantam hominum multitudinem adeo pauci sunt Episcopi, & amplæ singulorum Parochiæ, ut in subjectis plebibus curam Episcopalis officii nullatenus exequi aut rite administrare valeant. Pro his igitur & aliis causis, quas hic scribere omisimus, hos Legatos ad vos direximus, quatenus vobiscum pertractatis negotiis, quæ ad Ecclesiasticam curam & ædificationem corporis Christi (quod est fidelium congregatio) pertinere videntur, quæ emendanda sunt, aut ipsi juxta Sanctorum Pa-

„ trum ſtatuta diffiniant, aut nobis diffinienda referant „ . Epiſtola *Boleslao Duci Polonorum* inſcripta: quo etiam nomine eum Lambertus ad ann. 1073. & 1077. appellat. Quare Polonorum Principes, *Regium titulum* uſque ad eum annum nondum conſecuti erant, licet Rerum Polonicarum hiſtorici (ut inquit Pagius) non ſolum hoc taceant, ſed etiam negant: Cromerus tamen, & cum eo reliqui Auctores Polonici, affirmant ab Ottone III. Imperatore, dum in Poloniam anno Chr. 999. ad venerandum S. Adalberti corpus perrexit, Regiam coronam conceſſam fuiſſe Boleslao primo, Miezislai primi Polonorum Ducum Chriſtiani filio, cognomento Chrobry appellato: Etſi hac de re Chronographi Magdeburgenſis & Hildensheimenſis, qui profectionem Ottonis Auguſti in Poloniam accurate deſcribunt, ne verbum quidem faciunt. Eorum verba quamquam ſupra recitavi, hic tamen ad illuſtrandam veritatem repetere juvat. Sic enim habet Hildensheimenſis ad annum 1000. „ Imperator Otto III. cauſa orationis ad Sanctum Adalbertum Epiſcopum & Martyrem, Quadrageſimæ tempore, Sclaviam („ *id eſt Poloniam*) intravit. Ibique coadunata Synodo, Epiſcopia VII. diſpoſuit, & Gaudentium fratrem B. Adalberti „ in principali urbe Sclavorum *Praga* (*Gneſna*) ordinari fecit Archiepiſcopum, licentia Romani Pontificis, cauſa petitionis Bolizlavonis Boëmiorum (leg. *Polonorum*) Ducis, „ ob amorem potius & honorem ſui venerandi fratris digni „ Pontificis & Martyris. Inde reveniens, Palmarum ſolemnitatem Parthenopoli feſtive peregit „ . Nulla, ut vides, coronæ Boleslao ab Imper. Ottone conceſſæ mentio. Cromerus tamen in Boleslao (*a*) Chrobry pag. 437. ſine ullo antiquo teſte, de Ottone III. ſic ſcribit: „ Acceptus eſt a Boleslao, „ habi-

a Cromerus lib. 3. pag. 441. de Boleslao. „ Chrobry, hoc eſt, Acris appellationem, propter excellentem virtutem & animi magnitudinem a Ruſſis tributam, „ accepit; indeque novam arcem uno a Viſlicia milliario conditam, Chrobetſum „ nuncupavit. Uſus Chabrum Boleslaum pro Chrobro dici obtinuit „ Notabile eſt, quod *Joachimus Cureus* in Annalibus Sileſiæ de Boleslao primo, dicto *Acri*, ſcribit pag. 33. „ Scriptores Poloni (inquit) referunt Ottonem ex voto profectum Gneſnam, ut viſeret ſepulcrum Adalberti, interfecti propter doctrinam a Prutenis, & „ deſcribunt pompam pluſquam Perſicam, qua dicunt exceptum & tractatum fuiſſe „ Cæſarem a ſuo Rege. Iſta procul dubio vanitate veterum hiſtoricorum conficta „ ſunt. Neque enim Otto Imp. potens & felix, ob hanc cauſam tam longum iter in- „ greſ-

,, habitusque unacum suis omnibus plusquam regali magnificentia & liberalitate, & cum aliis amplissimis donis, tum ,, abaco & instrumento mensæ omni aureo & argenteo, quod ,, triduo novum semper promebatur, auleisque & vestibus ,, pretiosis donatus. Volens autem tam splendido hospiti & ,, amico Principi parem referre gratiam, collocutus cum consilio, quod secum in comitatu habebat, Regem eum appellat, sociumque & amicum Romani Imperii, a tributo ,, & omni jurisdictione Imperatorum immunem. Ac diadema suum, Gaudentio Archiepiscopo solemnes ceremonias peragente, ipsi imponit: eumque honorem sempiternum ipsi & posteris ejus in Polonia regnaturis esse jubet. ,, His adjungit hospitale munus: unum de clavis, quibus Christus Dominus & Deus noster cruci affixus esse dicitur, & ,, Lanceam D. Mauritii, quæ in Basilica Cracoviensi, ubi sedes est Episcopi, adhuc visuntur. Vicissim autem brachium ,, Divi Adalberti a novo Rege accepit, quod Romæ in Insula ,, apud Divi Bartholomæi ædem ab eo postea depositum esse ,, fertur. Et quo arctior, firmiorque esset inter ipsos & posteros ipsorum necessitudo, Rixam Hezois Erenfridi Comitis ,, Palatini Rheni filiam, e sorore sua Machtilde susceptam, ,, Miecislao Regis filio, puero duodecimum annum agenti ,, despondet Imperator. Quæ parvula apportata in Poloniam, ,, & a Socru educata, duodecimo demum anno post adulta, ,, adulto Miecislao nupsit. Annus autem, quo hæc acta sunt, ,, & Boleslaus, Rex appellatus est, millesimus primus a Christo servatore nostro nato fuit ,,. Prima Cromeri allucinatio

 in

,, gressus esse putari debet: quum ea ætate nondum in frequenti usu essent illæ peregrinationes, & martyr ille recens parum esset notus Germanis ,,. Utrumque falsum: peregrinationes enim in usu erant, ut quum Adalbertus ipse e Bohemia Romam profectus, voluit Hierosolyma adire, & ad montem Casinum tam ipse, quam alii complures pergebant. Boleslaus quoque (teste Helmoldo in Chron. Slavor. lib. 1. c. 15.) ,, Polonorum Christianissimus Rex, confœderatus cum Ottone III., omnem Slaviam, quæ est ultra odoram tributis subjecit, sed & Russiam & Prussos, a quibus ,, passus est Adalbertus Episc. cujus reliquias tunc Bolizlaus transtulit in Poloniam. Quæ Translatio potuit esse causa, ut Otto Imp. in Poloniam proficisceretur. Pergit Cureus. ,, Deinde neque tunc potuit esse ille fastus & ostentatio purpuræ & auri in ,, Polonia, quum Regnum adhuc esset novum, parum excultum urbibus, atque ideo ,, minime opulentum, ita ut ipsi scriptores non arbitrentur, tunc usum fuisse numismatis aurei vel argentei in Polonia ,,. Cetera vide apud eundem Cureum, qui tamen non negat, Ottonem in Poloniam abiisse, & Regium nomen Boleslao contulisse.

in *anno Chr.* 1001. quo Ottonem IV. in Poloniam profectum, Regio diademate caput Boleslai ornasse tradit: nam eo anno non in Polonia, neque in Germania Otto degebat, sed in Italia, quemadmodum Leo Ostiensis lib. 2. cap. 24. Sigebertus Gemblacensis & alii narrant. Itaque pro anno 1001. reponendus *annus* 1000. quo anno (ut scribit Lambertus Schafnaburgensis) „ Imperator Otto III. ossa Caroli magni, Aquisgrani „ a pluribus eo usque ignorata, invenit. Gaudentius frater „ Adelberti martyris, Pragæ (leg. *Gnesnæ*) Archiepiscopus „ constituitur „. Et Ademarus Monachus in Chronico ad ann. 1000. „ Otto Imp. per somnium monitus est, ut levaret „ corpus Caroli magni Imp. qui Aquis humatus fuerat, sed ve„ tustate obliterante ignorabatur locus certus, ubi quiescebat; „ & peracto triduano jejunio inventus est eo loco, quem per „ visum cognoverat Imperator, sedens in aurea cathedra, in„ tra arcuatam speluncam, infra Basilicam B. Mariæ, corona„ tus corona ex auro & gemmis, tenens Sceptrum & ensem ex „ auro purissimo. *Et post pauca*. Solium ejus aureum Imp. „ Otto direxit Botisclavo (*Bolislao Bohemiæ Duci*) pro Reli„ quiis S. Adalberti martyris. Rex autem Botisclavus, acce„ pto dono, misit Imperatori brachium de corpore ejusdem „ sancti; & Imperator gaudens, illud excepit, & in honore „ S. Adalberti martyris, Basilicam Aquisgrani construxit miri„ ficam, & Ancillarum Dei congregationem ibi disposuit: „ aliud quoque monasterium Romæ construxit in honore ipsius „ martyris „. Otto Augustus, postquam corpus S. Adalberti in Polonia visitavit, ibique a Bolislao brachium S. Adalberti accepit, ex eo quod eidem *Boleslao solium aureum Caroli magni direxit*, Cromerus unacum Polonicis scriptoribus argumentati sunt, Regium titulum unacum Corona ab Ottone fuisse Boleslao concessum: quæ est altera Cromeri allucinatio. Nam *Rex* quidem *Boleslaus* ab Ademaro appellatur; Sed eum sibi ipse titulum usurpavit, non ab Ottone Imp. accepit. *Wippo* Presbyter in vita Chonradi Salici Imperatoris, ad Henricum II. Imperatorem, III. Regem, ejusdem Chonradi filium scripta, anno Chr. 1024. Chonradi primo, hæc habet de Boleslao: „ Eodem anno, quem supra notavimus, Bolislaus Sclavigena, „ Dux Bohemorum, insignia Regalia, & Regium nomen, in „ inju-

„ injuriam Regis Chuonradi, sibi aptavit: cujus temeritatem „ cita mors exinanivit „. De Boleslao Chrobri sermo est, quem anno 1025. mortuum tradit Cromerus pag. 445. „ His „ actis dictisque, summo omnium dolore atque moerore mo„ ritur: & Posnaniæ moderata, quemadmodum vivus præce„ perat, pompa sepelitur, quum annos 25. regnasset, vixis„ set octo & quinquaginta: fuitque is annus post Christum na„ tum millesimus vigesimus quintus: per quod tempus Con„ radus Svevus Henrico Imperatori mortuo à Principibus Ele„ ctoribus successor datus est „. Si igitur Chonradus, qui post S. Henrici I. Imperatoris mortem, die 8. Sept. anno 1024. Rex Germaniæ electus fuit, ægre ferebat, quod Boleslaus Dux Polonorum, ***insignia Regalia & Regium nomen sibi aptaret***: manifeste demonstratur, eam appellationem eaque insignia non ab Ottone III. illum accepisse, sed sibi ipsi propria auctoritate usurpasse: alioquin Chonradus id neque ignorare potuisset, neque Boleslai filium Miziconem tamquam rebellem armis persecutus fuisset: subjungit enim laudatus ***Wippo*** in vita ejusdem Chonradi: „ Filius autem ejus Mizico similiter re„ bellis, fratrem suum Ottonem, quoniam Regis (***Chonradi*** „ ***scilicet***) partibus favebat, in Russiam Provinciam pepulit. „ Qualiter vero ejusdem Miziconis protervitatem, & cujusdam „ Udalrici Ducis Bohemiæ perfidiam Rex Chuonradus postea „ compesceret, in loco suo dicam „: ***anno nempe Chr.*** 1032. ubi hæc de Misicone sive Miecislao, & Chonrado refert: „ Sed „ dum Comes Odo hæc in Burgundia faceret, Cunradus (*a*) „ Imperator in Sclavonia cum armis fuerat. Quid ibi ageret, „ vel qualiter postea Odonem repulisset de Burgundia, con„ sequenter dicam. Supradictus Bolislaus Dux Bolanorum „ mortuus, reliquit duos filios, Misiconem & Ottonem. Mi„ sico dum fratrem suum Ottonem persequeretur, expulerat „ eum in Russiam. Dum ibi aliquantum tempus miserabiliter „ viveret, cœpit rogare gratiam Imperatoris Cunradi, ut ipso „ imperante & juvante, restitueretur patriæ suæ. Quod dum „ Imperator facere vellet, decrevit, ut ipse cum copiis ex una „ parte, ex altera frater Otto Misiconem aggrederentur. . . „ Hunc

a Chonradus Rex Germaniæ electus est 8. Sept. 1024. Imperator autem Romæ coronatus a Papa Joanne XIX. die 26. Martii in festo Paschæ anno 1027.

„ Hunc impetum Misico ferre non valens, fugit in Boëmiam „ ad Udalricum Ducem, cui tunc temporis Imperator iratus „ fuerat. Sed ille ut sic placaret Imperatorem, voluit sibi „ reddere Misiconem: quod pactum sceleratum renuit Cæ- „ sar, dicens, se nolle inimicum emere ab inimico. Otto re- „ stitutus patriæ, & Dux factus a Cæsare, dum post aliquod „ tempus minus caute ageret, a quodam familiari suo clam „ interfectus est. Tunc Misico omnibus modis quærebat gra- „ tiam Imperatricis Giselæ, & reliquorum Principum, ut me- „ reretur redire ad gratiam Imperatoris. Cæsar misericordia „ motus, dedit sibi veniam, & divisa provincia Bolanorum „ in tres partes, Misiconem fecit Tetrarcham. Reliquas duas „ duobus aliis commendavit. Sic imminuta potestate, minor „ facta est temeritas. Defuncto Misicone, Casimirus filius „ ejus fideliter serviebat huc usque Imperatoribus nostris „. Hoc ipsum legere est apud Ottonem Frisingensem lib. 6. Chron. cap. 29. „ Anno ab Incarn. Dom. 1025. defuncto sine filiis „ Henrico, Conradus natione Francus, consilio antecessoris „ sui, cujus tamen dum adhuc viveret, gratia carebat, ab „ omnibus electus. Itaque in primordio Regni ejus, Boleslaus „ Polonorum Dux, qui ab antecessore suo Henrico noviter „ (*a*) subactus fuerat, a Regno dividi, Rexque per se vo- „ cari molitur. Qui non multo post moriens, Misiconem fi- „ lium suum successorem reliquit. Is dum patrem imitari co- „ gitaret, insuperque fratrem suum Ottonem expulisset, Rex „ tam profugum in patriam reducturus, quam de contumace „ regni injuriam vindicaturus, in Poloniam procinctum mo- „ vet. Misico Regis impetum ferre non valens, fractis qui- „ busdam regni insignibus, ad Ulricum Boëmiensium Ducem, „ qui & ipse tunc temporis hostis regni fuerat, fugit. Quem „ quum Ulricus Regi dare, & sic ad gratiam ejus redire vel- „ let, ipse, ut erat serenissimus, eum hoc modo a perfido Du- „ ce recipere noluit. Otto vero libere Ducatu potitus, dia-
„ de-

a Hermann. Contractus ad ann. 1004. „ Henricus Rex Italiam, & Boemiam, & „ Bolizlaum Ducem Slavorum cum tota gente sua subjugavit „. Marianus Scotus ad eund. ann. 1004. idem ipsum iisdem verbis narrat. Conradus Abbas Urspergen. „ Hic „ (Henricus) in Regni sede sublimatus, quum Henricum Marchionem aliosque in „ initio Regni sui sibi resistentes superasset, Italiam, & Boemiam, ac Bolizlaum „ cum omni gente Sclavorum subjugasset &c.

„ dema, quod pater ejus ad ignominiam Regni illicite fecerat, Regi misit, seque per omnia ditioni ejus subjecit. Ipse vero non multo post fraude armigeri sui, vita privatus est. At Misico a Rege exul factus, ad Imperatorem supplex venit, interventuque Reginæ, divisa in tres partes provincia, tertiam partem ipse obtinuit. Exhinc provincia illa Regibus nostris sub tributo servire cognoscitur „. Frisingensi (*a*) adstipulatur, quinimo eum verbatim fere exscribit Gotfridus Viterbiensis, cujus hæc sunt verba Par. XVII. Chron. „ pag. 485. „ In principio Regni sui, Dux Polonorum Boleslaus, quem prædecessor suus Henricus noviter Regno subjecerat, per seipsum Rex vocari intendit, & ab Imperio dividi omnino proponit: qui quum morte propositum prævenisset, Misiconem filium suum, successorem relinquit. Ille dum patrem imitari cogitat, & insuper fratrem suum Othonem a patria expulisset; Rex tam expulsum ejus fratrem in patriam reducturus, quam de contumacia Misiconis se & Regnum vindicaturus, in Poloniam transit. Misico quum non posset resistere, ad Ulricum Boëmorum Ducem, qui etiam tunc hostis Imperatori erat, confugit. Quem quum Ulricus Regi reddere, ac per hoc in gratiam cogitasset redire; Rex eum sub perfidia illius modi recipere contempsit. Misico autem (*b*) accepto a Rege Ducatu Poloniæ, coronam quam pater ejus sibi imponere contra Imperium cogitaverat; Conrado resignavit, seque ditioni suæ supposuit; ipse vero Misico posthæc, a suo armigero occisus est. Ab illo tempore provincia Polonorum, Imperio nostro solvit tributum „. Quid ad hæc testimonia Cromerus? Nimirum in Miezislao Boleslai filio, ea refert ac refellit, sic scribens. „ Nam quod iidem Germanici (*c*) scriptores scribunt, „ & se-

a Otho Frisingen. Chronicon suum usque ad ann. 1146. perduxit: ipse vero anno 1158. obiit. Gotfridus autem Viterbiensis decessit anno 1186. scripsitque Chronicon suum usque ad eum annum: uterque in Rebus Germanicis apprime versatus. Vide Caveum edit. Coloniæ Allobrogum 1720. pag. 582. & 593.

b Deest aliquid, quod ex Frisingensi supplendum est: de Misicone scil. interventu Reginæ in gratiam Conradi recepto, & post Ottonem fratrem, divisam in tres partes provinciam obtinente. Nam Otto, non Misico, ab armigero cæsus fuit. Vide Vvipponem in vita Conradi Imp.

c Citantur a Cromero in margine *Otto Frisingen. Naucler. Tubing. H. Mutius, Bonfinius.*

„ & ſequitur Bonfinius, Boleslaum Regium titulum, imperante adhuc Henrico uſurpantem, tributumque negantem, „ a Conrado multis gravibus præliis ſuperatum & ſubactum eſſe, Meſconemque filium ejus aliquanto poſt eadem molientem ejectum, & fratrem ejus Ottonem, qui a Meſcone pulſus fuerat, reſtitutum: Meſconem vero profugum ad Bohemos, ab Udalrico quidem pene proditum, Conradi vero „ clementiam & magnanimitatem expertum, ejus fidei ſeſe „ commiſiſſe: principatum cum fratre partitum, Regia dignitate ſe abdicaſſe, contentum Principis nomine: Poloniam „ Imperatori tributariam manſiſſe: longe in eo aberraſſe a „ vero videntur. Nam neque Conradus Imperium vivente „ Boleslao (*a*) adeptus eſt: neque Boleslaus præter Mieziſlaum, ſive Meſconem, alium filium habuit: neque diadema „ Regium ille ipſe Boleslaus temere uſurpavit, ſed ab Ottone III. Imp. ultro oblatum accepit, atque poſteris ſuis reliquit: neque Conradus, compluribus aliis externis pariter „ ac civilibus bellis diſtentus, otium ad perſequendos bello „ Polonos habuit: neque vero Polonos Principes cuiquam „ omnino Imperatori Romano unquam tributarios fuiſſe, iſti „ vetuſtioribus & fide dignis teſtimoniis aut argumentis docere poſſunt. Sed quum partem aliquam Poloniæ Germani, „ ut ſuperius meminimus, ſeu per deditionem, ſeu vi cepiſſent, univerſam ſe Poloniam ſubjugaſſe jactarunt. Hoc unus „ aliquis ab aliis auditum, vel ne auditum quidem fortaſſis, „ poſtea literis mandavit, & cæteri ſecuti ſunt „. Hæc Cromerus; quæ tamen leviſſimi, ut arbitror, ſunt ponderis. Nam Vvippo, auctor fide dignus, rerumque geſtarum Synchronus, in vita Conradi ad filium Henricum ſcripta, ea quæ ſunt de uſurpato abjectoque Regio titulo narrata, diſertis verbis tradit. Hermannus inſuper Contractus & Marianus Scotus, expreſſe referunt, ſubjugatam ab Henrico Imp., Conradi proximo deceſſore, Poloniam. Contra Cromerus, qui iſta neget, nullum profert antiquum auctorem. Huc accedit, quod Vvippo-

a At *Regnum Germaniæ* adeptus erat, extremis Boleslai diebus, teſte eodem Cromero, qui poſt narratam Boleslai ad ann. 1025. mortem, ſubdit: „ Per quod „ tempus Conradus Svevus Henrico Imperatori mortuo a Principibus electoribus „ ſucceſſor datus eſt.

ponis, & Frisingensis Ottonis narrationi, quoad divisam Poloniæ provinciam, missamque ad Conradum Imp. Regiam Mesconis, seu Boleslai coronam, fidem conciliant iidem ipsi Polonici scriptores, qui post obitum Mesconis, tradunt, Rixam quidem ejusdem Mesconis viduam, & Casimiri, qui post regnavit, matrem, consilium fugæ suscepisse, & regium fiscum, in quo cum pretiosæ res multæ, tum duo Diademata Regis & Reginæ erant, compilasse, regnoque excedentem, in Saxoniam ad Conradum Imp. se contulisse, cui duas illas Coronas obtulerit: Maslaum vero, qui & Masos dictus est, per id tempus, dominatum inter suos in tractu Plocensi arripuisse, confluenteque ad eum undique magna hominum multitudine, permagna potentia auctum, Masosiæ sive Masoviæ nomen ei oræ, quam dominatu complexus erat, dedisse. Quæ duo argumenta a Polonis Scriptoribus in alienum sensum detorta, quid aliud indicant, nisi illud ipsum, quod a Vvippone & a Frisingensi refertur: nimirum, *Ottonem*, Conradi auxilio, Ducatu Poloniæ libere potitum, *Diadema* quod pater ejus Bolislaus ad ignominiam Regni Germanici illicite fecerat, sibique aptaverat, Conrado Regi misisse, seque ejus ditioni subjecisse; post obitum autem Ottonis, Miezislaum, cum bona Conradi venia, in Poloniam reversum, divisa in tres partes provincia, unam digniorem que obtinuisse, reliquis duabus Masovio, & altera anonymo commendatis. Neque enim in his solum, quæ hactenus persecutus sum, Cromerus aliique Polonicarum Rerum scriptores a vetustioribus & fide dignis auctoribus dissentiunt; sed etiam in eo, quod de Rixa Casimiri matre, & Miezislai conjuge tradunt; eam nimirum ajentes, post mariti obitum, Poloniæ Ducatum aliquandiu administrasse, donec tumultuantibus Polonis, & non ferendum esse viris tam grave & contumeliosum externæ mulieris imperium dictitantibus, eam veritam, ne in tanta licentia & irritatis in se hominum animis, majus aliquod malum in se redundaret, asportatis duabus Regiis Coronis, ad Conradum Imp. confugisse. Atqui *Monachus* Anonymus in ejusdem *Rixæ* seu *Richezæ*, *historico elogio*, in Actis Bollandianis ad XXI. Maji recitato, illam vivente adhuc Mizicone marito e Polonia in Saxoniam fugisse scribit, causamque hanc profert: „ Richeza Re-

„ gina facto inter se & Regem suum conjugem divortio, per „ odium & instigationem cujusdam suæ pellicis, quum ei jam „ peperisset Chatimerum (*Casimirum*) cujus generosa posteritas divitiis & potestate nobiliter insignis permanet usque „ hodie, veste mutata, paucis se fugam clanculo agentem adjuvantibus, utpote fastus ejus intolerabiles simul, & barbaros Slavorum pertæsa ritus, venit ad Imperatorem Conradum in Saxoniam: a quo venerabiliter & ipsa suscepta est, „ & ipse nihilominus gloriosis ipsius xeniis magnifice honorificatus est. Accepit namque ab ipsa duarum, ipsius Regisque sui conjugis, Coronarum insignia „. Postremo, narrata Boleslai, quem Regalia sibi insignia usurpasse diximus, sive morte, sive abdicatione, id quod addit Cromerus de *Vvladislao*, ipsius fratre ac successore „ eum scilicet delatum sibi quidem a Polonis Principatum suscepisse; sed tamen Regem se „ appellari passum non fuisse, vel quod inunctus & coronatus, „ solenni Regum ritu, Pontificis maximi interdicto, non esset; vel quod reversurum aliquando Boleslaum Regnumque repetiturum existimaret; Principis vero & hæredis Regni Poloni nomen sibi sumpsisse „: id, inquam, ipsum, quod Cromerus fatetur, post cædem S. Stanislai ab impio Boleslao Uladislai fratre patratam, Poloniam Reges non habuisse ante seculum XIII. & Uladislaum, Boleslai fratrem, ejusque successorem, *Ducem* tantum dictum fuisse: nonne hoc ipsum significat, quod diximus: Nimirum usurpatum aliquando a Polonis Ducibus Regium nomen, ab aliis, qui in gratiam Imperatorum redierant, fuisse intermissum? nam si ab Ottone III. Regalia insignia accepissent, cur illa a Vvladislao & successoribus fuissent abdicata? Itaque sive Boleslaus Chrobry, primus Ducum Polonorum fuerit, qui Regium sibi nomen usurparit; quemadmodum Cromerus aliique contendunt; sive potius Boleslaus II. Casimiri filius, uti auctores fide digni & coævi affirmant; tantum abest, ut primus vel alter *Regalia insignia* ab Imperatore acceperit; quin imo id Polonorum Ducum factum tamquam temerarium atque Imperio injuriosum, ab Imperatoribus semper habitum fuit, armisque vindicatum.

XXXIII. A veri similitudine abhorrere videtur, Uratislaum

Ad Bohemos redeo. Sicuti Poloniæ Dux Boleslaus anno 1077. Regem se appellavit; ita *Wratislaus* Bohemiæ Dux Re-

Bohemiæ Ducem in conventu Moguntino Regium nomen ab Henrico III. Imp. accepisse Regem proinde a se ipso dictum fuisse, probabilius est.

Regalia insignia sibi ipse attribuit, eo nimirum tempore, quo adversus Henricum III. seu IV. Imperatorem, Germaniæ Principes primo quidem *Rodulphum Svevorum Ducem* anno 1077. *in Conventu Forecheimensi*, *Regem* elegerunt: deinde eodem Rodulpho anno 1080. in acie cæso, *Catholici per Saxoniam* (*a*) *constituti*, anno 1082. *constituerunt super se Regem Hermannnm* Lotharingum, uti Marianus Scotus scribit: duravitque ea Catholicorum adversus Schismaticos Henricianos in Germania factio usque ad ann. 1088. quo Hermannus (*b*) decessit. Dum enim hæc in Germania agerentur, pronum fuit Wratislao Bohemiæ Duci, Regium sibi nomen tribuere; digladiantibus nempe inter se Germaniæ Principibus; si quidem fidem ullam hac in re merentur Bohemici Scriptores, Henricianarum partium studiosi: nam in conciliabulo Moguntino anni 1085. Uratislaum Ducem Regio diademate ab Henrico Imp. donatum fuisse, longe a vero abhorret, tum quia, (si genuinum est ejusdem Henrici diploma, quod Cosmas Pragensis ad annum 1086. refert, *Datum* 3. *Kal. Maji Ind.* IX.) in eo diplomate, (quod certe post collatam Uratislao regiam dignitatem ab ipso Cosma emissum dicitur:) non Rex, uti appellari debuerat, sed Dux tantummodo nominatur, his verbis:
„ cum assensu laicorum, Ducis Boëmorum Vvratislai, & fratris
„ ejus Conradi: *Et paulo inferius*: pactum est, ut Dux Boë-
„ miæ Vvratislaus & frater ejus Conradus supradicto Pragensi
„ Episcopo fratri suo Parochiam judiciario ordine requisitam ex
„ integro reprofiterentur & redderent „. Tum etiam, quia de solo Boëmiæ ac Moraviæ Episcopatu in eodem diplomate agitur: nihil de Regio titulo Ducibus Boëmiæ concesso aut concedendo: quod argumento est, Jaromirum sive Gebeardum

 Episco-

a Chron. Hildensheimense. „ Anno 1082. Ind. IV. Herimannus Regnum invadit, & a Sigefrido Moguntino ordinatur.

b Bertholdus Constantien. in Chron. „ Saxones a fidelitate S. Petri discedentes, „ Heinricum, quem multoties abjuraverant, receperunt. Unde Hermannus Rex „ Catholicus ab eis in Lotharingiam secessit, ibique non multo post viam universæ „ terræ arripuit anno Dom. Incarn. 1088. Regni vero ejus VII. Ind. XII. & in patria „ sua Metis honorifice sepelitur „. Dodechinus in append. ad Mariani Scoti chronicon, mortem *Hermanni* ad ann. 1087. confert. Hildensheimensis autem ad an. 1086. „ Herimannus nomen regium deponit, & ipse mox perit „. Ita & Continuator Lamberti: qui Herimannum ajunt Regnum invasisse, & regio nomine deposito, mox periisse: quia nempe Henriciani erant.

Episcopum Pragensem (quem in eo Conciliabulo interfuisse, auctor Apologiæ Henrici IV. Imperatoris perhibet) de nulla alia re, quam de subjuganda sibi Olomucensi Ecclesia sollicitum, hoc quod toties expetierat, ab Henrico tandem obtinuisse: idque non in illo ipso conciliabulo, uti Cosmas contendit, sed anno sequenti. Nam ostensum est supra, illud conciliabulum *anno* 1085. *Ind.* VIII., *tertia post* (*a*) *Pascha hebdomada*, habitum fuisse: Adeoque, quum anno 1085. Pascha in diem 20. Aprilis inciderit, tertia post Pascha hebdomada, nonnisi a die 4. Maji initium sumserit oportet: At vero Henricianum diploma datum dicitur 3. *Kal. Maji die*, *idest* 29. *Apr.*, *anno Inc.* 1086. *Ind.* IX. de quo diplomate idem Cosmas sic testatur: *quod ego vidi ipsum Cæsarem suis manibus annotantem in Privilegio Pragensis Ecclesiæ*. Idem ipse itaque Cosmas sibi repugnat, dum asserit id diploma in conciliabulo Moguntino ab Henrico datum. Error (*b*) ejus in hoc stat, quod quum de eo conciliabulo notitiam habuerit, quumque genuinum Henrici diploma in Pragensi Ecclesia viderit, dat. scilicet an. 1086. die 29. Apr.; duo illa, quæ duobus consequentibus annis contigerunt, conciliabulum scil. & diploma, in unum perperam conjunxit. Sciens autem Uratislaum inter illas turbas, quibus Germania ab anno 1077. ad 1085. involuta fuit, Regalia sibi insignia, æque ac Boleslaum Poloniæ Ducem, attribuisse, ad Moguntinam pseudosynodum id factum referre maluit, quam, quod revera erat, fateri, a se ipso Regem dictum fuisse.

XXXIV. Uladislaus primus Bohemiæ Ducum a Friderico Imp. Regiam coronam accepit. Quid sit Circulus Aureus?

Ceterum si coronam Regiam Uratislaus ab Henrico Imp. (uti a Cosma confingitur) in tam solenni Principum Germaniæ conventu accepisset; cur id scriptores Germanici tacuissent, & ii præsertim qui Henricianis partibus favebant, quique res in conventu Moguntino gestas accurate descripsere? cur ii, qui Vvra-

a Bertholdus Constantien. ad ann. 1085. *Hermannus Rex* in Quintilineburg Pascha celebravit. ubi & Legatus Domni Apostolici in ipsa Paschali hebdomada generalem synodum solenniter celebravit. *Et mox* de Moguntino conciliabulo: „ Sed hi „ omnes adversarii Ecclesiæ Dei, in tertia hebdomada post finitam Synodum, suam „ Moguntiæ collegerunt.

b Gravior est Dubravii error, qui ineunte libro IX. scribit Moguntinum conventum, in quo Henricus (ut inquit) sua voce Boemiæ Regem Vvratislaum declaravit, *ab Henrico post patris sui mortem* habitum fuisse. Atqui Henricus non nisi anno 1106. decessit; ejus vero filius Henricus junior reprobato Conrado fratre, Rex a patre an. 1099. dictus, in patrem anno, antequam is decessit, nimirum 1105. rebellavit.

Vratislao in Ducatu Boëmiæ succeſſere, Regio titulo abſtinuerunt, uſque ad annum 1158. quo Federicus Ænobarbus Imperator Bohemis illum Ducibus conceſſit? ſic quippe ſcribit Radevicus, Ottonis Friſingenſis continuator lib. 1. cap. 13. „ In „ eadem curia (Ratisbonæ anno 1158. a Friderico Ænobarbo „ Regni VI. Imperii III. habita) Dux Bohemorum Ladezlaus... „ qui nuper in expeditione Polonica (*anno ſcilicet antecedenti*) claruerat, adeo ut ob merita ſua omnibus charus eſſet, „ ab Imperatore ac Imperii primis ex Duce Rex creatur Anno „ ab Incarn. Dom. 1158. Suſcepto itaque Privilegio de uſu diadematis, aliiſque Regni inſignibus, lætus revertitur, & „ ad Italicam expeditionem Rex pariter cum Imperatore, „ faſtu Regali profecturus, accingitur „. *Radevico* Guntherus Poëta Ligurinus, qui eo tempore vivebat, conſentit lib. 6. pag. 72. inquiens:

Hoc quoque Conventu Procerum, Dux ille Bohemus,
Fama Labeslaum quem nominat, ob ſua geſta
Fortiter, & bello nuper ſpectata Polono,
Ex Duce Rex fieri meruit, geſſitque potenti
Sceptra manu, cinxitque novo diademate crines.

Thomas Joannes Peſſina Epiſcopus Samandrienſis & Decanus Eccleſiæ Metropolitanæ Pragenſis in Marte (*a*) Moravico, lib. 3. cap. 5. recitat Privilegium tunc Uladislao Regi creato a Friderico Auguſto conceſſum, ex quo Pagius ad ann. 1158. num. 4. pauca hæc deſcribit: „ Noverit poſteritas, qualiter nos Wla„ dislao Duci Bohemiæ ob inſignia ſervitii & devotionis, tam „ ejus, quam omnium Bohemorum merita, honoris inſigne, „ quo avus, & ceteri ejus progenitores Duces Bohemiæ, be„ neficio Imperialis excellentiæ, cæteris Ducibus præemine„ bant, Circulum videlicet geſtandum conceſſimus, & per „ eum omnibus ſucceſſoribus ſuis in perpetuum decerni„ mus. Dat. Ratiſponæ xv. Kal. Febr. Ind. v. (leg. vi.) „ Anno 1158. Regni noſtri Anno vi. Imperii III. „ Hic Uladislaus, Uladislai filius, Uratislai (*b*) nepos fuit: ex hoc autem

a Pragæ 1677.

b *Uratislaus*, Bretislai XVIII. Ducis filius, ipſe poſt Spitigneum fratrem, Dux Bohemiæ Vigeſimus, filios genuit, *Bretislaum, Borivorium, Uladislaum, & Sobieslaum* Obiit anno 1092. Diademate regio primus (ut ajunt Bohemici ſcriptores) ab Henrico IV.

tem quod ait Fridericus in suo diplomate ,, honoris insigne , ,, quo Avus , & ceteri ejus progenitores Duces Bohemiæ , be- ,, neficio Imperialis excellentiæ,ceterisDucibus præeminebant: ex hoc, inquam , Pagius , confirmari ait scriptorum Bohemicorum sententiam ,, De Regio Titulo , quem Wratislao Bohe- ,, miæ Duci anno 1086. Henricus III. Imperator (ut supra di- ,, xi) concessisse dicitur ; sic scribens ad ann. 1158. num. 4. ,, Uratislaus Bohemiæ Dux seculo superiori ab Henrico Imp. ,, Bohemiæ Rex dictus fuerat , & hanc dignitatem Fridericus ,, Imp. hoc anno Uladislao restituit ,,. De *Circulo* vero , quem ,, Fridericus *Uladislao* gestandum concessit , hæc subjungit . ,, ,, Circulum autem aureum Regibus absque corona tribui , ,, ostendunt exempla a Ducangio recitata in voce , Circulus ,, Aureus ,, . Atqui Cangius circulum quidem illum tam *Patriciatus* , quam *Regii honoris insigne* fuisse , productis exemplis demonstrat . ,, Circulus Aureus (inquit) coronæ simpli- ,, cioris species , quæ Patriciatus insigne erat apud Romanos ,, sub Imperatoribus Occidentalibus . Leo Ostiensis lib. 2. ,, cap. 79. Eidem (*a*) Henrico IV. Patriciatus honorem Ro- ,, mani

cc IV. Imp. donatus ; ejus tamen successores , 1. *Conradus* , Wratislai frater . 2. *Bratislaus* ipsius Wratislai f. 3. *Borivorius* , item Vvratislai f. 4. *Svatoplucus* Ottonis Zmoymæ Domini f. 5. *Uladislaus* , item Vvratislai f. 6. *Sobieslaus* , item Uratislai f. ; ejus , inquam , sex memorati successores annis 60. dicuntur solo Principis titulo , Regia dignitate neglecta , usi . *Inveni in historia Bohemorum* (inquit Æneas Silvius cap. 24.) *post Vvratislaum , primum Regem , pluribus annis Interregnum fuisse* . Idem tamen Auctor fallitur , dum post Vvratislaum , Duces Bohemicos memorat *Conradum XXI. Bizetislaum XXII. Boleslaum XXIII. Borzivislaum XXIV. & Uladislaum XXV.* cui delatum ait a Friderico Imp. *Regium* diadema , sic scribens : ,, Nam ,, Conradum fratrem ejus (*Vvratislai*) ac deinde Vvratislai filios , non Regis nomi- ,, ne , sed Ducis tantum usos , tamquam Regni decus homini , non provinciæ da- ,, tum fuisset . Uladislaum vero , quarto loco Vvratislao natum , a Friderico primo , ,, sibi & posteris regiam dignitatem obtinuisse , & quum in expugnatione Mediola- ,, nensi egregiam operam navasset , Imperatori mirifice gratum , Leonem rubeum ,, bifurcatæ caudæ in clypeo Albi coloris insigne Regium accepisse . &c. ,, Fallitur inquam , dupliciter : primo nimirum , quum post Uratislaum Duces nominat , *Conradum , Bizetislaum , Boleslaum , Borzivislaum* , quum ii fuerint *Conradus , Bretislaus , Borivorius , Svatoplucus , Uladislaus , & Sobieslaus* : Deinde , quum *Uladislaum* , cui Fridericus Regaliæ insignia anno 1158. dedit , filium *Uratislai* facit , & quinto post Uratislaum loco inter Duces nominat . Atqui *Uladislaus* Uratislai filius , quintus quidem post Uratislaum patrem Dux fuit ; sed ab illo Uladislao diversus , qui Regium titulum a Friderico accepit : hic quippe filius Uladislai fuit , & Uratislai nepos ; ille , Uladislai hujus pater , qui ab anno 1109. Ducatum Bohemiæ , defuncto Svatopluco , tenuit , usque ad ann. 1125. quo anno 2. Idus Apr. decessit , teste Cosma Pragensi .

a Fuit Henricus II. hujus nominis Imperator , III. Rex Germaniæ .

„ mani contribuunt, eumque præter Imperialem coronam, „ Aureo Circulo uti decernunt „. Petrus Diaconus lib. 4. Chr. „ Casinen. cap. 119. de Lothario Imp. Ipse vero in civitate „ (*a*) Coronam Circuli Patricialis accepturus remansit. Acer- „ bus Morena in Histor. Rer. Laudensium pag. 117. de Fride- „ rico I. Imp. „ Sequenti igitur proximo die Dominico prædi- „ ctus Papa Paschalis (*b*) cum suis Cardinalibus in ipsa Eccle- „ sia S. Petri Missam honorifice & cum magno gaudio celebra- „ vit, ipsoque die in capite Imperatori Circulum Aureum tan- „ tummodo imposuit. Sequenti vero die Martis, in quo fuit „ festum S. Petri ad Vincula, prædictus Dominus Papa Pa- „ schalis Dom. Federicum Imperatorem, & Serenissimam Au- „ gustam Beatricem conjugem suam, ex coronis auro purissi- „ mo & multis pretiosissimis gemmis decoratis ornavit in ipsa „ Ecclesia S. Petri „. Circulum etiam, non Coronam, Re- „ gibus tribuit Chronicon Montis-Sereni anno 1134. „ Impera- „ tor (*Lotharius scil.*) celebrat Pascha Halverstat, ubi qui- „ dam de Principibus Danorum, Magnus nomine, hominium „ ei faciens, Regnum Daniæ ab ipso suscepit, & postquam „ præstitit juramentum Imperatori ad Ecclesiam procedenti, „ Circulo decoratus Aureo, gladium præportavit „. An- „ no 1152. de FridericoImp. „ Qui proximum Pentecoste Mer- „ seburg celebrans, Sveno Regi Daciæ Circulum Regium con- „ cessit. *Et an.* 1158. Dux Bohemiæ concesso sibi ab Imperatore „ Circulo, nominatur „. Hæc Cangius. Verùm, quidquid sit *de Circulo Patriciatus*, quem a Romanis Henricus II. & Lotharius Imp. necnon Fridericus I. ante Imperialem coronam accepisse perhibentur; certe Uladislaum Bohemiæ Ducem a Friderico *Regia corona Regioque titulo* ornatum fuisse, tradunt quotquot res Friderici gestas describunt. Sic Conradus Abbas Urspergensis, postquam *Fridericum ab Hadriano PP. consensu totius Cleri cum diademate regio Imperialem benedictionem in*

a In civitate S. Germani, quæ est ad radices Montis Casini.

b Non *Paschalis*, sed *Hadrianus IV.* Papa, Fridericum I. Imp Romæ coronavit, ut fuse Baron. ex Ottone Frisingen. lib. 2. cap. 22. & ex Cod. MSS. Bibliothecæ Vaticanæ ad ann. 1155. num 17. ubi Imperii coronam ab Hadriano PP. accepisse dicitur Fridericus „ An. Regni sui iv. mense Junio, xiv. Kal. Julii, idest die 18. Junii. Sabbato, ut idem Fridericus in Epist. ad Ottonem scribit: „ Missa celebrata ad Al- „ tare SS. Apostolor. Petri & Pauli in honore S. Mariæ V. quia Sabbatum erat, be- „ nedictionem coronæ Romani Imperii largiter super caput nostrum effudit.

in Ecclesia S. Petri accepisse narrasset, pergens ad alia ejusdem Imperatoris gesta describenda, subjungit: „ Eodem tempore „ Ducem Boëmorum Regio decoravit nomine & dignita„ te, Regium sibi conferens diadema „. *Et post pauca de primo adversus Mediolanenses suscepto bello loquens*: „ Quam„ obrem (inquit) Imperator cum ingenti exercitu Italicas ap„ petiit oras. Cui prævius fuit Boëmorum Rex acerrimus, ab Im„ peratore eodem in Regiam dignitatem primo sublimatus „. Auctor *Fasciculi temporum*, *Vvernerus Rollewinckius*, in Friderico I. Imp. *Boëmia fit Regnum: antea Ducatus fuit*. H. Mutius in Chron. Germaniæ lib. 18. „ Huic Imperatori (*Friderico*) „ quantum debeat Germania, prædicari satis non potest. Statim „ post acceptam (*Regni Germanici*) coronam, Mersburgi, „ Danorum Rex Regiam coronam de manu Cæsaris accepit, & „ Imperio juravit se futurum fidelem „. Ubi de *Regia Corona* exponunt, quod alii de *Circulo Aureo* dicunt.

XXXV. Cosmas Pragæ & Andreas Olomucii Antistites anno 1091. Electi post obitum Jaromiri & Joannis, & anno 1094. consecrati a Rothardo Episcopo Moguntino.

Denique non prætermittendum censeo, quod Vvratislaus Boëmiæ Dux unionem Moravensis Ecclesiæ cum Pragensi (quam in conciliabulo Moguntino factam dicunt) adeo non probavit, ut in locum demortui Joannis Episcopi, Capellanum suum Vveclonem Episcopum Moraviæ summiserit. Rem gestam narrat Cosmas Pragensis ad ann. 1090. his verbis: „ An„ tiquus ille chelydrus humani generis inimicus, qui nunquam „ dormitat, sed semper quietos inquietat, non tulit ulterius „ pacatos vivere fratres, scilicet Vvratislaum, & Præsulem „ Jaromir. Hunc vexat vana gloria & ambitione; illum exa„ gitat arrogantia & tumido fastu superbiæ; ita tamen, ut nec „ ille huic cederet, nec hic illum exsuperare quiret. Iste „ non vult fratrem sibi habere parem: ille non vult minor fratre „ haberi. Iste vult præesse, ille non vult subesse. Iste vult „ quasi Rex dominari & præcellere; ille non vult jussis suis „ obtemperare, sed soli Imperatori profitetur suum servitium, „ a quo (*a*) acceperat Episcopium. Qui in tantum virili ani„ mositate inter se aliquando diffidebant, ut sæpe festis die„ bus Rex Episcopum non haberet, qui sibi coronam impo„ ne-

a Cosmas ubique Henricianum se se demonstrat, non modo quoad Investituras ab Imperatore Henrico III. Episcopis concessas, sed etiam quoad Guibertum seu Clementem III. Antipapam, cujus ipse Cosmas partibus se favere profitetur.

„ neret. Hac necessitate simul & ambitione Rex compulsus, „ non ratione sed sola dominatione, iterum subinthronizat Ca„ pellanum suum Vveclonem (a) in territorio Moraviensi Epi„ scopum. Quo in pacto palam fecit notabile, non solum se „ spreviſſe, quod ipse coram Imperatore & ejus Episcopis col„ laudaverat, ut unus foret uterque Episcopatus, verum etiam „ Papæ (b) Clementis violaſſe Privilegium, quo ejusdem „ terminos Episcopii corroboraverat. Hanc ut applorarer „ Apostolico illatam Ecclesiæ injustitiam, Præsul Jaromir itu„ rus erat Romam; sed consilio cum suis familiaribus inito, prius „ adiit antiquum amicum Uladislaum Regem Pannonicum, „ & patefaciens ei suæ Ecclesiæ damnum, postulat ab eo ad „ Romanum iter auxilium: inscius heu fatum sibi jam superes„ se propinquum. Nam prima die, qua Regem adiit, nimiam „ corporis incidit molestiam. Et quia prope urbem erat Stri„ gonium, illuc mittit eum Rex navigio, committens curam „ ejus, illius urbis Episcopo. Pertulit heu quales sex lucibus „ ipse dolores, impedior lacrymis, nec poſſum promere ver„ bis. Septima die jam advesperascente, sol Julii senas (c) „ qua tangit luce calendas, gemma Sacerdotum cunctorum, „ lux Boëmorum, dogmate præclarus, pius Antistes Gebe„ hardus, vivat ut in Christo, mundo migravit ab isto. *Et* „ *mox*. Post cujus obitum Anno Dom. Incarn. 1091. 3. Nonas „ Martii, Cosmas electus est in Episcopum tam a Rege Vvra„ tislao, quam omni Clero ac populo Boëmorum, tertio Hen„ rico Imperatore Augusto, sed in Longobardia hisdem tem„ poribus Imperialia tractante negotia. *Et post pauca*. Anno

a Georgius Bartholdus Pontanus *Bohemiæ Piæ* lib. 3. de Episcopis & Archiepiscopis Pragensibus, in Jaromiro septimo Episcopo: „ Quumque Vvratislaus contra „ Pontificium & Cæsareum diploma prætereque scitum Jaromiri aut Gebehardi fra„ tris, quendam suorum Sacellanorum Vvenceslaum Episcopatui Olomucensi præfe„ ciſset, indigne ferens Gebhardus, Strigonii in Ungaria, dum eſset in via Romam„ versus, ut Pontifici sua gravamina proponeret, in Domino obdormivit „. Du„ bravius lib. 9. pag. 66. Ob hanc rem Uratislaus indignatione motus, Vvenceslaum „ quem a sacrificiis habebat, æmulum fratri comparat, qui illum de Pontificatu Olo„ mucensi submoveat „. Venceslaus tamen seu Vvecolo in numero Olomucensium Antistitum non est collocatus, quia nimirum non fuit consecratus.

b Nimirum, Antipapæ Vviberti: quem Cosmas, uti Henricianus, Papam nominat. Quum tamen non Vvibertus Antipapa, sed Papa Georgius VII. causam illam inter Jaromirum Pragensem & Joannem Moravensem definierit, ut supra est ostensum.

c Idest, 6. *Kal. Jul.* sive die 26. Junii anno 1090.

„ eodem, Rege Vvratislao disponente, Cosmas electus est „ ad Pragensem Ecclesiam, & Andreas similiter ad Olomucen- „ sem; scilicet per conductum Palatini Comitis (a) Rapo- „ tæ, veniunt Mantuam, & præsentatur Imperatori Henrico „ Augusto inchoante anno Inc. Dom. 1092. 3. Calend. Janua- „ rii. Secundo autem Nonas ejusdem mensis, mediante præ- „ dicto Comite Rapota, sedens in Palatio Mantuano, Episco- „ porum atque Comitum ordine non modice ex utroque latere „ collocato, & electis jam prædictis Episcopis positis in medio, „ diu tacita pulcer Cæsar pulchra aperuit labia, dicens: Hos „ fratres ad nos misit noster fidelis amicus Vvratislaus Rex „ Boëmicus, ut secundum canonicam & Apostolicam institu- „ tionem, nostra auctoritate, eorum confirmemus electio- „ nem, quam sine vestro consensu noluimus facere diffinitio- „ nem. Et Præsul Monasteriensis, qui hisdem temporibus ve- „ nerat de Hierosolymis, surgit, & appodians se mensæ, in „ qua Baculi Archiepiscopales, atque Reliquiæ sanctorum „ erant positæ, ait: Periculosum est valde a paucis destrui, „ quod multorum sanctione confirmatum est. Multi enim in- „ terfuimus Episcopi, multi & Principes Imperii Romani, at- „ que Apostolicæ Sedis interfuere Legati, quando vestro Pri- „ vilegio confirmastis, ut uterque Episcopatus Pragensis simul „ & Moravensis, sicut fuit ab initio, ita unus & integer per- „ maneat. Ad hæc Cæsar ait: Sine modo, ut quod me meus „ amicus rogat, faciam: de his autem postea tempore in suo „ discutiam. Et statim desponsat eos Anulis ad singulas Eccle- „ sias, dans eis Pastorales Virgas. His ita peractis, jussi sunt „ ambo Episcopi redire Veronam, & expectare ibi, donec „ patratis regalibus negotiis, Palatinus Comes Rapota iterum „ reduceret eos secum in patriam. Interea sinister rumor no- „ stras diverberat aures, Regem Wratislaum (b) xix. Kal. „ Febr. migrasse ad Christum, & ejus fratrem Conradum suc- „ cessisse

a Bertholdus Constantien. de hoc Rapoto ad ann. 1099. sic scribit: „ Rapoto „ Palatinus Comes de Bajoaria, pertinacissimus fautor, imo caput eorum, qui Apo- „ stolicæ sedi & Catholicæ unitati hactenus adversati sunt, diem clausit extremum.

b Vvratislaum anno 1093. obiisse, alii scriptores testantur. Conradus Abbas Ur- spergensis „. Anno Dom. 1093. Fratizlaus Dux Bohemiæ in venatu repente cadens de equo, subitanea morte obiit. Eadem verba apud Dodechinum in Append. ad Mariani Scoti Chronicon anno 1093.

„ cessisse in Principatum. Qui statim cursorem mittit ad Imperatorem: & promittens ei pecuniam, rogat cassari electionem Episcoporum, quorum supra fecimus mentionem. Sed Cæsar magis consulens justitiæ, quam iniquitatis consentiens pecuniæ: Quod feci, inquit, feci, nec possum meum mutare. Tristis abiit Legatus, nomine Vvichin, quia non obtinuit quod petiit ex parte Ducis. Episcopi vero secundum jussa Cæsaris morati sunt Veronæ usque ad initium Quadragesimæ, expectantes reditum & conductum prædicti Comitis Rapotæ. Posthæc advenientes Pragam in ipsa die Palmarum, suscepti a Clero & populo honorifice, & adeunt Ducem Conradum in urbe Boleslai tertia feria ejusdem hebdomadæ. Quos Dux jam mutato animo benigne suscepit, & celebravit cum eis Pascha in urbe Vvissegrad„. Pergit enarrans *Conradum Ducem*, post VII. menses & dies XVII., eodem anno 1092. quo Ducatum suscepit, 8. *Id. Septem.* eum cum vita amisisse: cui quum *Brecislaus* Uratislai f. successisset, a Cosma electo Pragensi cum clero & magnifica processione in porta civitatis ante templum S. Mariæ illum susceptum fuisse, deductum ad solium, & secundum ritum ejus terræ, ab universis Comitibus & Satrapis XVIII. Kal. Octobris inthronizatum. Additque, eundem Brecislaum an. 1093. sui Ducatus primo, in Poloniam sic invasisse, ut Princeps Poloniæ Vvladislaus præteriti & præsentis anni (*a*) tributum usque ad unum obolum solverit. Mox de electis Episcopis subdit: „ Anno 1094., adhuc Imperatore tertio Henrico ultra montes in Longobardia tractante (*b*) nuptialia negotia, indicta est generalis „ Syno-

a Cujus census hæc summa est (inquit Cosmas) mille marchæ argenti, & 60. auri. Ipse autem Dux Uladislaus dat sacramentum, quod tributum olim Duci Brecislao constitutum, 50. Marchas argenti, & 30. auri, annuatim sibl pro conceesa pace solveret determinato tempore. Id negant Poloni scriptores: quin imo ajunt, quum anno 1093. Bretislaus in Poloniam excurrisset, Boleslanm Ladislai f. unacum Sececho Cracoviensi Palatino anno 1094. Moraviam igni ferroque vastasse. Cromerus ad hæc lib. 5. pag. 465. Hagecum disertim refellit quoad illud tributum, quod dicitur Ladislaus Bretislao solvisse, hominem ridiculum eum appellans, qui nec quomodo nec quando tributum illud ante id tempus Uladislao fuerit impositum, memoret.

b Cosmas, utpote Henricianus, dissimulat enorme Henrici III. factum circa uxorem Praxedem; quæ multis injuriis lacessita, multisque annis ne aufugeret custodita, tandem in Italiam ad Guelphonem Ducem & Mathildim Comitissam aufugit. Lege Berthold. Constantien. in Chron. ad ann. 1093. & 1095. Vide Paginm ad eosdem annos num. 3. & 1.

,, Synodus ab universis Episcopis & Principibus Romani Impe-
,, rii infra mediam Quadragesimam in urbe Moguntina. Ad
,, quam Dux Brecislaus transmittit electos Cosmam & An-
,, dream Episcopos, committens eos & tradens per manus
,, Palatino Comiti jam sæpedicto Rapotæ, rogans, ut eos of-
,, ferat Moguntino Episcopo ordinandos: quo pro eis inter-
,, veniente, & coram Archiepiscopo & universali (*a*) Syno-
,, do testimonium perhibente, quod olim per Imperatorem in
,, urbe Mantua corroborata sit eorum electio, omnibus suf-
,, fraganeis collaudantibus ordinati sunt Cosmas & Andreas
,, Episcopi, IV. Idus Martii ab Archiepiscopo Moguntino,
,, nomine (*b*) Ruthardo. Mor-

---

a Moguntinæ hujus Synodi, præter Cosmam, nemo, quod sciam, alius meminit. Sigebertus ad ann. 1094. ait: ,, In Italia, qui ad Imperatorem ab hostibus ejus
,, se transtulerant, eo ad Galliam (*idest Germaniam*) reverso omnes pene ad hostes
,, ejus rursus transeunt ,,. Quare Henricus hoc anno in G.rmaniam quidem venit, ad Synodum scil. ab ipso indictam, dum in Longobardia degeret, eique fortasse interfuit: in qua Synodo (schismaticorum scilicet) Cosmas & Andreas, die dominica 12. Martii consecrati dicuntur. Unde Pagio ad annum 1094. num. 1. de profectione Germanica Henrici III. disputanti, scrupulus eximitur.

b *Ruthardus Mogunt. Arch.* successit Vvezloni: de quo continuator Lamberti Schafnaburgen. ad ann. 1098. ,, Ruthardus Arch. Mogunt. pro pecunia, quam Ju-
,, dæi interfecti reliquerant, gratiam Regis perdidit, & in Thuringiam secessit,
,, ibique usque ad obitum prædicti Regis rebellis mansit, occasionem habens, quod
,, communicare excommunicato Imperatori nollet ,,. Gotfridus Viterbien. postquam Henricus IV. adversus patrem Henricum III. rebellasset. ,, Tunc Ruthardus Mo-
,, guntinus Archiep. a Sede sua diu per patrem Imperatorem expulsus, filio ejus Hen-
,, rico V. adhæsit, & apud Villam Northusen. Concilio celebrato Imperatorem
,, tamquam Simoniacum condemnavit ,,: anno scil. 1105. Conradus Urspergen. ad eundem anno 1105.,, consilio tamen atque ministerio Ruothardi Moguntini, atque Ge-
,, beardi Constantiensis Episcopi, Responsalium scil. Domini Paschalis Papæ, totam
,, Saxoniam Romanæ Ecclesiæ communioni reconciliavit; Episcopis vero atque Cleri-
,, cis conventum generalem in villam regiam quæ Northusum dicitur, IV. Kal. Junii
,, indixit ,,. Dodechinus ad annum 1105. ,, Ruchardus (leg. Ruthardus) Moguntii-
,, nensis Archiepiscopus, octavo anno postquam discesserat, propriæ sedi restituitur. Nugatur proinde Cosmas, quum ad ann. 1100. Ruthardum scribit, ideo relicta Moguntia in Saxoniam se contulisse, quia Simoniaca hæresi infamatus fuerat. Dicere debuit, quia consortium Henricianorum vitare voluit: quia Antipapæ Clementi seu
,, Guiberto, cujus Rodulphus apud Henricum Apocrisiarius erat, obtemperare
,, noluit ,,. Henricianum & Guibertinum se Cosmas ubique prodit. Dodechinus e contrario veram causam profert, ob quam Ruthardus Ecclesiam suam reliquit.,, Ru-
,, thardus (inquit ad ann. 1098.) Moguntianensis Archiep. Rege excommunicato fave-
,, re nolens, gratiam ejus perdidit, & in Turingiam secedens, per aliquot annos ibidem
,, stetit,,. Et Conradus Abbas Urspergensis ad ann. 1105. ,, His etiam diebus Venerabilis
,, Buothor (leg. Ruothor seu Ruothardus) Archiepiscopus, a Thuringia, qua per an-
,, nos VIII. tyrannicam declinaverat rabiem, præsidio catholicorum Principum de-
,, ductus, maximo nobilis Moguntiæ tripudio, cathedræ suæ restituitur: sicque tam
,, populum, quam clerum, Apostolicæ reconcilians Ecclesiæ ab universis non solum
,, ut pater jam grandævus, sed etiam velut ex mortuis redivivus, omnimodis exco-
,, litur ,,. In catalog. Olomucensium Antistitum *Richardus* appellatur.

Mortuus est Cosmas anno 1098. IV. Idus Decembris: „ Nec mora (inquit Cosmas Pragensis) convocatis primatibus „ terræ, simul & Præpositis Ecclesiæ, Boleslai in urbe, ad „ placitum Ducis, collaudante Clero cuncto Populoque faven- „ te, Hermannus promotione Diaconus, Præpositura Boleslavensi sublimatus, sublimiorem inuitus rogatur ad Episco- „ patus honorem. Facta est autem hæc electio Anno Dom. „ Incarn. 1099. 2. Kal. Martii: & quia eodem anno Imperator „ III. Henricus celebravit Pascha Ratisbonæ, jussus est Dux „ Brecislaus cum electo suo illuc venire. Qui celebrato Pascha „ in urbe Wissegrad, tertia die post octavam Paschæ, venit „ Ratisbonam. Qui quia ante festum caritativa præmiserat „ donaria tam Cæsari, quam ejus Satrapis, quotquot erant „ de ejus amicis in Curia, obviam ei veniunt ad tria fere mil- „ liaria, & ita deducunt eum in Civitatem cum magna hono- „ rificentia. Cujus ad primam petitionem Cæsar confirmat „ Boëmorum electionem, dans Hermanno Anulum & Virgam „ Episcopalem. Item & hoc obtinuit precibus apud Cæsarem, ut „ ejus fratri Boriwoy vexillum daret, & eum Boëmis omnibus „ qui cum eo convenerant assignaret, quo post obitum suum, „ fratrem ejus Boriwoy sublevarent in solium. Eodem anno „ ibidem Dux Brezislaus veniens cum exercitu in Moraviam, „ reædificavit castrum Podivin, & reddit id, sicut antea fue- „ rat, in potestatem Hermanni Episcopi, atque ibidem in „ villa Zluinica Pentecosten celebravit. Deinde accurrens „ Pannonico Regi Colomanno in campo qui dicitur Luczco, „ multa sunt invicem concionati, placitantes ad placitum utra- „ rumque partium: ac inter se mutuatim datis muneribus, „ renovant antiqua amicitiæ & pacis fœdera, & ea sacra- „ mentis confirmant. Ibi Dux Brezislaus suum electum Her- „ mannum Diaconum, committit Seraphim Archiepiscopo or- „ diuandum: qui veniens ad Sedem suam Urbis Strigoniæ, „ tempore quo Sacri Ordines celebrantur, III. Idus Junii „ ordinat eum Presbyterum, & me (a) quamvis indignum, „ ad eundem similiter promovit gradum. *Et post pauca*. An- „ no Dom. Incarn. 1100. Dux Brecislaus quibusdam referen- „ tibus habens compertum pro certo, quod Imperator in Ur- „ be

XXXVI. Cosmæ Pragensi Hermannus anno 1099. suffectus, decessit anno 1122.

a De seipso loquitur Cosmas Pragensis.

„ be Moguntina Pascha celebrare vellet, optimum ratus fore, „ ut illuc suum electum Hermannum mitteret, qui & munera sua Cæsari deferret, & quam expectabat à Magistro suo „ benedictionem acciperet, & committens eum Vvigberto „ qui similiter debuit interesse Cæsaris Palatio, rogat, ut in „ omni suo faveret negotio tempore opportuno. Sed quoniam „ Archipræsul Ruthardus Simoniaca hæresi infamatur, relicta „ Moguntia hisdem diebus morabatur in Saxonia; jubente „ Imperatore, & collaudantibus omnibus Suffraganeis Moguntinæ Ecclesiæ, à Cardinali Ruperto Clementis Papæ „ Apocrisario, qui forte ibi aderat, ordinatus est Hermannus (*a*) in octavis Paschæ, VI. Idus Aprilis. Decessit Anno Dom. Incarn. 1122. XV. Kal. Octob. Dominica jam illucescente die, in festo S. Lamberti Episcopi & Martyris, quum „ sedisset annos 22. menses 6. dies 7. „ Mainardo successore relicto, qui Pragensium decimus Episcopus dicitur.

XXXVII. Notantur quædam Dubravii allucinationes circa Duces & Episcopos Pragenses.

Hactenus Cosmas de Episcopis Pragensibus deque Bohemiæ Ducibus. Cui quidem quoad nomina successionemque adstipulatur Dubravius: non tamen quoad epocham aut res gestas. Nam primo post coronationem Vratislai Ducis & Svatavæ ejus conjugis, & post Olomucensis Episcopatus cum Pragensi conjunctionem (quæ juxta Cosmam anno 1086. contigerunt:) Dubravius lib. 9. ineunte statim subjicit, enarrans Jaromirum seu Gebhardum Episcopum in Regem Fratrem protervia usum fuisse, quam proterviam ut Uratislaus frangeret, ait æmulum Gebhardo objectum Vvissegradensem Præpositum, Privilegiis auctum & Cancellarii Regii Dignitate ornatum: quod factum Cosmas sub Alexandro II. Papa ad annum 1070. confert. Nimirum uterque in eo fallitur, quod *Mitræ usus ab Alexandro Papa concessus Vratislao Duci* (quemadmodum supra ex S. Gregorii VII. Papæ epistola demonstravi) ab illis ceterisque Bohemis ac Polonis scriptoribus perperam detorquetur ad *Regiam Coronam in pseudosynodo illa Moguntina anni* 1086. (verius,

a Cosmas Pragensis ad ann. 1090. de Uratislao Duce: „ Hac necessitate simul & „ ambitione (*Jaromiri Episcopi*) Rex compulsus, non ratione, sed sola dominatio„ ne iterum subinthronizat Capellanum suum in territorio Moraviensi Episcopum „. Qui tamen *Veclo*, seu *Venceslaus*, inter Episcopos Moravenses non recensetur: quia scilicet, anno sequenti 1091. ab eodem Uratislao Duce electus est (loco Veclonis) „ Andreas ad Olomucensem Ecclesiam: Veclo autem præfuit Vissegradensi capellæ „ Privilegiis quasi Episcopalibus auctæ, uti supra dictum est.

rius, 1085.) ab Henrico III. Imp. concessam eidem Uratislao. At graviores sunt Thomæ Jordani Medici errores in Annotationibus ad finem Libri IX. Dubravii, cujus tam de coronatione Uratislai, quam de Vvisegradensis Collegii Privilegiis hæc sunt verba: „ A. Uratislaus primus Bojemiæ Principum ab „ Henrico IV. (Si Aucupem excluseris, alias V.) in Regem „ Bojemiæ evectus Comitiis Moguntiæ celebratis anno 1086. „ XVI. die Junii. B. Henrico qui Leodii obiit in carcere, co- „ ronationem acceptam referunt. quod temporibus magis qua- „ drare videtur, non filio, ut auctor putat. C. Permissu „ Alexandri III. Papæ Uratislaus Collegium Canonicorum in- „ stituit Vvisegradi „. Si anno 1086. ea coronatio facta, dicere debuit, ab Henrico III. Si Aucupem excluseris, alias IV. eodemque ipso, qui postea anno 1106. in carcere Leodii obiit. Item si Collegium Canonicorum ab Uratislao Visegradi institutum, non Alexandri III. sed II. permissu id factum oportuit.

Secundo Dubravius eod. lib. 9. pag. 65. & seq. ante mortem Jaromiri Episcopi (qui secundum Cosmam, anno 1068. inauguratus, decessit 6. Kal. Jul. anno 1090.) narrat, mortuo Henrico Cæsare, Lotharium in Imperio successisse: subjungens, „ Eundem Jaromirum Episcopum, quum frater Uratislaus „ Dux Venceslaum Capellanum suum, æmulum Jaromiro „ comparasset, qui illum de Pontificatu Olomucensi submo- „ veret, quumque idem Jaromirus viribus ad resistendum „ fratri se imparem agnosceret, & ad Cæsarem iter præclu- „ sum esset; quoniam Lotharius omnia jura libertatesque Pon- „ tificias Romano Pontifici restituerat; Romam queribundum „ ire parasse, itinere in Pannoniam deflexo, ut inde mari „ Adriatico in Italiam transiret; sed vix ægrum Strigonium „ attigisse, ibique ex eadem ægritudine vitam finivisse suam „. Atqui Henricus quidem III. alias IV. Leodii (ut modo dicebam) anno 1106. defunctus est; Henricus autem IV. alias V. ipsius filius anno 1125. X. Kal. Jun. diem clausit extremum: Lotharius vero Dux Saxonum, generali consilio Moguntiæ habito, eodem anno 1125. 3. Kal. Sept. electus, & Aquisgrani Idibus Septembris Rex Germaniæ inunctus, anno tandem 1133. Romæ Imperator coronatus est. Itaque non sub Lothario, neque sub Henrico IV. alias V. sed sub eodem Henrico III.

alias

alias IV. anno 1090. obiit Jaromirus, sub quo Episcopus anno 1068. creatus fuerat. Vide, quam inmanis sit Dubravii Anachronismus.

Tertio Dubravius pag. 70. ejusdem libri IX. in enarranda Hermanni Episcopi electione, præterquam quod eam sub Lothario Cæsare factam perperam affirmat: (peracta enim est anno 1099. sub Henrico III. alias IV. uti testis vivus ac præsens Cosmas scribit) in eo etiam nugatur, quod ait, Imperatorem ad tria fere milliaria Bretislao Duci Bohemiæ occurrisse. Verba ejus vanitate plena refero. „Quo quidem tempore Cosmas quo„ que Pragensis Pontifex in adversam valetudinem incidens, „ spiritum suum in manus Domini deposuit. Ei successorem „ Princeps cum Collegio Sacerdotum, Hermannum dedit, „ quem Uratislaus Rex a sacris ministrum habebat, dein Tem„ plo Boleslaviensi eundem præposuerat, unde ad Pragensem „ Cathedram translatus est. Neque multo post Cæsar ap„ petente festo die Paschæ, Conventum Principum Ratisbonæ „ celebraturus, inter cæteros Bretislaum etiam ad eam cele„ britatem invitavit. Is Borivorium præterea Fratrem, & Her„ mannum designatum Pontificem sibi adjunxit, ibatque mil„ le amplius delectis equitibus, unoque colore vestitis comi„ tatus. Propinquanti Ratisbonæ, Cæsar ter mille fere pas„ sus obvium se in itinere obtulit, manuque desilire equo pa„ ranti injecta, eques equiti dextram porrigit, ac comiter sa„ lutat, receptumque intra secures suas, sibi proximum ade„ quitare jubet. Actum dehinc inter alia negotia publica, „ ut Bretislaus, solemni Principum electorum more, Cæsareæ „ majestati solitum honorem haberet. Allata mox Vexilla Re„ gni & Provinciarum, quarum Dominus ac Princeps erat „ Bretislaus; ipseque Cæsar Corona & Sceptro ornatus, in „ Throno Cæsareo sublimis residens, Regalia (quæ vocant) „ per vexilla Bretislao, Hermanno autem Pontifici per sce„ ptrum in manus oblatum distribuebat. Ac ne vacuus inde „ Borivorius inhonoratusque discederet, approbat diplomate „ suo Cæsar fraternam hanc inter ipsos compositionem, ut si„ quid humanitus Bretislao, priusquam Borivorio, eveniret, „ tutela liberorum Bretislai ac Regni successio, ad neminem „ quemquam, nisi ad Borivorium pertineret „. Atqui Cosmas scri-

scriptor vivens ac præsens, non Imperatorem Henricum III., ad tria fere milliaria extra Ratisbonam venienti Bretislao, sed quotquot de amicis ejusdem Bretislai in Curia Cæsarea erant, obviam processisse scribit. Dubravius, qui historiam suam libris XXXIII. comprehensam usque ad annum 1527. produxit, somniari ista, non videre potuit.

XXXVIII. Andreæ Moravienſi Episcopo ſuffecti *Petrus* & *Joannes* ab anno 1096. ad an. 1126.

Quisnam *Andreæ* Moravensi Episcopo successerit, & quando is obierit, Cosmas Pragensis oblitus est referre: qui ad annum 1104. hæc habet: „ Anno Dom. Incarnat. 1104. „ Joannes electus est in Episcopum Moraviæ „. At in Catalogo Olomucensium Episcoporum, post Andream ponitur Pe„ trus Episcopus Olomucensis secundus (*imo tertius*) quin„ tus in Moravorum Episcoporum ordine (*imo sextus*) idem„ que mortuus dicitur *Anno Christi* 1104. *Nonis Julii*: eique successisse perhibetur *Joannes*, qui obierit IX. *Kalen. Martii anno Chr.* 1126. In eodem Catalogo, mortuo *Joanne* Olomucensi Antistite, qui sub Severo Pragensi ordinatus fuerat, dicitur Ecclesia Moravensis quinquennio vacasse, id est ab anno 1086. ad 1091. *Andreas* autem ab anno 1091. ad 1096. per quinque annos sedisse.

XXXIX. De Cosma Pragensi Chronici Bohemorum auctore: qui a Pontano Bohemiæ Piæ auctore perperam confunditur cum *Cosma*, octavo Pragæ Episcopo.

Claudo meas de Bohemicis Ecclesiasticis originibus observatiunculas, Cosmæ ipsius Pragensis Decani verbis: qui in Prologo ad *Gervasium Magistrum* de conscripto a se Bohemorum Chronici libro primo sic præfatur: „ Continet hic liber „ primus, Boëmorum gesta, prout mihi scire licuit, digesta „ usque ad tempora primi Bratizlavi, filii Ducis Oalrici. An„ nos autem Dominicæ Incarnationis idcirco a temporibus „ Boriwoii, primi Ducis Catholici, ordinare cœpi, quia ini„ tio hujus libri nec fingere volui, nec chronicam reperire „ potui, ut quando, vel quibus gesta sint temporibus, sci„ rem, quæ ad præsens recitabis in sequentibus. *Et post pauca.* „ Est autem hæc Chronica composita regnante Quarto Hein„ rico Romanorum Imperatore, & gubernante Sanctam Ec„ clesiam Dei Papa Kalisto, sub tempore Ducis Boëmorum „ Wladizlai, simul & Præsulis Pragensis Ecclesiæ Hermanni, „ ut in sequentibus datur omnibus scire volentibus, quibus „ sint acta annis Christi, vel Indictionibus „. In Prologo autem ad *Clementem Abbatem Breunensis Cœnobii* de libro se-

cundo Chronici: „ Intellexi per tuum Clericum, nomine
„ Deocarum, qui mihi olim innotuit familiariter, quod meas
„ nænias, quas olim Gervasio ſcripſeram, velles videre li-
„ benter. Nam oblata occaſione roboratus, imo cari amici
„ perſuaſione compulſus, non ſolum quod optaſti, verum
„ etiam ſecundum ejuſdem narrationis (ut ita dicam) libel-
„ lum, quem ſimiliter, prout ſcire licuit, a tempore Brecis-
„ lai filii Ducis Vvalrici, uſque ad ejus æquivocum filium Re-
„ gis Vratislai digeſtum, tuæ paternitati pandere præſumo „.
Demum de libro tertio in *Apologia ad Lectorem*, cur nempe, quum ipſe in ſecundo libro hiſtoriam ſuæ narrationis uſque ad tempora Ducis Brecislai junioris produxerit, tertium librum de rebus ſuo tempore geſtis proſequuturus ſit: nimirum uſque ad annum 1125. quo mortuus eſt *Henricus IV. Sabbato 3. Kal. Junii*; „ Ibique [inquit] ejuſdem Imperialis Genealogia de-
„ ſiit, partim ſterilitate feminei ſexus, partim ab ineunte
„ ætate omni virili ſtirpe regali fato concluſa exitiali. Interea
„ per Dei gratiam, inclyto Duce Sobeslao, in toto ſuo com-
„ poſita pace Regno, heroicis ceſſamus a Chronicis „. Eodem etiam anno 1125. inquit: „ Wladislaus Bohemiæ Dux,
„ Zvatava matre hortante, quarta feria majoris hebdomadæ,
„ cum fratre Sobeslao pacificatus, poſt octavas Paſchæ 2. Idus
„ Aprilis, Dominica die deceſſit: & frater ejus Sobeslaus,
„ omnibus Boemis ſimul faventibus, XVI Kalen. Maji, jure
„ hæreditario, in Principatus ſolio elevatus eſt avito „. Atque in hoc anno deſinit Chronicon Coſmæ Pragenſis, qui ad annum quidem 1122. Hermannum Pragenſem Epiſcopum, Coſmæ Succeſſorem, deceſſiſſe ſcribit. Anno vero 1104. *Joannem* electum fuiſſe *Moraviæ* Epiſcopum: Anno demum 1106. de Henrici III. exauctoratione & morte hæc tradit: „ Anno
„ Dom. Incarn. 1106. inventore diſcordiarum diabolo, ſemi-
„ nante diſcordias per orbem terrarum, quidam ſui coope-
„ ratores extiterunt ex Theutonicis proceres, qui ſeducentes
„ filium Imperatoris, Regem videl. Heinricum Quartum,
„ perſuaſerunt, ut contra genitorem ſuum arma ſumeret.
„ Qui filii ſui a facie fugiens, in urbe Ratisbona cum paucis
„ munivit ſe armis, & mittit pro Duce Boriwoy, ut ſibi in
„ auxilium cum exercitu veniat. Nec mora, venientes Boë-
„ mi

„ mi non longe a Ratisbona metati ſunt caſtra juxta fluvium „ (*a*) Reznam: ex altera autem parte ejuſdem fluminis erant „ caſtra filii Imperatoris. Et qui videbantur eſſe fautores Cæ- „ ſaris, primus Lupoldus Marchio Orientalis lapſus fuga no- „ ctu repatriat cum ſuis. Dipoldus autem & Regnerus Mar- „ chiones transferunt ſe ad caſtra Regis Henrici junioris. Vi- „ dentes autem Bohemi ſe eſſe undique deſtitutos, nihilomi- „ nus celerius ut potuerunt, ſimul noctu maturaverunt fugam. „ Quod videns Imperator, deſerit Ratisbonam, & tranſiens „ per Auſtralem plagam, via qua itur ad Necholic, intrat „ Boëmiam. Quem Dux Boriwoy honorifice ſuſcipiens, ſi- „ cuti ipſe Cæſar diſponebat verſus Saxoniam, dat ſibi condu- „ ctum per terram ſuam Cæſare dignum, deducens eum uſ- „ que ad generum ſuum Wigbertum. Inde per Saxoniam „ tranſiens, & Rhenum, perrexit Leodium, ubi non poſt „ multos dies cum vita amiſit Imperium, VII. Idus Auguſti „. Quæ tamen omnia, non uno, ſed duobus annis ſunt geſta: nam anno 1105. Henricus Rex arma adverſus patrem ſumſit, & in Natali Domini, conventu omnium Regni Germanici Procerum Moguntiæ facto, Imperialia inſignia, patre reſignante, accepit: anno vero ſequenti Henricus pater in Lotharingiam ſeſe recipiens, Leodii mortuus eſt die 7. Auguſti. Ceterum quod Coſmas de Bohemis Henrico patri faventibus narrat, id a Gothefrido Viterbienſi, paulo aliter refertur his verbis. „ Henricus junior contra patrem movet exercitum, & pater „ contra eum. Utriuſque autem exercitus, ſupra Rhenum (*b*) „ fluvium caſtra metatur, Rheno in medio exiſtente, & alte- „ rum ab altero ſeparante. Erat autem patris maxima poten- „ tia in exercitu Bohemorum, & in Marchione Auſtriæ Lu- „ poldo. Quam rem quum filius conſideraſſet, tam Ducem „ Bohemorum, nomine (*c*) Boroëz, quam Marchionem „ Lupoldum largiſſimis promiſſionibus ab auxilio patris ſui „ avertit: quibus abeuntibus debilitatus pater, a campo ce- „ dere compulſus, confuſus deceſſit „. Similiora vero, quam a Gothfredo aut Coſma, narrantur a Conrado Abbate Urſper-

a Reginum flumen vocatur a Conrado Urſpergenſi ad ann. 1104.
b Coſmæ *Reznam*, Conrado Urſpergenſi, *Reginum*.
c Sic Borivvoyum vocat.

gensi, qui ad annum 1105. sic scribit de Henrico filio & patre:
„ Ratisponam Henricus filius cum exercitu se contulit. Quem
„ pater è vestigio subsequens, Erlungum Wirciburgensibus,
„ fugato Ruperto, restituit, indeque omnia, quæ fautorum
„ erant filii, devastans, tandem faventibus sibi dolis Ratispo-
„ nensium, filium urbe fugavit. Qua residens, Præsulem ei-
„ dem Cathedræ quemdam adolescentulum, nomine D. præ-
„ fecit, exercitum undecumque congregavit, progressusque,
„ Marcham Diepoldi per Boëmiæ gentis maxime crudelitatem
„ devastavit. Nec plus unacum Domino suo Rege morantur,
„ conventum usquequaque facere, Cæsarianis a tergo flammis
„ prædaque vicem reddere: postremo cum decem millibus
„ electæ juventutis in quinque legiones dispertitis, congres-
„ sum expetere. Jam castris in contrarium positis spectaculo
„ nimis horribili, per triduum continuum ex una ripa Regini
„ fluminis Imperatoris, ex altera Regis volitabant signa. At-
„ tamen die, quæ generalem certissime congressionem præce-
„ debat, Proceres, qui capita roburque utriusque videban-
„ tur Exercitus, pacificis invicem concessis colloquiis, post
„ morose ventilatam inter se belli præsentis causam, tandem
„ divino, ut creditur, edocti spiritu, parum justitiæ parum-
„ que emolumenti tam duro tamque periculoso inesse nego-
„ tio, unanimi consideratione conferebant: indeque nimi-
„ rum fratribus, idest populo utraque parte Christiano par-
„ cendum, imo parricidiali pugna cessandum, pari voto judi-
„ cabant. Vesperascente itaque jam die, cessere loco Regiæ
„ phalanges, Imperatoriæ Majestati se reverentiam exhibere
„ clamantes. Imperator autem dum in castris de crastino cer-
„ tior conflictu disponit, nec pugnam nec pugnandi votum
„ Principibus esse, per Boëmiæ Ducem, Marchionemque
„ Luitpoldum contra spem audivit. Qui mox animo conster-
„ natus, supplex illorum adjutorium petit, nec impetrat:
„ instructus etiam secretis filii nunciis, suorum conspiratio-
„ nem adversus se factam, latenter è castris cum paucis admo-
„ dum viris subtrahitur. Audiens interim Rex patrem suum
„ apud Vvigbertum quendam illustrissimum & prudentissi-
„ mum virum, qui partibus in illis, quas Sorabi inhabita-
„ bant, principabatur, esse repertum, usque ad Rhenum illi

„ Duca-

„ Ducatum (hoc enim per Legatos ipse supplicabat) admi„ nistrari permisit „. Ceterum quum Cosmas de se ipso ad ann. 1099. scribat: „ Qui (*Seraphinus scil. Archiep. Strigoniensis*) veniens ad Sedem suam urbis Strigoniæ, tempore „ quo sacri ordines celebrantur, 3. Idus Junii, ordinat eum „ (*Hermannum scil.*) Presbyterum, & me quamvis indi„ gnum, ad eumdem similiter promovit gradum „: quumque ad ann. 1110. de Vvladislao Duce ejusque fratre Ottone post Pascha, 3. Kal. Maji reconciliatis subjungat: „ Sed quo„ niam idem Otto nobis interdixerat forum in villa Sercir Co„ stel, quod pater suus & mater pro remedio animarum sua„ rum, Deo & Sancto Weneeslao nobis famulantibus perpe„ tuo habendum tradiderant; ego missus ex parte fratrum, „ coram Duce & ejus Comitibus conquestus sum super Otto„ ne, quod lucernam parentum suorum, quam debuerat ac„ cendere, extinguebat: At ille: Ego (inquit) lucernam „ genitorum meorum non extinguo, sed volo, ut in potesta„ te Episcopi sit, quod nobis specialiter datum esse scio. Et „ nunc non Episcopo, non alicui personæ, sed Deo & San„ cto Wenceslao vobis famulantibus prædictum forum resti„ tuo „: Quum denique in fine libri tertii ad annum 1125. quo post Uladislai obitum Dux Sobeslaus electus est, dicat: „ Quoniam quidem in exordio libri memini me dixisse, hanc „ Chronicam sub temporibus Uladislai Ducis & Hermanni „ Præsulis editam esse: quibus jam ex hac convalle lacrymosa „ fato transvectis ad loca forsan deliciosa, sed adhuc gesta„ rum rerum exuberante materia, utrum ibi litori figam an„ choram, an etiam nunc furentibus Euris in altum carbasa „ tendam „. Consule formosa mea doctrix nunc mihi mensa: Quum, inquam, Cosmas adhuc vivens, tametsi senex, Chronicon suum usque ad 3. Kal. Junii anni 1125. perduxerit; Georgius tamen Bartholdus Pontanus lib. 3. Bohemiæ Piæ de Cosma Hermanni Episcopi decessore loquens, eum cum eodem Cosma Pragensi Decano, Chronici laudati Scriptore, confundit, in hæc verba: „ Cosmas a Vvratislao, communicatis „ cum Capitulo consiliis, omnium gratulatione (quod præ re„ liquis vir bonus & ad regimen idoneus, licet jam seniculus) „ tum temporis Decanus, Præsul designatus, a Cæsare Hen-

„ rico

„ rico dignus recognitus, Moguntiæ ſub nomine Rothardi „ conſecratus eſt, & ſejuncti ſunt Epiſcopatus Pragenſis & „ Olomucenſis. Hic Bohemicam hiſtoriam a Zechio uſque ad „ obitum ſuum pertexuit, vir bonæ conſcientiæ, magno Bre„ tislai aliorumque planctu mortuus, & honorifice in Templo „ Sancti Viti ſepultus „. Quot Pontani allucinationes! Primo enim Coſmas Chronici Scriptor, qui adhuc anno 1125. vivebat, unus idemque fit a Pontano cum Coſma Epiſcopo, qui anno exeunte 1091. electus, anno 1094. conſecratus, anno 1098. IV. Id. Decembris mortuus eſt; eodem Coſma Chronographo narrante. Deinde dicitur Coſmas ille Epiſcopus *Moguntiæ ſub nomine Rothardi conſecratus*, quum dicendum ſit, *ab Archiepiſcopo Moguntino nomine Rothardo conſecratus*. Poſtremo non ſub *Coſma*, octavo Pragenſium Epiſcopo, ſed ſub *Severo*, ſexto Pragenſi Antiſtite, *Joannes* Olomucenſium Epiſcopus ordinatus fuit; adeoque ab eo tempore, quo Severus Epiſcopus, poſt obitum Spitignei Ducis (qui anno 1061. contigit): „ Nimia devictus efflagitatione Vratislai Ducis, „ conſenſit promoveri Joannem Epiſcopum in Moravia, Olo„ mucenſis Epiſcopatus a Pragenſi ſeparatus fuit. Præterquam quod Jaromiri ſeu Gebeardi Epiſcopi Pragenſis querelæ, uti ex epiſtolis S. Gregorii VII. Papæ patet, non fuere de abolendo Olomucenſi Epiſcopatu, ſed circa quædam bona, quæ uterque Epiſcopus ad ſuam Eccleſiam in integrum pertinere dicebat, quæque demum, Pontifice eodem Gregorio jubente, per medietatem utrique Epiſcopo ſunt adjudicata. Hinc, Coſma Chronographo teſte, anno Incarnat. 1099. „ Dux Brecislaus veniens cum exercitu in Moraviam, „ reædificatum a ſe caſtrum Podivin, reddidit illud, ſicut an„ tea fuerat, in poteſtatem Hermanni Epiſcopi Pragenſis „: eodemque Hermanno adhuc Pragenſem Eccleſiam adminiſtrante, quum, per obitum Andreæ, Olomucenſis Eccleſia vacaret, anno 1104. electus fuit alter Joannes, Borivoyo Duce probante, & Hermanno Epiſcopo Pragenſi non repugnante.

PARS



PARS SECUNDA.

ORIGINES ECCLESIASTICÆ SLAVORUM DALMATIÆ ET ILLYRICI.

CAPUT PRIMUM.

Illyricum, & Dalmatia. Chrobatia & Serblia. Sorabia & Daleminda. Chrobati sub Heraclio Imp. Fidem Christi amplexi. Iidem post Ludovici Pii mortem a Francis deficientes.



POSTQUAM Ecclesiasticas Slavorum Russiæ, Hungariæ, Bohemiæ & Poloniæ origines enarravi, sequitur, ut de Slavicis etiam rebus Dalmatiæ atque Illyrici disseram. I. Illyricum & Dalmatia quando pro Synonymis haberi cœpta.

Illyricum & Dalmatia, etsi distinctæ ab initio essent regiones, jam inde tamen ab Augusti ætate pro Synonymis haberi quum cœpissent, exinde accidit, ut quidquid erat dicique solebat Illyricum, idem Dalmatia censeretur esse; & vulgo homines, qui minus distincte accurateque loquuntur, alterum pro altero nomen usurpantes, Dalmatiæ vocabulo id totum comprehenderent, quod apud antiquos Illyricum sonabat.

II. Illyrici fines.

Augusti quidem ab initio utriusque fines: nam, ut Farlatus in Illyrico sacro Tom. 1. pag. 3. observat, *Illyricum* primigenium seu proprium, a Pomponio Mela lib. 2. cap. 2. & a Plinio lib. 3. cap. 22. *Naroni & Driloni fluminibus* interjectum fuit:

fuit: sed brevi (eodem Farlato pag. 64. scribente) ex illis angustiis eductum, fines suos ita propagavit sub Romanis, uti Appianus Alexandrinus describit: qui quum initio ejus libri, quem inscripsit *Illyricum* dixisset, eos ab Græcis haberi dicique „ Illyrios, qui supra Macedoniam ac Thraciam a Chao„ nibus atque Thesprotis porrectas ad flumen Istrum terras „ incolunt „ hæc subjicit: „ Romani vero non hos dumta„ xat, sed Pæones præterea, & Rhætos, Noricosque, & My„ sios Europam colentes, aliosque his finitimos, qui per „ Istrum descendentibus a dextra occurrunt, distinguunt a „ Græcis, non secus ac ipsi Græci, eosque propriis nominibus „ singillatim appellant: cæterum communi vocabulo omnes „ Illyrios arbitrantur; nec satis comminisci possum, quo ini„ tio ducti potissimum in hanc opinionem devenerint, in qua „ hodie (*a*) cum maxime perseverant: quippe tributum ha„ rum nationum inter fontes Istri & mare Ponticum sitarum, „ tamquam unum exigunt, & Illyricum tributum vocant. „ *Idem Appianus in extremo illo libro*: Reliqui populi, qui a „ Romanis Illyrii putantur, sunt ante Pæones quidem Rhæti, „ Noricique, post Pæones vero Mysii ad Euxinum usque Pon„ tum „. Itaque Romanum Illyricum ex Appiani descriptione, in longitudine a fontibus ad ostia Danubii porrigitur: latitudo ejus, qua maxime patet, Danubium inter ac mare Adriaticum extenditur. Iisdem ferme regionibus *Illyricum* Strabo lib. 2. circumscripsit: „ Ister (inquiens) ab occasu ortum „ versus in Euxinum labens mare, ad lævam relinquit Ger„ maniam totam a Rheno orsum, Geticumque totum tractum, „ & Tyrigetas, Bastarnas, Sauromatas usque ad Tanaim „ amnem, & paludem Mæotidem: ad dexteram vero, uni„ versam Thraciam, Illyridem, ac Macedoniam, & ipsam „ reliquam Græciam „. Quidquid proinde Danubius, ab Occasu Orientem versus decurrens, ad dexteram proxime prætérlabitur, id omne Illyricum est, videlicet Rhætia, Noricum, Pannonia & Mysia: nam Macedonia & Thracia, & reliqua Græcia, quas itidem ad dexteram relinquit, longe absunt a ripis Danubii, unde, interjecta Mysia, distinguuntur. Svetonius a Stra-

a Appianus scribebat altero post Christum sæculo.

à Strabone & Appiano non dissentit, nisi quod Noricum ab Illyrico videtur excludere: „ Ac perseverantiæ (inquit) grande pretium tulit, toto Illyrico, quod inter Italiam, Regnum Noricum, & Thraciam, & Macedoniam, interque Danubium flumen & sinum maris Adriatici patet, perdomito „. Quemadmodum autem unaquæque provincia ab Augusti ævo usque ad Constantinum magnum ad nominis Illyrici incrementum accesserit, ex eodem Farlato accipe. Tiberius Cæsar *Rhætiam, Vindelicos, Noricos, Pannoniam, Mæsiamque*, ut Romano Imperio, sic Illyrico adjecit. Vespasianus *Thraciam*: *Daciam* Trajanus. At vero Constantinus Magnus, quum sex provincias, e quibus *Thracia* omnis tum constabat, Illyrico ademisset, septem alias easque longe florentissimas adjunxit „ Macedoniam scilicet, Thessaliam, Achajam, Epiros duas, Prævalim, & Cretam „: ita ut omnes Provinciæ, quas idem Constantinus Illyrico vel reliquit, vel adjecit, omnino septemdecim a Sexto Rufo in Breviario enumerentur: „ Provincias habet Illyricum septem & decem: Noricorum duas, Pannoniarum duas, Valeriam, Saviam, Dalmatiam, Moesiam, Daciarum duas: & in Dioecesi Macedoniæ, sunt septem, Macedonia, Thessalia, Achaja, Epiri duæ, Prævalis, & Creta „. Quum autem Imperium Romanum in duas tributum est partes, *Orientalem*, & *Occidentalem*, & hinc duæ, illæque totidem Præfecturæ Prætorianæ adscriptæ sunt; facta est quoque bipartita divisio Illyrici, quod partim cum Imperio Occidentis conjunctum est: Occidentali sex, Orientali undecim Illyricæ provinciæ annexæ. Imperium Orientis, septem Dioecesibus constabat, quarum Quinque, videlicet, *Oriens*, *Ægyptus*, *Asiana*, *Pontica*, *Thracia*, ad Præfectum Prætorio Orientis; duæ reliquæ, *Macedonia*, & *Dacia*, ad Præfectum Prætorio *Illyrici* pertinebant: „ Provinciæ Macedoniæ VI. Achaja, Macedonia, Creta, Thessalia, Epirus vetus, Epirus nova, & pars Macedoniæ Salutaris. Provinciæ Daciæ V. Dacia Mediterranea, Dacia Ripensis, Moesia prima, Dardania, Prævalitana, & pars Macedoniæ Salutaris „. Præfectura Prætoriana *Imperii Occidentis*, quæ *Italica* dicebatur, ex Dioecesibus tribus constabat, *Italia*, *Illyrico*, & *Africa*. Provinciæ *Illyrici* Occidentalis VI. „ Pannonia secunda, Savia, „ Dal-

„ Dalmatiæ, Pannonia prima, Noricum Mediterraneum, Noricum Ripenſe „. At *Noricum* utrumque, ut Imperio, ſic Illyrico Occidentali, primum a Gothis ineunte ſexto ſæculo, deinde a Francis ademtum eſt. Illyricum vero Occidentale a Barbaris vaſtatum ac diſcerptum, a Juſtiniano magna ex parte recuperatum, cum Imperio & Illyrico Orientali in unum coaluit, ſic tamen, ut Græci ſcriptores, receptas Illyrici Occidentalis provincias, non *Illyrici*, ſed *Dalmatiæ* vocabulo appellare conſueverint.

III. Illyricum antiquum & hodiernum.

Ut igitur ſummatim de Illyrici finibus dicam, aliud eſt Illyricum antiquum, aliud Illyricum hodiernum. Illyricum antiquum (ut ait Farlatus Tom. 1. pag. 85.) pro varietate temporum varios fines habuit, primum admodum anguſtos, deinde quaqua verſum longe lateque prolatos. Nam ſub Pelaſgis Hyllinis, Illyrici nominis ac generis conditoribus, Illyricum intra Titium ac Drilonem fluvios fines ſuos continuit. Liburniam, Japydiam, Iſtriam, Carniamque ab Occaſu Celtæ addiderunt: & ultra Drilonem uſque ad montes Acroceraunios ditionem Illyricam propagarunt. At Illyricum poſtquam in poteſtatem Romanorum Imperatorum venit, tum vero jus ſuum ac nomen latiſſime protulit: nam pro Carnia atque Iſtria amiſſis, juſſuque Auguſti Italiæ adſcriptis, recepit utramque Rhætiam, Noricum Mediterraneum ac Ripenſe, Pannoniam omnem Superiorem & Inferiorem, Mœſiam itidem ſuperiorem & inferiorem, Dardaniam, Thraciam, & ultra Danubium Daciam ipſam Trajani, quam uſque ad Imperium Aureliani retinuit. Eidem vero Conſtantinus Magnus Thracia & Moeſia inferiore detractis, ampliſſimam Diœceſim Macedonicam adjecit, quæ ſex ipſas florentiſſimas provincias cum Inſulis circumjectis comprehendebat. Illyricum hodiernum, iiſdem regionibus circumſcribitur, quibus illud definivit Juſtinianus, quum Præfecturam Illyricam Prætorianam Theſſalonicæ ademtam, ad Juſtinianam primam (patriam ſuam) revocavit. Complectitur autem Japydiam, Liburniam, Dalmatiam, Illyricum proprium: Prævalim, (quas omnes uno Dalmatiæ vocabulo nunc vulgus appellat:) Epirum novam, quæ nunc Albania: Dardaniam, quæ nunc Raſſia: Mœſiam ac Daciam utramque, quæ nunc partim Servia, partim Bulgaria: Pan-

noniam

noniam veterem Australem inter Savum & Montes Illyricos, quæ nunc Bossina, & Croatia: ac demum Pannoniam Saviam, sive Interamniam, quæ nunc Slavonia dicitur.

IV. Dalmatiæ nomen.

Quod de Illyrico dictum est, hoc de Dalmatia intelligi potest: nimirum, fines ejus primum fuisse admodum angustos, deinde quaquaversum longe lateque prolatos. Et ad nomen quidem *Dalmatiæ* quod spectat, illud constat ex *Delminio*, urbe olim totius gentis primaria, acceptum. Quod Strabo (inquit Farlatus) *Dalminium*, vel *Dalmium*; Ptolemæus, Appianus, aliique *Delminium* vocant: Stephanus pro varietate Codicum, alias *Dalmium* aut *Delmium*, alias *Delminon* aut *Delminium* appellat: Cassiodorus *Dalmana* scribit: Thomas Archidiaconus *Delmis*: alii nunc *Dalmum*, nunc *Damna* aut *Damnium* dicunt; quæ urbs (Farlato teste) eo ferme loci olim fuit, ubi nunc exstat *Dumnus*, oppidum neque infrequens, neque ignobile in ea regione aspera & montana, quæ intra duos fluvios Tilurum, & Naronem attollitur. Ab hac urbe *Delmatiam* denominatam fuisse, inter omnes convenit; sed derivatum ex ea gentis ac regionis vocabulum, variatione literarum interposita, alii aliter scribunt: *Delmatia*, scilicet, & *Dalmatia*: *Dalmatæ*, *Delmatæ*, & *Dalmienses*. Quæ omnia Cellarius lib. 2. Geogr. antiq. cap. 8. pag. 620. his verbis complectitur. „ Inter Heronam & Æquum Ptolemæus ponit Δελ-
„ μίνιον, *Delminium*, quod ita etiam Appianus in Illyricis,
„ teste Byzantino, scriptore urbium, nominavit, qui liber
„ Græce desideratur. Strabo sæpedicto loco vocat Δάλμιον,
„ *Dalmium*. Quadratus apud eundem Stephanum Δέλμιον, ut in
„ Palatino Codice Salmasius invenit: in cæteris etiam Δάλμιον,
„ vel Δάλμινον exstat. Scilicet, quod Eustathius ad Dionysii
„ vers. 97. notavit, ἡ πόλις λέγεται Δάλμιον, ἢ Δελμίνιον, ἢ
„ Δέλμινον. Fuit olim urbs magna & potens, quæ genti no-
„ men dedit, ut *Delmatæ*, vel *Dalmatæ* appellarentur „. Strabo: Δάλμιον μεγάλη πόλις, ἧς ἐπώνυμον τὸ ἔθνος, *Dalmium magna urbs, unde genti est nomen*.

V. Dalmatiæ fines.

A vocabulo ad rem transeo. Farlatus Tom. cit. refert, Dalmatas, qui initio Naronem inter Nestumque se continuerant, deinde fines Imperii usque ad Titium amnem produxisse, mox ad Savum: demum, post Gothos superatos, nomen suum

usque ad Danubium propagasse. Primigenia (inquit Tom. 1. pag. 100.) & antiqua Dalmatia Tiluro seu Nesto ab occasu, Narone ab ortu terminabatur: mox ad Titium usque fines protulit; ita ut à septentrione montibus Pannoniis, à meridie mari, ab occasu Liburnis, ab oriente Illyriis propriis ac primigeniis circumscriberetur. Atque hæc fuit prima Dalmatici nominis propagatio usque ad postrema ante Christi Domini adventum tempora: quam sequuta est altera propagatio sub Augusto ad Savum amnem, quum (juxta eund. Farlatum p. 108.) ex Japydia, Liburnia, Dalmatia primigenia, Illyrico proprio, itemque Pannonia citra Savum, una conflata est Romana Provincia sub uno Dalmatiæ nomine, quo Augustus omnes illas regiones comprehendi jussit. Tertia accessit Dalmatici nominis propagatio usque ad Dravum & Danubium, quam sic describit pag. 116. „ Postquam, imperante Justiniano, res Gothorum in Italia diminui sexto sæculo ac deteriores in dies „ fieri cœperunt, tantum abest, ut Dalmatia jus suum ac nomen contraxerit, ut potius per ea tempora longe in septentrionem usque ad Dravum ac Danubium protulerit: atque „ hæc est tertia propagatio nominis Dalmatici, quum Dalmatia Savum ac Dravum transgressa, Pannoniam fere totam sub „ potestatem notionemque sui nominis redegit „. Testimonio utitur Procopii, qui ait lib. 1. belli Goth.. „ Gepides „ Sirmium urbem, & alias Dalmatiæ civitates majorem in partem occupantes tenebant, quas Imperator proxime à Gothis „ receperat „. Et lib. 3. Gepides ipsi in Orat. ad Justinianum contra Langobardos dicebant: „ Prædones isti Sirmium „ oppidum, & cetera Dalmatiæ loca, belli vobis causam fore „ prætendunt „. Ubi, quum dicitur, præter *Sirmium* alias *Dalmatiæ* urbes ab Gepidibus teneri, satis indicatur, Sirmium civitatem esse ejusdem Provinciæ, idest *Dalmatiæ*, ad quam pertinebant urbes ceteræ, quas Gepides occupaverant: quo fit, ut quæ Dalmatiæ urbes apud Procopium Gepidibus attribuuntur, eæ fuerint in Dalmatia ultra Savum; nimirum in Pannonia Savia, quæ in jus nomemque Dalmaticum migraverat. *Singidonem* quoque Pannoniæ Saviæ urbem intra fines Dalmatiæ includere videtur Procopius, quum hæc scripsit: *Heruli præterea alia Dalmatiæ loca, permissu Imperatoris, & circa*

Sin-

Singidonem (*a*) *urbem habebant* : Quibus verbis intelligi potest, loca illa Dalmatiæ, quæ Imperator Herulis habitanda tribuerat, vel circa Singidonem fuisse, vel certe posita in eadem ultra Savum regione, in qua Singidonem locant Aurelius Victor in Joviniano, Jornandes, Simocatta, nec longe ab Sirmio in septentrionem Lazius statuendam existimat. Eodem (inquit idem Farlatus) pertinet, quod Auctor Historiæ Miscellæ, inter civitates Dalmatiæ, quarum ad quadraginta Chaganus diripuit anno 17. Mauricii Imperatoris, qui est Chr. 599., recensuit *Belicham*, quam quidem urbem juniores Geographi in Savia fere media constituunt : „ *Anno* XVII. *Mauricii*, „ *coacervatis virtutibus*, *Chajanus in Dalmatiam properat*, „ *& quum venisset Belicham*, 40. *Civitates circa eam depopulatus est*. Si ergo ad Dalmatiam pertinebant urbes inter Savum & Dravum, nihil causæ afferri potest, quominus tota „ illa regio, quæ dicta est Savia sive Interamnia, ad jus no„ menque Dalmaticum pertinuerit : quo fit, ut sexto Sæculo „ Dravus, qui erat Saviæ, idem etiam esset terminus Dal„ matiæ „. Verum sequiori tempore, Dalmatiam fines habuisse in septentrionem eatenus productos, ut Pannoniam complexa universam, ab Adriatico mari usque ad Danubium latitudine pertingeret, testatur Constantinus Porphyrogenitus de Admin. Imp. cap. 30. sic scribens : *Antiquitus Dalmatia incipiebat* (ab ortu ad occasum) *à confiniis Dyrrhachii sivè Antibaris*, *& ad Istriæ confinia pertingebat* : *ad latitudinem vero* (à meridie ad septentrionem) *ad Danubium flumen se extendebat* ; *eratque omnis ille finitimus tractus sub Romanorum potestate & præstantissimum Thema omnium occidentalium*. Nimirum, Græci & Byzantini scriptores (uti observat Farlatus pag. 117.) post amissum Imperium & Illyricum Occidentis, sublata omni distinctione Illyrici Occidentalis, & Orientalis, huic verbo, quum simpliciter *Illyricum* dicunt, nihil aliud subjici volunt, nisi *Illyricum* (*b*) *Orientale*, & Provincias omnes *Orientis Illyrici* solent ab Illyrico distinguere ac secludere ; adeo-

a Aurel. Victor. „ Incola agri Singidonensis provinciæ Pannoniæ „. L. Holstenius ad Ortelium not. „ Legendum σιγγίδονον, nunc Zenderin, sedes non ita pri„ dem despotæ Serviæ, paullo sub Tauruno „ ; ad Orientem scil. Tauruni.

b De finibus utriusque Illyrici, Orientalis scil. & Occidentalis, vide eund. Farlatum tom. 1. Illyr. sacr. pag. 85. col. 1.

adeoque, quum regiones Illyrici Occidentalis, excepto Norico, in ditionem Imperii Græcanici rediissent, non eas quidem *Illyrico* restitutas dicunt, sed *Dalmatiæ* vocabulo donant. „ Bar-
„ baris [inquit Historicus Dalmata] occidentale Imperium
„ occupantibus, siquid Illyrici Occidentalis recuperabatur, id
„ ut plurimum Dalmatiæ adscribebatur.... Dalmatia ergo
„ apud Byzantinos scriptores pro IllyricoOccidentali sumenda
„ est, quod apud eundem Constantinum Porphyrogenitum
„ clare perspicitur, qui Dalmatiam pro universo Illyrico Oc-
„ cidentali, præter Noricos, antiquitus sumptam testatur.

Eodem ac Procopius sensu *Dalmatiam* sumunt Rerum Francicarum Scriptores, ad Dravum usque illam extendentes, & à Pannonia sejungentes. Eginhardus de gestis Ludovici Pii ad ann. 818. & sequentem, Liudewitum *Pannoniæ inferioris* Ducem memorat, Bornam *Dalmatiæ & Liburniæ*, Cadolachum *Marchæ Forojuliensis*; *Sorabos* denique ait *magnam Dalmatiæ partem* obtinere. Verba ejus alibi recitavi: Sed pauca hic repetere juvat, ex quibus *Dalmatiæ* confinia intelliguntur. Itaque ad ann. 818. sic habet „ Erant ibi & aliarum na-
„ tionum Legati, Abotritorum videlicet, ac Bornæ Ducis
„ Guduscanorum & Timotianorum... Simul & Liudeviti Du-
„ cis Pannoniæ inferioris „ Ad ann. 819. „ Exercitus de Ita-
„ lia in Pannoniam propter Liudeviti rebellionem missus. *Ad*
„ *an.* 820. Tres illi exercitus contra Liudevitum mittuntur,
„ quorum unus de Italia per Alpes Noricas, alter per Caran-
„ tanorum Provinciam, tertius per Bajoariam & Pannoniam
„ Superiorem intravit.... Is tamen, qui per Pannoniam
„ Superiorem iter fecerat, in transitu Dravi fluminis, ex lo-
„ corum & aquarum insalubritate, soluti ventris incommodo
„ graviter affectus est... Hi tres exercitus de Saxonia, &
„ orientali Francia, & Alamannia, Bajoaria quoque & Italia
„ congreguti sunt. Quibus domum reversis, Carniolen ses,
„ qui circa Savum fluvium habitant, & Forojuliensibus pene
„ contigui sunt, Baldrico se dediderunt: idem & pars Ca-
„ rantanorum, quæ ad Liudeviti partes à nobis defecerat,
„ facere curavit. *Ad ann.* 821. Interea Borna Dux Dalmatiæ
„ atque Liburniæ defunctus est: & petente populo, atque
„ Imperatore consentiente, nepos illius, nomine Ladasclavus,
„ suc-

„ successor ei constitutus est. *Ad ann.* 822. Exercitus de Italia propter Liudeviticum bellum conficiendum in Pannoniam missus est. Ad cujus adventum Liudevitus Siscia civitate (*a*) relicta, ad Sorabos, quæ natio magnam Dalmatiæ partem obtinere dicitur, fugiendo se contulit, & uno ex Ducibus eorum, a quo receptus est, per dolum interfecto, Civitatem ejus in suam redegit potestatem. Ludovicus Pius, *omnium orientalium Sclavorum*, hoc est, Abotritorum, Soraborum, Wilsorum, Behemannorum, Maruanorum, Predenecentorum (*b*) & in Pannonia residentium Abarum Legationes excepit. *Ad ann.* 823. Liudevitus relictis Sorabis, quum in Dalmatiam ad Liudemillum avunculum Bornæ Ducis pervenisset, & aliquantum temporis cum eo moratus fuisset, dolo ipsius est interfectus.

VI. Chrobatia, & Serblia.

Ex his colligitur, primo, *Dalmatiam*, juxta Francicos Scriptores seculo nono a Liburnia sejunctam fuisse, quum Borna dicatur non unius Dalmatiæ, sed *Dalmatiæ*, & *Liburniæ Dux* fuisse, tamquam duarum distinctarum regionum. Secundo, *Sorabiam*, Eginhardo memoratam, *Dalmatiæ Mediterraneæ*, quam Farlatus *Transalpinam* vocat, conterminam esse; imo *Sorabos* magnam illius Dalmatiæ partem, temporibus Ludovici Pii, occupasse: ac proinde eam *Sorabiam* non aliam fuisse Provinciam, nisi quam idem Farlatus ex Byzantinis Scriptoribus *Serbliam* appellat, eamque Tom. 1. pag. 123. sic describit, præmissa hujusmodi *Chrobatiæ* divisione. „ Chrobatia erat omnis divisa in partes tres: Maritimam, Mediterraneam, & Interamnensem. Chrobatiam Maritimam a Septentrione Alpes, a meridie Mare Adriaticum, ab Occasu Istria, sive Alvona Civitas, ab Oriente Zentina fluvius definiebant, nisi quod ab hac regione ultra Zentinam paululum producta, Serbliam attingebat. Mediterranea inter Savum, & montes, partem veteris Japydiæ Transalpinæ, partemque veteris Pannoniæ Australis occupaverat, & uti nunc, sic olim ab occasu Carniolia, ab ortu Bossina terminabatur. Chrobatia Interamnensis eadem est, ac Pannonia „ Savia,

---

a *Siscia* in ripa *Savi* fl. ad meridiem sita.

b *Predenecenti*, gens Abotritorum, contermina Bulgaris, Daciam Danubio adjacentem incolens. Eginhard. ad ann. 824. Iidem proinde ac Patzinacitæ.

„ Savia, Dravo Savoque interjecta: Ab occasu Noricum habet finitimum, ubi nunc pars Styriæ & Carinthiæ, atque in ortum producitur usque ad Danubium, qui ab Septentrione in meridiem cursum detorquens, eam sejungit ab ea parte Hungariæ, quam olim Jazyges Metanastæ incolebant. Nunc quod a Chrobatis acceperat, nomine amisso, communi Slavorum vocabulo appellatur Slavonia „. Pergit *Serbliam*, quæ eadem est cum Eginhardi *Sorabia*, describens. „ Serblia [*inquit*] pars Dalmatiæ Cisalpinæ Orientalis, ab Zentina fere initium ducit; nisi quod pars Inalpina inter Zentinam & Naronem, quem Porphyrogenitus cap. 30. Orontium vocat, ad Chrobatiam pertinet: *Oraque Maritima*, inquit, *contermina est Paganis* (quorum regionem ab Orontio usque ad Zentinam paulo post producit:) *Montana vero ad Septentrionem Chrobatis: quæ in fronte Serbliæ*. In ortum autem porrigitur usque ad montem Scardum ab Aquilone in Austrum vergentem, quo a Dardania, & ad Drilonem fluvium, quo a Macedonia, sive ab Epiro nova, disjungitur. Serbliam Cisalpinam in quatuor partes tributam fuisse Porphyrogenitus cap. 30. docet, quarum unam incolebant Zachlumi, alteram Terbuniatæ & Canalitæ, tertiam Diocletiani; quartam qui Slavorum lingua Pagani, quod expertes essent Baptismi, ab Romanis vero Arentani appellabantur. Hi omnes Serbli erant, qui agro egentes, quem incolerent, ad Heraclium Imperatorem confugerunt „. Tum descriptis *Paganiæ*, *Zachulmiæ*, *Terbuniæ Canalisque*, & *Diocletanæ* finibus, a maritima Serblia ad mediterraneam transitum faciens: „ Nec solum Serblia [*inquit* „ *pag.* 124.] eam Dalmatiæ Cisalpinæ partem, quæ spectat in Solem orientem, occupavit, sed Alpes transgressa, quidquid Transalpinæ Dalmatiæ ad ortum vergentis inter Savum & montes, Chrobati vacuum intactumque reliquerant, & longius secus Danubium progrediens, Mæsiam superiorem in suum jus ac nomen redegit. Hinc duplex extitit Serblia Mediterranea; altera Savo & montibus interjacens, inde incipit ab occasu, ubi definit Chrobatia, & in longitudinem porrigitur usque ad Drinum, qui oriens è Scardo monte in Savum influit: hæc a Bosna fluvio regio-

„ nem

„ nem illam interluente Bosniæ seu Bosnæ nomen accepit, cui „ duas præcipue urbes Porphyrogenitus attribuit: *in agro*, „ inquit cap. 32. *Bosona Catera*, *&* *Desnec*; hujus pars ad „ meridiem vergens, a fluvio cognomine, quo alluitur, de- „ nominata est Rama, regali quondam titulo insignis, quo „ uti solebant Reges Hungariæ. Altera vero, quam Drinus „ & mons Scardus ab occasu, Danubius a Septentrione, Bul- „ gariæ fines ab Oriente, initia montis Hæmi a meridie defi- „ niunt, commune gentis nomen sibi uni vindicavit, hodie- „ que retinet, ac Servia vulgo appellatur. Pars Serbliæ in Au- „ strum obversa, quæ olim dicta est Dardania, ab Rasca flu- „ vio per eamdem labente, *Rasciæ* nomen sibi adscivit; „ quamvis non desint, qui eam Serbliæ partem, quæ in Aqui- „ lonem spectat, Rasciæ vocabulo afficiant „. Mox relatis ex Porphyrogen. cap. 32. Serbliæ baptizatæ quæ habitantur, sex urbium nominibus, concludit: „ Itaque Dalmatia septimo „ Seculo, sub adventum Slavorum, quidquid cis ultraque „ montes obtinebat, id fere totum Chrobatiæ & Serbliæ ces- „ sit; ipsa vero in angustum adducta, civitates aliquot mari- „ timas insulasque in sua potestate retinuit, quæ quum in fide „ ac ditione mansissent Imperatorum Orientalium, vetus Dal- „ matiæ nomen servarunt. *Et post pauca*. Quare sub domina- „ tu Slavorum, Dalmatia tripartitam divisionem subiit: pars „ una assumpto Chrobatiæ nomine, Chrobatis obtigit. Alte- „ ra obvenit Serblis, a quibus Serblia est nominata: Tertia „ antiquo Dalmatiæ vocabulo retento, in fide permansit ac „ potestate Imperatorum Orientis. *Et supra pag.* 122. *col.* 2. „ Chrobati ergo Serblique universam propemodum Dalma- „ tiam cis ultraque montes, concessu Heraclii, & Abaribus „ expulsis, adepti, duas partes inter se fecerunt; Quæ vergit „ ad occasum, Chrobatis obtigit, & Chrobatia dicta est: quæ „ vero pars in Solem Orientem spectat, Serblis obvenit, & „ Serbliæ nomen assumpsit „. Nimirum, apud Græcos Scri- ptores, quemadmodum ex Porphyrogenito Farlatus recte de- monstrat. At vero Rerum Francicarum Latini Scriptores us- que ad Sæculum decimum, *Dalmatiam*, ut supra vidimus, a Pannonia sejunctam, a Mari Adriatico usque ad Dravum & Danubium protendunt; ejusque partem non exiguam a *Sorabis*

occupatam quum dicant, illam Dalmatiæ partem proculdubio significant, quæ a Serblis juxta Farlatum *Serbliæ* nomen accepit.

VII. Sorabia, & Sorabi, non differunt a Serblia & Serblis.

Quæ quum ita sint, luce clarius apparet, *Dalmatas* & *Sorabos*, de quibus Annalista Fuldensis ad ann. 856. sic ait: „ Mense Augusto Ludovicus Rex collecto exercitu, per Sorabos iter faciens, Ducibus eorum sibi conjunctis, Dalmatas prælio superat, acceptisque obsidibus tributarios fecit: inde per Boëmanios transiens, nonnullos ex eorum Ducibus in deditionem accepit „: *Dalmatas*, inquam, & *Sorabos* illos, non alios esse, quam *Slavos*, *Serviæ*, & *Chrobatiæ* incolas, quarum regionum descriptionem modo ex Farlato exhibebam. *Dalmatas* quippe Annalista iste, unacum Eginhardo supra laudato, ejus *Chrobatiæ* incolas vocat, quæ a Farlato *Maritima* dicitur, quæque *paululum ultra Zentinam producta*, *Serbliam idest Serviam attingebat*; ad hanc enim *Chrobatiam* sive *Dalmatiam* Ludovicus per *Soraborum* seu *Serblorum* fines exercitum traduxit, & *Ducibus* eorum *Serblorum* sibi conjunctis, *Dalmatas Chrobatos* prælio superavit, acceptisque obsidibus, tributarios fecit: & *inde*, (ex devicta nempe Chrobatia,) conversis in Septentrionem itineribus, per *Bohemiam* transiens, nonnullos ex Ducibus eorum *Bohemorum*, qui & ipsi rebellionem moliti fuerant, in deditionem accepit. Recole quæ supra recitavi de *Borna Dalmatiæ* & *Liburniæ* Duce, deque *Liudevito Pannoniæ inferioris Duce*, relicta *Siscia* ad Savi ripas posita urbe, ad *Sorabos*, quæ *natio magnam Dalmatiæ partem obtinebat*, fugiente, eodemque, relictis *Sorabis*, in *Dalmatiam ad Liudemullum Bornæ avunculum* transeunte. Quę itineris ratio apprime convenit in *Dalmatiam* & *Serbliam*, quam modo describebam; ab illa vero *Daleminicia* seu *Delmantia*, hodiernæ *Misniæ* regiuncula, longe abest. Hæc lucem accipiunt ex iis, quæ Constantinus Porphyrogenitus tradit de *Slavis Chrobatis* & *Serblis*, qui ex magna Chrobatia & Serblia, ultra Turciam sive Hungariam, prope Franciam posita, hoc est *sita* juxta montes Carpathios inter Poloniam, & Hungariam Transylvaniamque procurrentes, advenerunt, trajectoque Danubio, Dalmatiæ modo descriptæ loca occupantes, Chrobatiæ Serbliæque nomen dederunt.

Duplex

VIII. Duplex Chrobatia & duplex Serblia.

Duplex quippe *Chrobatia* (*a*) & *Serblia* distinguenda est: primigenia videlicet, quæ & *Alba* & *Magna* appellatur, quæque, ut modo dicebam, trans Danubium inter Daciam & Sarmatiam sita erat: altera, ex illa priore proficiscens, in Dalmatia cis Danubium ab Heraclii temporibus usque in hodiernum diem ponitur. Utramque Porphyrogenitus commemorat: & de Chrobatia quidem cap. 30. sic scribit ,, Chrobati, qui Dalmatiæ partes nunc (idest anno Chr. 949. quo ille scribebat) inhabitant, a Chrobatis Baptismi expertibus, qui & Albi appellantur, originem ducunt, qui sane ultra Turciam incolunt, & contermini sunt Sclavis Serblis non baptizatis ,,. De Serblia vero cap. 32. ,, Sciendum est Serblos oriundos esse a Serblis non baptizatis, qui etiam Albi cognominabantur, & ulteriora Turciæ incolunt in loco ab illis Boici nuncupato, cui finitima Francia est, uti & magna Chrobatia Baptismi expers, quæ etiam Alba cognominabatur ,, . Ex hac positione utriusque gentis (verba hæc sunt Farlati Tom. 2. pag. 318.) quam Porphyrogenitus designavit, colligitur, Chrobatos eam Sarmatiæ, nunc Poloniæ, partem intra Carpathios montes incoluisse, quæ ad austrum vergit, cuique ab occasu Francia, nunc Germania; a Meridie Turcia, nunc Hungaria, superior, finitima est. Nec longe aberat regio Serblorum, quibus Chrobatos conterminos fuisse Porphyrogenitus docet. Quare emendanda est charta Geographica, quam Anselmus Bandurius libro ejusdem Porphyrogeniti de Admin. Imp. præfigit, ubi Chrobatia quidem Alba intra montes Chrobatos seu Carpathios recte locatur; at vero Serblia Alba cis Danubium ibi perperam ponitur, ubi Pannonia superior inter Dravum & Danubium sita erat, Noricos habens ad occasum. Utrique enim Albi, Chrobati scil. & Serbli, ultra Danubium ad septentrionem in Sarmatia inhabitabant. Itaque ex primigenia illa ipsorum Sede Chrobati & Serbli, transmisso Danubio, ab Heraclio (*b*) Imp. per legatos petierunt, ut se in suam clientelam ditionemque imperii reciperet, & quas vellet sedes agrosque in provinciis Romanorum assignaret. Heraclius haud ægre illorum

 postu-

a Vide quæ de sedibus Chrobatorum & Serblorum ex Porphyrogenito narravi Tom. 1. a pag. 313.

b Farlatus Tom. 1. pag. 122. & Tom. 2. pag. 318.

postulatis indulsit; & quum ob clades ab Saracenis illatas, & vires copiasque diminutas, recuperandæ Dalmatiæ neque spes, neque facultas suppeteret, utrisque populis auctor fuit, ut Abares Slavosque injusta Dalmatiæ possessione expellerent, eamque regionem iisdem ereptam sub ea conditione habitandam tradidit, ut annuo tributo suam erga Imperatores Orientis fidem & observantiam declararent. „ Atque hi ipsi Chro-
„ bati (inquit Porphyrog. cap. 31.) ad Romanorum Imp. He-
„ raclium confugerunt, antequam Serbli confugissent ad eun-
„ dem Imp. Heraclium, quo tempore Abares armis inde Ro-
„ manos ejecerant. Pulsis vero Romanis ab Abaribus tempore
„ ejusdem Imp., desolata eorum regio jacuit: quapropter jussu
„ hujus Imp. Heraclii, iidem Chrobati arreptis armis Abares
„ ex illis locis expulerunt, & in ipsorum terra, quam hodie te-
„ nent, sedes collocarunt „. De Serblis vero hæc subjicit cap. 32. „ Aliquanto vero post visum est Serblis (quibus in Macedonia sedes haud multo ante assignatas fuisse, supra dixerat:)
„ in terram suam redire: & dimisit quoque illos Imperator;
„ sed quum trajecissent Danubium (*ut in Sarmatiam, unde*
„ *prius venerant, redirent*) pœnitentia ducti, per Prætorem,
„ qui tunc temporis (*a*) Belegradum administrabat, ab He-
„ raclio Imp. petierunt, aliam sibi terram ad inhabitandum as-
„ signa-

---

a Grecè, *Βελέγραδον*. Hujus nominis loca quatuor reperio. I. *Belegradum*, urbs Serviæ, in Rascia regione, antea *Alba Græca* dicta, & quibusdam etiam *Taurunum*, ad ripam Danubii, ubi recipit *Savum*. II. *Belgradum*, urbs Hungariæ, quæ & *Alba Regalis*, Slavis *Stolm Biograd*, Germanis *Stulwissemburg*, ad fluvium *Sarvvice* dictum: alias caput Regni Hungariæ. III. *Belgradum*, urbs Dalmatiæ, quæ & *Alba maris*, nunc vicus exiguus, teste Farlato tom. I. pag. 144. qui a nautis *Jadera vetus* nominatur. IV. *Belgradum*, vicus prope fluvium *Hydralem*, qui influit in *Barbysem* fornicibus diruptis, quibus Constantinopolim ducebatur, teste Petro Gyllio de Bosporo Thracio lib. 2. cap. 3. edit. Paris. pag. 278. Porro ex locorum dispositione manifestum fit, Porphyrogenitum de primo *Belogrado* loqui, ad ripam Danubii sito, ubi Savus in Danubium influit. Sic enim & Cellarius antiq. Geogr. lib 2. cap. 8. pag. 561. hunc Porphyrogeniti locum interpretatur, inquiens: „ Tandem
„ Taurunum est, antiquum oppidum, in cujus situ errare non possumus. Plinius
„ enim lib. 3. cap. 25. clare monstrat. *Bacuntius*, inquit, *in Saum Sirmio oppido*
„ influit. Inde 45. M. *passuum Taurunum, ubi Danubio miscetur Tacus*: quo loco
„ hodie Alba Græca est, quæ etiam Belgrad. (quod nomen etiam apud Constantinum
„ Porphyrog. de Admin. Imp. cap. 32 legitur, *Κάστρον τὸ Βελεγραδα ἐπονομαζόμενον*
„ nostris Grichisch Weissenburg vocatur „. Pannoniæ adscriptum suisse, mox demonstrat: Quidquid Baudrandus dicat, Taurunum a Belgrado diversum fuisse, situmque 3. milliaribus infra confluentes Savi in Danubium occidentem versus, ex tabulis Peutingerianis, ipsumque Belgradum ex Tauruni ruinis crevisse. Bandurins vero dum

,, signare vellet. Quumque ea, quæ nunc Serblia dicitur, & ,, Paganía, quæque Zachlumorum terra vocatur, item Terbunia & Canalitarum regio, quæ Imperatoris Romanorum ,, erat, propter Abarum excursiones desertæ essent, expulsis Romanis, qui nunc Dalmatiam (*Maritimam*) atque ,, Dyrrhachium incolunt, regiones illas Serblis habitandas dedit,,. Ergo Chrobati e Sarmatia (uti subjungit Farlatus Tom. 2. pag. 318.) profecti, per Pannoniam, ingentibus copiis magnisque itineribus in Dalmatiam contendunt; Babios montes quum transcendissent, Abaribus & Slavis, qui Dalmatiam inferiorem occupaverant, bellum intulerunt; quod quidem aliquot annos tenuit, antequam cum iisdem debellatum esset, ut tradit Porphyrog. cap. 30.,, Ubi Abares incolas invenerunt, ,, belloque per annos aliquot inter eos gesto, vicerunt Chrobati, Abarumque alios quidem interfecerunt, alios vero parere sibi coëgerunt: atque ex illo tempore a Chrobatis possessa hæc fuit, suntque etiamnum in Chrobatia Abarum reliquiæ, & Abares esse cognoscuntur,,. Sub idem fere tempus Serbli, Ardiis montibus superatis, in Dalmatiam superiorem effusi, adversus Abares Slavos, qui suas in hac regione sedes locaverant, egregie pugnarunt, & multis præliis victos, maximisque cladibus attritos excedere coëgerunt. Ita, Dalmatia mediterranea Abaribus eorumque sociis Slavis ademta, Heraclii permissu, potiti sunt Chrobati & Serbli: utrique vero populi, quam quisque partem jure belli acquisierat, eam dispertitis per agros atque oppida familiis, sibi vindicarunt. Duas enim inter se partes fecerunt: quæ vergit ad occasum, Chrobatis obtigit, & Chrobatia dicta est; quæ vero pars in solem Orientem spectat, Serblis obvenit, & Serbliæ nomen assumsit; partem utramque Nestus seu Tilurus fluvius discriminabat. Exinde tota hæc regio stabilis fuit ac perpetua sedes Slavorum, a quibus linguam, mores, instituta, & vocabula topographica accepit. Atque

dum Animadversion. in lib. Porphyrogen. de Adm. Imp. edit. Paris. pag. 97. Belgradum, **Βελέγραδον**, ***Beligradum Latine Belgradum*** vel ***Alba maris***, ad differentiam tam ,, Albæ Hungaricæ, quæ Regalis, quam Serviæ, quæ Græca dicebatur: nautis ,, autem *Zara vecchia* appellatur,,: Dum hæc, inquam; Bandurius de Belgrado commentatur, non ad hunc, de quo loquimur, Porphyrogeniti locum respicit, sed ad ea quæ paulo superius cap. 31. idem Porphyrogenitus de Chrobatis Dalmatiæ loca incolentibus scripserat: ,, Baptizatæ vero Chrobatiæ urbes habitatæ istæ sunt. Nona, Belogradum, Belitzin, Scordona, Chliebena &c.

IX. Serbli & Chrobati e magna Serblia & Chrobatia in Dalmatiam advenientes.

Atque hæc de Chrobatis & Serblis e magna Chrobatia & Serblia in Dalmatiam advenientibus. Non omnes tamen patriis Sedibus relictis Danubium trajecisse, ut ibi sedes sibi quærerent, quas ex Porphyrogenito modo describebam, idem Porphyrogenitus tradit cap. 30. ubi quum dixisset Hunnos Abares antea Dalmatiam universam (præter maritima quædam) occupasse, subjungit: „ Videntes itaque Abares pulcherrimam „ esse hanc terram (*Dalmatiam scil. quæ usque ad Danubium* „ *a mari Adriatico in septentrionem extendebatur*) sedes illic „ posuerunt. Chrobati vero tunc [*ante Heraclii tempora*] habitabant ultra Bagibariam [*idest*, *ultra Babios sive Carpathios montes*] ubi nunc sunt Belo-Chrobati. Una autem generatio, nempe quinque fratres, Clucas, Lobelus, Cosentzes, Muchlo, Chrobatus, duæque sorores Tuga & Buga, unacum suis populis discedens ab ipsis [*Belochrobatis*] „ in Dalmatiam venit, ubi Abares incolas invenerunt; belloque per annos aliquot inter eos gesto, vicerunt Chrobati, „ Abarumque alios quidem interfecerunt, alios vero parere „ sibi coëgerunt: atque ex illo tempore a Chrobatis possessa „ hæc regio fuit „. Idem de Serblis tradit cap. 32. „ Serbli „ (*a*) oriundi sunt a Serblis non baptizatis, qui etiam Albi „ cognominantur, & ulteriora Turciæ incolunt in loco ab illis „ Boici nuncupato, cui finitima Francia est, uti & magna „ Chrobatia baptismi expers, quæ etiam Alba cognominatur. „ Illic igitur initio Serbli hi habitabant. Principatu autem Serbliæ a patre ad duos fratres devoluto, alter sumpta populi „ parte dimidia, ad Romanorum Imp. Heraclium confugit: „ qui & excepto, locum ad inhabitandum dedit in Thessalonicæ Themate, qui ex eo tempore Serblia nuncupatur „. Cætera de secunda horum Serviorum Sede, paulo superius recitavi. Ex quibus intelligitur, tam Chrobatos, quam Serblios, in antiqua Serblia & Chrobatia permansisse, aliqua tantum eorum multitudine in Dalmatiam transmigrante. Id quod de Chrobatis etiam clarius affirmatur a Porphyrog. cap. 30. ubi sic ait: „ Cæteri vero Chrobati versus Franciam commorabantur, & „ appellantur hodie Belochrobati, sive Chrobati Albi, qui „ pro-

a Græcè, ubique *Serbli*, & *Serblia*. Latinus Interpres, *Servii*, & *Servia*. Quo de nomine, recole dicta Tom. 1. pag. 360.

„ proprio Principi subjecti sunt: parent autem Othoni magno „ Regi Franciæ quæ & Saxonia; baptismique expertes, affi„ nitatem cum Turcis & amicitiam contrahunt. At a Chroba„ tis, qui in Dalmatiam venerant, pars quædam secessit, & „ Illyricum atque Pannoniam occupavit; habebantque etiam ipsi „ Principem supremum, qui ad Chrobatiæ tantum Principem, „ amicitiæ ergo Legationem mittebat „. Ubi Farlatus Tom. 1. pag. 123. *Pannoniæ* nomine, intelligit *Pannoniam Saviam* inter Savum & Dravum; Illyrici autem vocabulo, *Mæsiam superiorem*. Ego vero de Pannonia quidem Savia nullum dubium moveri posse affirmo: hinc enim a Chrobatis Slavis, qui eam regionem possederunt, *Slavoniæ* nomen accepit, uti in charta Farlati Tom. 1. inter pag. 298. & 299. appellatur. At vero circa *Mæsiam superiorem*, eidem Farlato consentire nequeo: nam primo ipsemet Farlatus Tom. 1. pag. 174. col. 2. *Mæsiam superiorem* Serblis, non Chrobatis assignat, sic scribens: „ Duæ sunt inter Æmum montem & Danubium Mæsiæ, „ seu Mysiæ. Prima, quæ Superior, & secunda, quæ Infe„ rior appellatur. Guid. Pancirol. Utramque olim discrimina„ bat Ciabrus flumen. Utraque olim ad Illyricum pertinebat, „ a quo Constantinus secundam avulsit, quæ nunc dicitur Bul„ garia. Prima vero (*hoc est, superior*) ab Serblis nomen „ Serviæ accepit „. Deinde Porphyrogenitus dum *Zupanias*, in quas regio Chrobatorum divisa est, recenset, aperte ostendit, *Illyrici* nomine non *Mæsiam superiorem*, sed *Illyricum proprium*, intelligi, quale ex Ptolemæo, Plinioque idem ipse Farlatus Tom. cit. pag. 82. describit, nimirum „ *Ab Istriæ* „ *finibus initium ducens ab Arsia flumine, & usque ad Dri*„ *nium sive Drilonem productum* „. Porphyrogeniti verba hæc sunt: „ Divisa autem est eorum (idest Chrobatorum) regio „ in Zupanias XI., quarum nomina, Chlebiana, Tzentzena, „ Emota, Pleba, Pesenta, Parathalassia, Brebera, Nona, „ Tzena, Sidraga, Nina: ipsorumque Banus tenet Cribasam, Litzam, & Gutzecham „. Quæ urbes quum fere omnes maritimæ sint, in Illyrico proprio contineri eas oportet: „ Cæterum in relatis Zupaniis (inquit Lucius & ex ipso Ansel„ mus Bandurius) maritimæ ut plurimum regiones numeran„ tur „ In tres quippe partes regio Chrobatorum, juxta Porphyro-

phyrogeniti mentem, divisa fuit: quarum Superior, Savia sive Slavonia inter Savum & Dravum: altera inferior ad Mare Adriaticum ut plurimum, ab Arsia scil. usque ad Drilonem: tertia media inter primam & secundam in Dalmatia, quam Transalpinam Farlatus appellat. Hanc tertiam Chrobati primum tenuere: Superiorem vero & inferiorem partem ii Chrobati occuparunt, qui postea secessione facta, partim in Pannonia versus septentrionem, partim in Illyricum versus meridiem seu mare Adriaticum perrexere. At vero Porphyrogenitus Zupanias Chrobatorum describens, omissis illis Zupaniis quæ Dalmatiam Transalpinam & Pannoniam regebant, Illyricianas dumtaxat, utpote sibi magis cognitas persecutus est: Unde Bandurius ex Lucio in Animadvers. ad memoratas XI. Zupanias: „ Ideo (inquit) vel Duces, sive Bani a Porphyrogenito memorati, maritimam tantum Croatiam possederunt; vel ipse „ in rebus occidentalibus parum versatus, multa omisit „. Eodem redit Lucii & Bandurii expositio, qui Pannoniam pro Savia, & Illyricum pro *Dalmatia*, idest, maritima, accipiunt. „ Hic, inquiunt, Porphyrogenitus Illyricum a Pannonia sejungit, quum supra Dalmatiam usque ad Danubium extendendo, Pannonias in Dalmatia incluserit, ut dictum est. „ Ideo hic Illyricum pro Dalmatia: Pannonia vero, pro Pannonia Savia sumenda est, quum reliquas Pannonias tunc, & „ posterioribus temporibus Avares possederint, ut patebit; „ tuncque Croatos e Dalmatia recedentes, eam partem Pannoniæ occupasse, quæ olim Savia, sive Interamnia diceba- „ tur, inter flumina scil. Sava & Drava, nomenque regioni, „ a generali nomine Slavorum, particulare Slavoniæ indidisse censendum est, quod hodie etiam servant, & communi „ lingua utuntur „. Nisi quod de Illyrico, ad quod e Dalmatia recesserunt, Bandurius & Lucius, quidnam sit, non exponunt. Quis enim intelligat, *e Dalmatia illos in Dalmatiam secessisse*; nisi subjungatur, e Dalmatia transalpina ad Dalmatiam maritimam illos migrasse? Quonam denique anno illa Chrobatorum in Pannoniam Saviam, & in Illyricum secessio contigerit, dixi supra cap. 3. num. 2.

X. Dalmatarum & Soraborum nomina ultra Danubium propagata.

Ad rem nostram regredior. *Dalmatæ*, quos Ludovicus Germaniæ Rex per Sorabos transiens, prælio superavit, ipsi *Chro-*

Chrobati Slavi erant, Pannoniam ideſt Saviam, & Dalmatiam Tranſalpinam tenentes; *Sorabi* vero non alii a *Serbliis*, Ciſalpinam Serbliam occupantibus. Sicuti enim *Slavorum* nomen latiſſime patens, Dalmatas, Chrobatos, Serblos, Winidos, alioſque, a mari Adriatico uſque ad extremum Septentrionem, & a Noricis uſque ad Pontum Euxinum complectebatur; ita & Chrobati, & Serbli non in unius provinciæ anguſtiis olim circumſcripti erant. Alii enim, ut vidimus, *Chrobati* & *Serbli Albi*, trans Danubium: alii vero, ejuſdem gentis ac nominis populi, Danubio trajecto, terras inter Dravum & Savum, aut etiam uſque ad mare Adriaticum incolentes. Similiter *Dalmatæ* & *Sorabi*, ſive *Serbli*, partim in Dalmatia & Serblia inter Adriaticum & Danubium habitantes; partim in Germaniam propagati, ab Illyricis longo terrarum ſpatio ſejuncti. Hinc cl. Farlatus Tom. I. Illyrici ſacri pag. 118. e *Dalmatia Illyrica* (addere poterat, *& e Serblia Illyrica*) in Germaniam prolatum *Dalmaticum*, *Sorabicumque* nomen, hoc Annaliſtæ Fuldenſis teſtimonio oſtendit. „ Sorabos [inquit] olim dictos fuiſſe, quos nunc *Miſnenſes* vocant, Rerum Germanicarum ſcriptores conſentiunt. *Et poſt pauca*. In eodem „ Chronico (Fuldenſi ſcilicet) Dalmatas Sorabiæ & Bohemiæ „ finitimos invenio: quippe in eo ſcriptum eſt, *Dalmatas*, „ *Bohemos*, *Sorabos*, proſperis Nortmannorum ſucceſſibus ad „ ſpem recuperandæ libertatis erectos fuiſſe. Idem confirmant „ duo MSS. Codices, Auſpergenſis, & Labacenſis, quos citat „ Ludovicus Schonlebius (Annal. Carn. Part. 3. ubi Dalmatiam Germaniæ adſcribit). In priore hæc leguntur: *Henricus* „ *Cæſar Dalmatiam ſubjugatam Romano Imperio tributariam* „ *fecit*„. In altero: „*Cæſar Henricus Auceps Dalmatas debellat*, „ *& ſibi tributarios facit. Hungari viſa Dalmatarum fortuna, viceverſa invadunt Moraviam, Bohemiam, & Saxoniam, rapinis, cædibus, incendiis, omnia profanantes, quos* „ *Henricus cum ſuis accurrens, diſſipat, & partim cædit, partim in fugam vertit*. E regionibus, quæ ab Henrico poſt devictos Dalmatas, vel in deditionem receptæ, vel depulſis „ Hungaris pacatæ commemorantur in ſecundo Codice, facile intelligi poteſt, de quibus Dalmatis uterque Codex loquatur; nam de Illyricis Dalmatis ne ſuſpicari quidem licet, „ quip-

„ quippe qui ab illis regionibus longe gentium aberant. Præterea nusquam literis ac memoriæ proditum invenio, Henricum cognomento Aucupem, qui anno Chr. 919. Imperium adeptus est, quidquam rei habuisse cum Dalmatis nostris; quum cæteroquin res ab eo in Germania præclare gestas, partasque de Hungaris victorias, Auctores illorum & consequentium temporum scriptis accurate mandaverint. Sed de hac re Sigebertus, & Witichindus sententiam suam apertius explicant, & nullum relinquunt dubitandi locum, quin Dalmaticas Henrici victorias ad Dalmatas Germanos referri oporteat. *Rex Henricus* (ait Sigebertus ad ann. 928.) *Gronam urbem Dalmatiæ capit, & Dalmatis tributum imponit*. Nulla est in Dalmatia Illyrica civitas, cui Gronæ nomen fuerit. Grona in Germania haud longe distabat in meridiem a Brennaburgo urbe in finibus Saxoniæ, teste Witichindo, qui Dalmatiæ Germanicæ vocabulum auxit una litera intermedia. *Cepit urbem Brenneburg ferro, fama, frigore: cumque illa urbe, & regione potitus, signa vertit contra Dalmantiam, adversus quam jam olim reliquit illi Pater militiam, & obsidens urbem, quæ dicitur Grona &c. posthæc Pragam adiit*. Porro Henricus, cæsis Hungaris Germaniam depopulantibus, & victoriam insignem adeptus, Episcopis & primoribus ex universa Germania adscitis, concilium frequentissimum convocavit, cui interfuisse scriptum est in Chronico Alberstadensi *Vvinceslaum Bohemiæ & Delmantiæ Ducem*. Johannes Pessina in hist. Eccles. Prag. descriptis illius Chronici verbis hanc notam apposuit: *Delmantia pars est hodiernæ Misniæ, Bohemiæ vicinior*. Demum Aimoinus Annalium Francorum scriptor Sorabos, nunc Misnenses, inter Populos Dalmatiæ, apud Baudrandum in Lexico, annumerat, sive quod Sorabi finitimi essent, conjunctique cum Dalmatis Germanis, sive quod Dalmatia Germanica longius se in occasum extenderet, suoque vocabulo Sorabos etiam amplecteretur. Quemadmodum ergo sua erat Illyrico Dalmatia, ita suam Germaniæ Dalmatiam attribuere nos cogit tam gravis tamque consentiens tot scriptorum & Codicum auctoritas; neque illam aliunde, quam ex nostra Illyrica, quæ longe antiquior fuit, genitam quo-

„ dam-

„ dammodo & propagatam fuiffe neceffe eft „. Mox eorum opinionem refellit, qui exiftimant, librariorum vitio factum, ut pro *Daleminçia* & *Dalemincii*, obrepferit, *Dalmatia* & *Dalmatæ*: Daleminciam autem Baudrandus commemorat in Lexico V. *Sorabi*, fic fcribens: „ Sorabi, populi fuere Germaniæ, „ quorum meminere Eginhartus & Aimoinus, qui & Sclavi „ etiam dicti fuere, ut quidam (*a*) putant, & habitarunt „ verfus Albim & Salam, ubi nunc Mifnæ urbis territorium, „ quod quondam Dalemincia, & a Bohemis Sirbia vocatum „ fuit, ut fcribit Georgius Fabricius in libro Mifnicarum re„ rum: Eorum fit mentio in Annalibus Bertinianis ad ann. 816. „ uti in Annalibus Metenfibus verfus ann. 849. & circiter „. Eam igitur de *Daleminciis* fententiam Farlatus Tom. cit. p. 118. col. 2. fic rejicit: „ Sunt tamen qui contra fentiunt, & nullam „ effe Dalmatiam illam Germanicam exiftimant; locos autem „ omnes, quos citavimus, mendo fubeffe & correctione indi„ gere affirmant. Georgius Fabricius in eo libro, quem de „ rebus Mifniæ fcripfit, Dalemincios nefcio quos, & Dale„ minciam nefcio quam comminifcitur, in quorum locum Dal„ matia & Dalmatæ irrepferint. Verum difficile eft tot fcri„ ptores & Codices erroris arguere; five enim in ipfos aucto„ res, five in librarios culpam contuleris, non eft profecto „ verifimile (quum nec pauci fint, & locis ac temporibus in„ ter fe disjuncti, qui Dalmatiæ in media Germania locum „ attribuunt) omnes tamen in eodem vocabulo vel adhiben„ do, vel depravando confenfiffe. Facilius dixerim, qui „ Dalmatæ initio dicebantur, eos poftea depravatione voca„ buli factos effe Dalemincios, & Dalmatiam interpofita lite„ rarum variatione in Daleminciam migraffe „. Hæc vir doctus de vocabulo.

Tum inveftigare pergit, quinam auctores extiterint hujus Dalmaticæ propagationis, & per quos nomen Dalmatiæ in Germaniam illatum fuerit. „ Antequam (inquit) Heraclius Imp. „ Chrobatis & Serbliis populis Slavis in fuam fidem & clien-

 „ telam

a *Sorabi Sclavi* difertim appellantur in Annal Bertin. ad ann. 816. „ Saxones „ & Orientales Franci expeditionem in Sorabos Sclavos, qui dicto audientes non „ erant, facere aufi &c. „ & Annal. Metenf. ad ann. 849. „ Thaculfus Dux Sorabici limitis, ut pote fciens leges & confuetudines Slavicæ gentis.

„ telam receptis agros & ſedes in Dalmatia aſſignaret; plures „ Slavorum copiæ e Sarmatia magna [ut ſcribit Cromerus „ apud Balbinum] profectæ, Stiliconis & poſtea Attilæ temporibus, occuparunt loca vicina Danubio: inde traſmiſſo „ Danubio, Myſiam, Pannoniam, Macedoniamque vexarunt, ac deinde in Illyrico & Dalmatia conſederunt. Duplicem Slavorum in Illyricum irruptionem Procopius lib. 3. „ commemorat; priorem anno belli Gothici XIII. Chr. 548. „ *Per id tempus Slavorum exercitus, flumine Iſtro trajecto,* „ *Illyrios omnes ad uſque Epidamnum* (a) *malis ingentibus* „ *affecere, partimque ſine ullo ætatis diſcrimine in ſervitutem* „ *quos licuit abigendo, & eorum bonis direptis deſæviebant.* „ *Adhæc præſidia illis in locis non pauca, & quidem prævalida, occupaverant.* Proinde pars aliqua Slavorum, cæteris „ poſt regionem late vaſtatam & regreſſis unde venerant, oppidis aliquot in ſuam poteſtatem redactis, jam inde ab anno 548. in Illyrico habitare cœperunt: & M. Velſerus de „ orig. Bohem. haud dubitat, quin per ea tempora Slavi ſedem in aliqua parte Dalmatiæ fixerint. Poſterior Slavorum „ in Illyricum irruptio anno belli Gothici XVII. facta, congruit cum anno Chr. 552. de qua Procopius: *Slavini ingenti multitudine Illyrios invadentes, malis inexplicabilibus* „ *affecere*. Nec deinceps [uti ibid. advertit Farlatus] deſierunt Slavi excurſiones in Dalmatiam & Illyricum facere, teſte Procopio: qui præterea tradit, Slavos, quum populabundi Theſſalonicam contenderent, metu Germani Magiſtri militum totius Thraciæ cum exercitu adventantis perculſos, averſo itinere fugam cepiſſe, & omnibus Illyrici „ montibus ſuperatis, in Dalmatiam intraſſe. Sæpius etiam „ Slavi cum Gothis permiſti, aliiſque barbaris, Dalmatiam „ vaſtarunt; & præſertim, Heraclio imperante, cum Abaribus „ inita ſocietate, tum alias Dalmatiæ urbes, tum Salonam „ everterunt.

His poſitis, ſic concludit Farlatus: „ E Slavis illis, qui „ conſederant in Dalmatia, plerique, incertum quo tempore, „ quamve ob cauſam, ad populares ſuos in Germaniam migra-

a Urbs Macedoniæ maritima, in ora maris Adriatici, nunc Dyrrhachium, *Durazzo* incolis, *Drazzi* Turcis. Baudrand.

,, grarunt. Satis constat universam illam regionem, quæ inter ,, Albim & Vistulam a Danubio usque ad mare Balthicum longe ,, lateque porrigitur, Slavorum Coloniis refertam fuisse, qui ,, partim e Sarmatia, vel e Palude Mæotide, unde oriundi ,, erant, partim e regionibus, quas citra Danubium occupa- ,, verant, illuc alii post alios confluxerant. Porro ex Illyrico ,, etiam & Dalmatia, eodem a Slavis migratum esse, tradunt ,, Scriptores, hujusque migrationis testem citant Svidam (*a*) ,, auctorem Græcum sane idoneum, qui apud Bohuslaum Bal- ,, binum hæc in hanc sententiam scripsit: *Slavi ex regione* ,, *trans Danubium primo venere: quumque finitimis sæpe ve-* ,, *nissent auxilio, terræ melioris occupandæ gratia, tandem* ,, *populariter transeuntes, in Illyrico consederunt; parsque* ,, *eorum deinde* Bohemiam *occupavit, & regionem proximam,* ,, *quam a Maraucha flumine Maravaniam appellant: nam* ,, *Marcomanni cum Hermunduris jampridem in Noricum &* ,, *Vindeliciam transierunt*. Hactenus Suidas (*b*), cui hanc ,, notam apposuit Balbinus: *Illyrici etiam provinciæ, Dalma-* ,, *tia & Croatia censebantur*; quas itidem provincias insede- ,, rant Slavi, e quibus deinde pars secessit migravitque in Bo- ,, hemiam, terrasque finitimas inter Albim & Vistulam inter- ,, jectas. Horum autem aliquos fuisse existimo, qui ex ea, un- ,, de discesserant, in eam ad quam venerunt, regionem, Dal- ,, matiæ vocabulum intulerint; præsertim quum ex indigenis ,, Dalmatis non defuerint, quos vel mutandi soli cupiditas, ,, vel inita cum Slavis affinitas & consuetudo perpulit, ut se ,, illis Bohemicæ migrationis socios adjungerent; id quod con- ,, firmari & illustrari potest conjectura haud improbabili, ex ,, historia rerum Bohemicarum desumpta.

XI.
Dalmantia & Daleminicia Germaniæ a Dalmatia Illyrici diversa.

Hactenus vir summus: nimirum, ex præconcepto èrrore circa Slavos è Dalmatia & Illyrico in Bohemiam & Poloniam migrantes: quem errorem supra confutavi cap. 3. §. VII. ad IX. ubi ostendi, Slavos omnes in Scythia quidem & Sarmatia indigenas; advenas vero in Germania, Pannonia, Bohemia, Polonia, Dalmatia, & Illyrico; non autem è Croatia aut Dal-

a Atqui Svidas de Slavis hæc tantum habet. Σκλαβηνοί. ἔθνος τὸ πέραθεν τοῦ Ἴστρου; *Sclaveni, gens ultra Istrum*. Quæ ergo sequuntur, de suo addidit Balbinus.
b Imo, *Balbinus ficto Suidæ nomine*.

Dalmatia, sed è septentrionali plaga, inter Vistulam & Borysthenem, in Bohemiam & Poloniam descendisse: proinde falsum esse quod à clar. viro asseritur, Slavos è Dalmatia in Germaniam ad populares suos migrantes, eo invexisse è regione, unde discesserant, nomen Dalmatiæ. Nunc ad ea quæ vir doctissimus profert. De nomine *Dalmatiæ* primum dicendum est. Miratur Farlatus, quod Witichindus *Dalmatiam* una litera intermedia auxerit, *Dalmantiam* vocans; Præterea Georgium Fabricium asserit *Daleminceos* nescio quos, & *Daleminciam* nescio quam comminisci, in quorum locum *Dalmatia* & *Dalmatæ* irrepserint. Verum meminisse idem ipse debuit eorum, quæ Tom. I. pag. 87. & 156. de *Delminio* urbe totius gentis olim primaria scripserat, quæ *Dalmatiæ* & *Dalmatis* nomen indidit. Sicuti enim apud antiquos scriptores ex *Delminio*, *Dalminio*, *Dalmio*, *Delmio*, *Delmino*, *Dalmo*, *Dalmana*, *Damna*, *Damnio*, *Delmi*, inditum est genti, & regioni nomen, *Dalmatia*, *Delmatia*, *Dalmatæ*, *Dalmienses*, *Delmatæ*: ita mirum non est, à recentioribus corrupta vocabula *Dalmatia*, *Delmantia*, *Dalemincia*, & *Daleminciі*. Atque hæc dicta sunto juxta mentem ejusdem Farlati, qui contendit, Dalmatas Germanicos ex Illyricis propagatos fuisse. Cæterum vero propius videtur, *Delmantiam*, *Dalmanciam*, *Dalemintiam*, depravatione vocabuli in *Dalmatiam* seu *Delmatiam* apud recentiores scriptores migrasse, quam viceversa *Dalmatiam* in Dalmantiam, seu Daleminciam, & *Delmatiam* in *Delmantiam*: Nam antiqui rerum Germanicarum scriptores disertim habent *Dalmantiam* & *Delmantiam*. Sic Witichindus de Rege Henrico: „ *Cepit urbem Breuneburg .... Et regione* „ *potius, signa vertit contra Dalmantiam* „. Et in Chronico Alberstadensi, frequentissimo concilio post cæsos Hungaros ab eodem Henrico celebrato, interfuisse dicitur inter alios Primores, *Wincesłaus Bohemiæ & Delmantiæ Dux*. Itaque libenter quidem Farlato assentior, *Delmantiam* Germanicam ejusque incolas à *Dalmaticis* Illyricis esse diversos: at vero hæc duo admittere nequeo: *Dalmantas* nempe Germanicos ab Illyricis *Dalmatis* profectos fuisse; & quos Ludovicus per Sorabos transiens, *Dalmatas* vicit, illos à Misnensibus non differre. Aliud quippe fuit Henrici cum Delmantis Germaniæ præ-

prælium, & aliud Ludovici cum Dalmatis Illyricis. De hoc secundo bello, clara sunt Fuldensis Chronographi verba, quæ supra recitavi, ubi *Sorabi*, per quos Ludovicus transiit, *magnam Dalmatiæ partem* obtinuisse perhibentur; proinde de ea sermo est Dalmatia, cujus potiorem partem Borna Dux, ejusque avunculus Liudemullus tenebat, reliquam ad Danubii ripam sitam Sorabi tunc temporis possidebant. Nam sicuti Moravorum Reges positis cis & trans Danubium regionibus usque ad Vinidos imperarunt; ita & sub Ludovico Sorabi trans Danubium habitantes, magnam Dalmatiæ cis Danubium partem obtinebant. Non item sub Henrico, quando Sorabi Transdanubiani suum inter Salam & Albim dominatum continebant.

XII. Primus Chrobatorum in Dalmatiam e Chrobatia Alba adventus sub Heraclio Imp. sub quo & Christianam Religionem sunt amplexi. Defectio autem Chrobatorum a Francis contigit post obitum Ludovici Pii Imp.

Huc accedit, quod frequentes sub Ludovico, *Chrobatorum* sive *Dalmatarum* defectiones usque ab anno 818. à Francicæ historiæ scriptoribus narrantur. Postremam defectionem Porphyrogenitus his verbis describit cap.30. „ Per aliquot vero annos etiam Dalmatiam incolentes Chrobati, Francis „ subjiciebantur, quemadmodum & antea, dum in ipsorum „ terra (*idest*, *in Chrobatia Alba*) degerent. Tanta autem „ in eos crudelitate utebantur Franci, ut lactentes adhuc eorum pueros occidentes canibus objicerent. Quæ res quum „ intolerabilis Chrobatis esset, facto dissidio, Principes quos „ ex ipsis habebant, interemerunt: Unde magnus contra eos „ exercitus movit è Francia, & post septem annorum bellum „ ægre tandem superiores facti Chrobati, omnes Francos, eorumque Principem Cotzilin è medio sustulerunt. Et exinde „ liberi, ac sui juris facti, Sacrum Baptisma à Romano Pontifice petierunt: missique Episcopi, ipsos baptizarunt, Principatum tenente Porino.

Bandurius, & Farlatus hanc Chrobatorum defectionem sub Heraclio Imp., non quidem Seniore, sed juniore, idest, Justiniano Rhinotmeto, contigisse, tradunt. Verba Bandurii accipe. „ Hæc Porphyrogenitus, inquit Lucius, de Croatis „ jugum Francorum excutientibus, & Baptismum suscipientibus, tempore ejusdem Heraclii Senioris, scripta reliquit. „ Quum vero Francorum Historici de Croatis mentionem non „ faciant, sed quædam tantum de Slavis scribant tempore Heraclii

„ raclii gesta, ideo referenda sunt „. Mox relatis iis, quæ anno VII. & IX. Dagoberti inter Francos & Abares, Slavosque contigere, subjungit. „ Ad quos Slavos hæc referenda „ sint, non constat; tamen de orientalibus, qui Longobardis „ proximi, Forojuliensique eorum Ducatui contermini erant, „ intelligi debere videtur, qui nomine Carnuntum sive Ca- „ rantanorum nuncupati, nunc autem in Carnos, Stirios, & „ Carinthios distincti sunt: quos subditos fuisse Francorum „ Imperio, & in Regno Bajoariæ comprehensos, Wolfgan- „ gus Lazius post alios tradit: quibus Croati addi possunt, „ quos ex Porphyrogenito tunc Francis subditos fuisse argui „ potest: Sed ipsorum jugum excussisse, & Baptismum susce- „ pisse imperante eodem Heraclio, temporibus examinatis, „ evenire non potuit „. Tum vero, Seniore (ut ait) Heraclio relicto, ad *Juniorem*, quem vocat, idest *Justinianum Rhinotmetum*, *Constantini Pogonati filium*, pergit, quem ex Zonara & Cedreno, expeditionem in Slavos & Bulgaros suscepisse quum narrasset, concludit: „ Ideo si Heraclii junioris tem- „ pore secutum poneretur Croatorum Baptisma, rectius tem- „ poribus congruerent quæ idem Porphyrogenitus de Croatis „ Francorum jugum excutientibus, Baptismumque suscipien- „ tibus, refert loco citato, quæ cum supra relatis ex Zonara & „ Cedreno convenire possunt, Croatosque & Serblos, primos „ ex Slavis Fidem Christianam suscepisse, conjectari potest „. Hocipsum Farlatus Tom. I. pag. 339. extrema: „ Constanti- „ nus (inquiens) Porphyrogenitus Porinum vocat Ducem il- „ lum Chrobatiæ, quo imperante, Chrobatæ Sacerdotibus „ ex Urbe accersitis, & a Romano Pontifice acceptis, per quos „ christianis mysteriis ac præceptis imbuerentur, Christo no- „ men dederunt. Id quod accidisse potuit, quum Joannes „ Ravennas Apostolicæ apud Dalmatas Legationis munus ge- „ rebat, revocarique ad tempora Heraclii, non Senioris, „ quod significare videtur Constantinus, sed Heraclii Tertii, „ qui dictus est Constans II. & ab anno 642. ad annum 668. „ imperavit: nisi Baptismum Chrobatorum referri libeat cum „ Historico Dalmata ad Heraclium VI. (*leg. IV.*) quem vul- „ go appellant Justinianum II. cognomento Rhinotmetum „. Verum, cum bona venia doctissimorum virorum Farlati & Ban-

Bandurii, rem mihi videntur non attigisse, neque Constantini mentem perspexisse. Præterquam quod enim Græci Scriptores absoluto *Heraclii* nomine non *Constantem*, neque *Constantinum Pogonatum*, aut *Justinianum Rhinotmetum*, sed solum *Heraclium* illum donant, qui ab anno 610. ad 640. imperavit, quique Heraclius Senior a Bandurio & Farlato appellatur; Porphyrogenitus dum cap. 30. de *Chrobatis* loquitur *jugum Francorum excutientibus Baptismumque suscipientibus*, non illos ipsos *Chrobatos* designat, qui (ut ait cap. 31.) sub Heraclio in Dalmatiam venerunt & Baptismum susceperunt; sed alios disertim indigitat, qui diu postea ab iisdem Chrobatis secessione facta, in *Dalmatiam*, hoc est, in Pannoniam Saviam, (uti paulo antea dixerat) migraverant. Et de primis quidem Chrobatis hæc sunt ejus verba cap. 31. „ Pulsis vero Romanis illis ab Abaribus, tempore ejusdem Romanorum Imperatoris Heraclii, desolata eorum regio jacuit. Quapropter jussu hujus Imperatoris iidem Chrobati armis arreptis, Abares ex illis locis expulerunt, & in ipsorum terra, quam etiam hodie tenent, sedes collocarunt. Erat autem Chrobatis illis tunc temporis Princeps Porgæ pater: Heraclius que Imperator Roma per Legatum Sacerdotibus accersitis, constitutoque ex ipsis Archiepiscopo, Episcopo, Presbyteris & Diaconis, Chrobatos baptizavit, & tunc quidem temporis Chrobatorum Princeps erat Porga „. Itaque quando primum Chrobati è Chrobatia Alba advenientes, permissu Heraclii Imperatoris, Abaribus ejectis Dalmatiam Transalpinam occuparunt, Principem habebant τὸν πατέρα τοῦ πορyᾶ, *Patrem Porgæ*, anonymum videlicet Ducem: idque anno Chr. 640. contigisse, consentiunt rerum Slavicarum Scriptores: quando vero iidem Chrobati, acceptis a Romano Pontifice Episcopis & Sacerdotibus baptizati sunt, mortuo primo illo Duce, *Porga ejus filius* illis præerat. At vero de secundis Chrobatis, qui secessione a primis illis facta, in Pannoniam Saviam migrantes, aliquandiu Francis subditi fuere, mox eorum jugum excutientes Baptismum suscepere, idem Porphyrogenitus sic scribit c. 30. „ Per aliquot annos etiam Dalmatiam (*a*) „ inco-

a Sic Porphyrogenitus Dalmatiam usque ad Dravum extendit. Loquitur enim de Chrobatis in Saviam Pannoniam migrantibus.

„ incolentes Francis ſubjiciebantur „. Et ſubjecti quidem fuere per longum tempus, quemadmodum ſupra ex Annaliſtis Bertiniano, Metenſi, ac Fuldenſi vidimus, ab Imperio ſcilicet Caroli Magni, uſque ad tempora Ludovici Germaniæ Regis. Pergit Porphyrogenitus: [repetere enim ea juvat, quæ paulo ſuperius recitavi:] „ Quæ res (Francorum ſcil. in „ Chrobatos crudelitas) quum intolerabilis Chrobatis eſſet, „ facto diſſidio, Principes quos ex ipſis (*Francis*) habebant, „ interemerunt. Unde magnus contra eos exercitus movit „ è Francia, & poſt ſeptem annorum bellum, ægre tandem „ ſuperiores facti Chrobati, omnes Francos eorumque Prin- „ cipem Cotzilin è medio ſuſtulerunt: & exinde liberi, ac „ ſui juris facti, ſacrum Baptiſma a Romano Pontifice petie- „ runt, miſſique Epiſcopi ipſos baptizarunt, ἐπὶ πορίνυ τῦ „ ἄρχοντος αὐτῶν, Principatum tenente Porino „. Prima igitur Chrobatorum ad Chriſtianam Fidem converſio contigit *Porga* imperante: hæc altera poſt ſeptem annorum cum Francis bellum, relatamque de Francis a Chrobatis victoriam, *Principatum tenente Porino*: tum ſcilicet, quum mortuo Ludovico Pio Imp., acre prælium inter ipſius filios Lotharium ex una & Carolum ex altera parte anno 841. exarſiſſet, quemadmodum cap. 4. num. 9. ſupra ex Pagio demonſtravi.

C A P U T II.

Series Ducum Regumque Chrobatiæ, Dalmatiæ, & Serbliæ: ab anno 640. ad 1104. Dalmatiam Maritimam quo anno Veneti obtinuerint.

I. Primi Chrobatorum Duces ſive Reges ab an. 640. uſque ad an. 830. a Porgæ patre uſque ad Ladiſclavum.

QUARE emendanda eſt *Ducum Regumque Chrobatiæ*, ſive *Croatiæ*, *Series*, quam ex Thoma Archidiacono, Diocleate Presbytero, & Lucio, tradunt Bandurius in Animadverſ. ad Porphyrog. de Adm. Imp. edit. Pariſ. pag. 93. & Farlatus Tom. 1. pag. 342. Hi enim *Porinum* omnibus præmittentes, *Ducem Chrobatorum præfuiſſe* ajunt circ. an. 641. exiſtimantes eum Porgæ patrem fuiſſe. Deinde *Porgam* ponunt circa ann. 690. Porini filium eum vocantes: & poſt multorum annorum intervallum, ſubjiciunt *Bornam* circa ann. 818.
Lada-

Ladaſclavum ann. circ. 821. *Mislavum* ann. circ. 822. *Tirpimirum* ann. 838. Atque hos aſſerunt ex Porphyrogenito & ex Annalibus Francorum ſe deſumſiſſe. Tum vero ſubnectunt ex Hiſtoricis Venetis, *Diodurum* & *Unuſclavum* uſque ad annum 864. *Dominicum* vel *Demogoy*, & *Inicum* poſt annum 864. *Sedeſclavum* ann. circ. 870. Demum ex epiſtolis Joannis Papæ Octavi *Branimirum* ad ann. 879. & 881. Atqui *Porinus* (uti oſtendi) neque *Porgæ* pater fuit, neque tempore Heraclii vixit, ſed Chrobatorum Princeps tum erat, quum Chrobati, excuſſo Francorum jugo, poſt ſeptem annorum bellum, ſui juris facti ſunt; ac proinde longe poſt annum 641. collocandus eſt, nimirum ad annum 841. quando Chrobati a Francis defecerunt. Itaque ſic reformanda eſt illa Series; ſi Slavicarum Rerum Scriptores audire velimus, qui Dalmatis Croatiſque omnibus unum Ducem aut Regem unum poſt alium præfuiſſe volunt. Ante annum 640. *Porgæ pater* Chrobatis præerat. Anno 640. *Porga ipſe*. Poſt Porgam alii Anonymi uſque ad annum 818. Anno 818. *Borna*. Anno 821. *Ladiſclavus Bornæ* nepos. Poſt hunc anno incerto *Mislavus*. Anno 837. *Tirpimirus*. Anno 841. *Porinus*. Poſtea [relictis *Dioduro*, *Unuſclavo*, *Demogoy*, *Inico*, *Sedeſclavo*] *Branimirus*, cujus ad annum 879. & 881. fit in epiſtolis Joannis Papæ VIII. mentio. At vero, ſi diverſos eodem tempore diverſis Chrobatorum regionibus Duces præfuiſſe dicamus (quæ omnium veriſſima mihi videtur eſſe ſententia) facile intelligitur, quo tempore Porinus eorum Chrobatorum Dux erat, qui Francorum jugum excuſſere, Tirpimirum aliis Chrobatis præfuiſſe, qui maritima Dalmatiæ obtinebant, pacemque cum omnibus finitimis colentes, Græcorum Imperatori parebant. Nam de iſtis Dalmatiæ maritimæ Chrobatis, non de aliis qui Tranſalpinam Dalmatiam aut Pannoniam Saviam inhabitabant, Porphyrogenitus loquitur, dum cap. 31. (poſtquam eorum Principem Porgam fuiſſe, quando baptizati ſunt, Præſulemque & Sacerdotes a Romano Pontifice ſub Heraclio Imp. acceperunt, ſcripſiſſet,) ſubjungit: „ Hi autem Chrobati baptizati extra limites pro„ priæ terræ non libenter aliis bellum inferunt, idque quia „ oraculum quoddam ſive ſtatutum acceperunt a Romano „ Pontifice, qui ſub Heraclio Romanorum Imperatore Sacer-

„ dotes misit, eosque baptizavit. Chrobati siquidem post acceptum Baptismum pepigerunt, & Chirographis propriis datis, Sancto Petro Apostolo juraverunt, nunquam se alienam terram armis invasuros, sed pacem habituros cum omnibus volentibus; & imprecationem vicissim a Romano Pontifice acceperunt, ut si quando aliæ gentes, ipsorum Chrobatorum terram invaderent belloque infestarent, pro iis pugnaret vindexque esset eorum Deus, victoriam conciliante Petro Christi Discipulo „. Id factum ann. Chr. 640. Scriptores Rerum Slavicarum communiter tradunt: Postquam enim Abares & Slavi in Dalmatiam anno 639. irruentes, Salonam exciderunt, multosque Christianos martyrio affecerunt; Joannes Papa hujus nominis IV. *Martinum Abbatem* (teste (*a*) Bibliothecario in ipsius Vita) in Dalmatiam & Istriam anno 640 misit, qui captivos ab Avaribus & Slavis redimeret, simulque Sanctorum Martyrum Corpora injuriis Barbarorum prærepta in urbem transferret. Chrobati Dalmatiam tunc temporis, permissu Heraclii, bello cum Avaribus gesto, occupaverant. Quare suscepta jussu Joannis Papæ a Martino Abbate ad Dalmatas Legatio non in eo tantum stetit, ut captivos ab Avaribus redimeret, Sanctorumque Corpora in urbem transferret; sed etiam, ut Chrobatos, novos Dalmatiæ incolas, Baptismum a Romano Pontifice postulantes, Christiana Fide imbueret, idque eis potissimum insinuaret, ut nunquam alienam terram armis invaderent, sed pacem cum omnibus finitimis haberent. Quæ omnia (Legatio scil. Martini Abb. & susceptus a Chrobatis Baptismus:) quum sub Heraclio Imp. contigisse, Porphyrog. teste, dicantur, quumque Heraclius Februario vel Martio mense anni 641. diem supremum expleverit, necesse est, Martinum Abbatem in ipsis Pontificatus Joannis pri-

a Verba Bibliothecarii hæc sunt de Joanne IV. PP. „ Hic temporibus suis misit per omnem Dalmatiam seu Istriam, multas pecunias per sanctissimum & fidelissimum Martinum Abbatem, propter redemptionem Captivorum, qui deprædati erant a gentibus. Eodem tempore fecit Ecclesiam BB. Martyribus Venantio, Anastasio, Mauro, & aliis multis Martyribus, quorum Reliquiæ de Dalmatia & Istria adduci præceperat, & recondidit eas in Ecclesia supra scripta juxta Fontem Lateranensem, juxta Oratorium B. Johannis Evangelistæ, quam ornavit, & diversa dona obtulit „. Vide Farlatum Tom. 1. Illyrici Sacri a pag. 573. ad pagin. 59 . ubi de Martino Abbate, deque istis Martyribus, eorumque Ecclesia a Jo: Papa extructa.

primordiis, hoc est, anno 640. ad Dalmatas missum fuisse: indeque anno 641. aut ineunte 642. rediisse; quandoquidem ipse Joannes Papa Ecclesiam Martyribus è Dalmatia translatis extruxisse perhibetur, nec ultra v. Idus Octobris anni 642. vitam produxisse. Quod igitur ab eodem Porphyrogenito additur paulo superius: „ Heraclius Imperator Roma per Le„ gatum Sacerdotibus accersitis, constitutoque ex ipsis Archie„ piscopo, Episcopo, Presbyteris & Diaconis, Chrobatos ba„ ptizavit; & tunc temporis Chrobatorum Princeps erat Por„ ga „: hoc, inquam, neque sub Joanne IV. Papa, neque a Martino Abbate, qui Presbyter erat, factum intellige, sed quæ diversis annis contigerunt, ea uno tenore hic enarrari. Nam, præter primam illam Martini Abbatis ad Dalmatas sub Joanne IV. legationem, altera paucis post annis subsequuta est, ad quam recitata Porphyrogeniti *de Archiepiscopo*, *Episcopo*, *Presbyteris* & *Diaconis* verba referuntur. Nimirum, *Martinus Papa* (*a*) qui Theodorum Joannis IV. Successorem, III. Non. Julii anno 649. excepit, *Joannem* Ravennatem, Sedis Apostolicæ Legatum, misit in Dalmatiam eodem (ut vult Farlatus tom. I. pag. 337.) anno (*b*) 649., ut rem scilicet Christianam & Ecclesiasticam labefactatam restitueret. Quo munere egregie perfunctus, ab iis, qui è *Palatio* Diocletiani novam Urbem construxerant, & *Spalatum* denominaverant, primus *Spalatensis* Archiepiscopus electus, eodem Martino Romano Pontifice approbante, insuper Primatis sive Vicarii Sedis Apostolicæ titulo & potestate auctus, anno 650. Ecclesiæ Spalatensis regimen suscepit, & Metropolitico Dalmatiæ interregno, quod, excisa, ut modo dicebam, anno 639., Salona, post Theodori Salonitanæ Ecclesiæ postremi Episcopi obitum per annos fere XI. tenuerat, finem attulit. Tum vero Joannes Metropolitica potestate usus, Episcopum, Presbyte-

a Farlatus Tom. I. Illyrici Sacri pag. 573. col. I „ Suspicio est, Martinum „ Abbatem, de quo hic agitur, re ac nomine eundem fuisse, qui Romanæ Ecclesiæ „ proximus post Theodorum Joannis IV. Successorem, summa cum laude præfuit: „ & primus Romanorum Pontificum fuit, cui nomen esset Martino &c.

b Henschenius ad XI. Apr. Joannem hujus nominis primum Ecclesiæ Spalatensis Archiepiscopum, sæculo VIII. vixisse scribit. Verum a Farlato his verbis refellitur Tom. I. pag. 475. col. I. „ Uno plane sæculo aberravit Henschenius ab ætate Jo. „ Ravennatis, quem inter sextum & octavum (*leg. septimum*) sæculum ab anno „ fere 650. ad annum circiter 681. floruisse constat.

byteros & Diaconos Chrobatis Dalmatis dedit. Sed ad Porphyrogenitum redeo, de Chrobatís illis, quibus Joannes Archiepiſcopus datus eſt, ſic ſcribentem. „ Multis vero annis „ elapſis (poſt ſuſceptum ſcilicet a Chrobatis Baptiſmum, in- „ ſtitutamque in Dalmatia & Croatia Metropoliticam, & Epi- „ ſcopalem dignitatem) in diebus Principis Terpemere, „ Τερπημέρη, qui pater fuit Principis Craſemere, Κρασημέρη, „ è Francia, quæ inter Chrobatiam & Venetiam media eſt, „ veniens vir quidam, Martinus nomine, maxime quidem „ pius, ſed habitu ſeculari, quem iidem quoque Chrobati „ miracula feciſſe plurima dicunt; hic porro vir pius imbecil- „ lus admodum & pedibus mutilatus, ita ut a quatuor bajulis „ quocumque vellet deferretur, illud Sanctiſſimi Pontificis, „ τῶ ἁγιωτάτω πάπα, mandatum Chrobatis ad ultimum vitæ „ finem ſervandum eſſe itidem ſanxit, eaſdem etiam illis, „ quæ antea Pontifex, τῶ πάπα, imprecatus; quapropter „ neque Sagenæ ipſorum Chrobatorum, neque conduræ, un- „ quam ad aliquem bello infeſtandum abeunt, niſi ſi quis eos „ adoriatur: ſed hujuſmodi navigiis Chrobati, qui mercatus „ frequentant, ad Emporia proficiſcuntur, oppidatim cir- „ cumeuntes Paganiam (*a*) & Sinum Dalmatiæ Venetias „ uſque. Chrobatiæ autem Princeps ab initio, ideſt ab He- „ raclii Imperatoris temporibus, Romano Imperatori, non „ Bulgariæ Principi ſubditus erat. Neque Bulgarus cum Chro- „ batis bellum geſſit præter Michaëlem Boroſem Bulgariæ „ Principem, qui ſumptis armis, bellum ipſis intulit; ſed „ quum nihil efficeret, muneribus datis & acceptis, pacem „ fecit. Neque Chrobati unquam Bulgaris tributum dede- „ runt, ſed alteri alteros ſæpe amicitiæ ergo donis cohone- „ ſtarunt „. Proſequitur urbes horum Chrobatorum deſcribens: „ Baptizatæ vero Chrobatiæ Urbes (*b*) habitatæ iſtæ „ ſunt, Nona, Belogradum, Belitzin, Scordona, Chle- „ bena, Stolpum, Zenen, Kori, Claboca. Exhibetque Equi-

„ tum

a Pagania, eſt Arenta, ſive Narenta regio, a Serblis occupata, inter Titium ac Naronem. Vide Farlatum Tom 1 pag. 157. & ſeq.

b Maritimæ fere omnes, ideſt ad Mare Adriaticum, inter Arſiam fluvium ad occaſum, & Tilurum ſive Zetinam fluvium ad ortum. Vide Farlatum Tom. 1. pag. 157.

„ tum sexaginta millia, peditum centum millia, & sagenas „ octoginta, conduras centum: & sagenæ quidem, quadraginta viros habent; conduræ autem, viginti, nempe quæ „ majores; nam minores, decem viros tantum habent. Atque „ hæc quidem Chrobatiæ potentia & copiæ fuerunt usque ad „ Principatum Crasemere: quo mortuo, quum Myrosthlabus „ filius, postquam quadriennium genti præfuisset, a Pribunia „ Bano interfectus esset, plurimis obortis dissidiis ac factionibus equitum peditumque, numerus valde imminutus est, „ item sagenarum ac condurarum, & sagenas quidem nunc „ triginta habet; conduras magnas, parvasque & equitatum „ peditatumque „. Demum concludit, Chrobatiam hanc Maritimam cum Chrobatia Alba comparans, (dum interim Chrobatiam Saviam sive inter Savum & Dravum positam, silentio obruit.) „ Magna autem Chrobatia, quæ etiam Alba „ cognominatur, in hodiernum usque diem sine Baptismo est, „ quemadmodum & finitimi Servii: equitem peditemque non „ habet tam numerosum, quam baptizata Chrobatia; quippe „ frequentibus incursionibus infestata Francorum, Turcarum, „ Patzinacitarum: neque sagenas, neque conduras item, aut „ navigia ad mercaturam habet, utpote a Mari remota, a „ quo quidem triginta dierum itinere distat. Mare autem, a „ quo totidem dierum itinere distat, illud est, quod nigrum, „ σκοτεινὴ, appellatur „. Hactenus Porphyrogenitus: cujus ex verbis hæc colligo. Primum quidem (ut a postremis initium ducam) Chrobatos Albos Serblosque, quos ait frequenter a Francis, Turcis, & Patzinacitis infestari, usque ad annum Chr. 949. quo Porphyrogenitus scribebat, nondum fuisse baptizatos.

Alterum: Tirpimirum, sub quo Martinus ille Claudus Chrobatos, ut pacem cum omnibus servarent hortabatur, Crasemerum Tirpimiri, Mysosthlabum Crasemeri filios, necnon Pribuniam Banum, non eorum Chrobatorum, Pannoniam Saviam & Dalmatiam Transalpinam incolentium, quibus Porinus anno 841. imperabat, Duces fuisse, quemadmodum Scriptores Slavi perperam, meo quidem judicio, existimant; sed iis Chrobatis præfuisse, qui maritima Dalmatiæ inhabitabant, qui Baptismum sub Heraclio Imp. acceperant, ad quos

Mar-

Martinus Abbas a Joanne IV. Papa miſſus fuerat, quibus denique Joannes Ravennas, primus Spalatenſis Archiepiſcopus, datus eſt.

Tertium: Martinum hunc claudum, qui ſub Tirpimiro Chrobatos docebat, diverſum prorſus eſſe a Martino Abbate, qui ſub Porga Chrobatorum Duce in Dalmatia & Iſtria Joannis IV. Papæ legationem obivit.

II. Muyſclavus, Mislavus & Mujus dictus, Croatiæ Dux circa an. 836. Diodurus Scrblotum Narentanorum.

Poſtremo. *In ſerie Ducum Dalmatiæ & Chrobatiæ Ciſalpinæ*, ſive Maritimæ, poſt *Porgam*, (Interregno multorum annorum interjecto, ſive, ut ait Porphyrogenitus, *multis annis elapſis*, (hoc eſt, ab anno 641. ad 836.) ex authenticis documentis hi Duces eruuntur. 1. *Muyſclavus*, cujus mentio fit in quodam Tirpimiri privilegio, in quo Eccleſiis multa contuliſſe bona dicitur. Hunc Joannes Lucius de Regno Dalmatiæ lib. 2. cap. 1. & 2. *Mislavum* (*a*) appellat. Veneti ſcriptores *Mujum* vocant. Andreas Dandulus in Chronico MSS. Cod. Vat. 5286. fol. 71. de *Petro Tradonico* ſive *Tranſdonico*, Venetorum Duce, qui anno Chr. 836. creatus eſt, ad annum ejus Ducatus tertium, ſive Chr. 839. ſic de illo ſcribit: „ Tertio itaque ſui Ducatus (*b*) anno Petrus Dux cum navali „ exercitu contra Sclavos in Dalmatiam navigavit, cupiens „ illos a neſanda arte piratica cohibere, & in loco, cui nomen „ eſt ſanctus Martinus curtis, potenter apparens, pacem Muyſclavo eorum Principe firmavit: & ad Narentanas tranſiens „ inſulas, cum Droſaico Marianorum judice fœdus renovavit, „ licet modicum perduraret, reverſuſque [*cum*] gloria. Subſequenter Dux renovato Exercitu, cum Diudiro Sclavo in „ Dalmatia bellum peragens, pluſquam centum Venetis occiſis, non lætus ad propria remeavit „. Muratorius Tom. 12. Rer.

a Apud Lucium pag. 61. Tirpimiri, qui Miſclavum excepit, Privilegium incipit. „ In nomine Patris &c. Regnante in Italia piiſſimo Lothario Francorum Rege, per Ind. xv. ſub die iv. Non. Martii. Dum mundi ab origine cuncta per tempora &c. „ Unde ego licet peccator Tirpimirus Dux Croatorum &c conſilio habito meis cum „ omnibus Zupanis conſtruxi Monaſterium &c. „ Quumque expenſæ non ſufficerent, accommodavit nobis Petrus Salonitanæ Eccleſiæ Archiepiſcopus & dilectus „ compater xi. libras argenti &c. Quas decimas Anteceſſor noſter Mislavo dare cœpit. &c. Dat. in loco qui dicitur Byaci.

b Paulo ſuperius de eodem Duce Dandulus: „ Petrus Trandonico Dux ſublimatus eſt anno ab Incarn. D. N. J. C. 836. *&* *mox*. Factus eſt Dux, cognominatuſque eſt a populo *Tranſdominico*, ſive *Trandonico*.

Rer. Ital. pag. 175. pro, *Muyſclavo*, habet, *pacem cum Octa Sclavo illorum Principe*, & in margine ex Cod. Ambroſ. *cum Muy*: & pro, *cum Diudiro Sclavo*, legit, *cum Diuclito Sclavo*, & in marg. ex Cod. Ambr. *Deliviro*, aliter *Divelaro*. Hoc Danduli teſtimonio palam fit, Chrobatis maritimis, qui *Slavi Dalmatæ* vocantur, anno 839. [imo, 836., uti mox demonſtrabo:] præfuiſſe *Muyſclavum*, cum quo Veneti pacem firmarunt; *Narentanis* autem *Slavis*, ideſt Serblis Narentanam, hoc eſt, Paganiam incolentibus, imperaſſe *Diudirum*, ſive *Diodurum*, uti a Lucio vocatur; qui tamen Lucius fallitur, dum æque *Diodurum* ac *Muyſclavum* Croatiæ Duces appellat, quum Diodurus Serblis Narentanis, & Muyſclavus Chrobatis maritimis eodem tempore imperaſſe apud Dandulum dicantur. Fallitur etiam Farlatus, qui in ſuo Catalogo Ducum & Regum Chrobatiæ Tom. I. pag. 342. *Mislavum* ponit *ad ann. circ.* 822. *Tirpimirum* ann. 838. *Diodurum* & *Unuſclavum* (a) uſque ad ann. 864. idque ait ex Annalibus Danduli colligi. Nam Dandulus non aliud in ſuo Chronico tradit, quam *Mislavum* anno 839. Chrobatorum Ducem cum Petro Venetorum Duce pacem firmaſſe; *Diodurum* vero eodem anno *Narentanorum*, hoc eſt Serblorum (b), principem, bellum cum Venetis geſſiſſe: de utroque autem, Mislavo ſcil. & Dioduro, præterea ne verbum quidem profert: ſicuti neque de *Unuſclavo*; niſi is dicatur idem eſſe ac *Droſaicus* ille *Marianorum Judex*, cujus Dandulus ſupra meminit, ſic tamen, ut is uno eodemque tempore Marianis præeſſet, quo *Diodurus* Narentanis: ac

---

a Idem Farlatus Tom. I. pag. 340. not. N. „ Diodurum & Unuſclavum apud „ Slavos Chrobatos uſque ad ann. 864. imperaſſe, Dandulus in Annalibus tradit „. Hoc falſum. Dandulus niſi ad hunc annum 839., Dioduri mentionem non facit.

b De Serblis Narentanis intelligitur id quoque, quod Dandulus in Chron. apud Murat. pag. 178. Par. XVII. ſcribit: „ Hoc tempore Sclavorum gens ad damna Ve„ netorum venientes, Caprulenſem depopulati ſunt urbem „. Pacem, quam Narentani ſub Jo. Particiaco Duce circa ann. 830. fecerant, poſt ſexennium ſub Petro Tradonico ruperunt. Dandulus apud Murat. pag. 172. „ Huic Duci (Joanni Particia„ co) Narentini nuncium ſuum mittunt, & petitam pacem ab eo obtinent, quam „ non diutius ſervaverunt. nuncius autem, qui Infidelis erat, hortatu Ducis Baptiſ„ mum ſuſcepit. Erant enim Sclavi adhuc Gentiles, quia a Gothis „ (hoc falſum:) *Originem traxerant, & continuo exercebant piraticam artem. Ideo cum Venetis diu in pace permanere nequibant*. Et pag. 174. paulo ante ann. 836. „ Per hos „ dies Narentani Sclavi, rupto fœdere, mercatores Venetos Benevento redeuntes „ capiunt, & fere omnes morti tradunt „. Hinc Tradonicus bellum adverſus eos ſuſcepit.

proinde ad Chrobatos nihil attinet. Hoc enim, quod Dandulus de Petro Venetorum Duce ait, eum scil. fœdus cum *Drosaico Marianorum Judice* renovasse, ex ea intelligitur adnotatione, quam Muratorius Tom. 12. Rer. Ital. ex Cod. Ambrosiano apponit not. *d*, post hæc verba, quæ apud Dandulum Par. v. leguntur: *Tunc in mense Madii hora* VI. *obscuratus est sol, & facta est eclipsis: Additur*, inquit Muratorius, *in margine: Alibi est legere*. „ Sub hoc Duce exortum fuisse dissidium inter sex nobiles familias, videlicet, Pollanos, Justinianos, & Brapalios ex una parte; & Barbulianos, Silvios, atque Istoilos, mutuo se impetisse, vulnerasse, interfecisseque sæpius; Ducemque, ut erat malignus, discordiam & dissidium aluisse, semelque Pollanos, & conjuratos, quum in inimicos insurrexissent, plures ex eis interfecisse, reliquos illius factionis de Venetiis expulisse; expulsi ad Ludovicum Imperatorem in Provinciam se reduxerunt. Ludovicus Imperator obtinuit a Venetis, ut, assentientibus Pollanis, Justinianis, & Barxiliis [*hi modo dicti sunt Brapalii*] expulsi in Patriam remearent; qui Regionem Dorsiduri tunc primum habitarunt „. Dorsidurus quippe videtur idem esse ac is Marianorum Judex, qui paulo superius *Drosaicus* est appellatus: alius proinde a Dioduro Serblorum Narentanorum principe: nam Venetos ad Marianos confugisse, quam ad Paganos Narentanos, verosimilius est. *Mariani* autem sive *Marani*, dicti sunt a *Marano* seu *Mariano* oppido, stagnis Adriatici maris fere circumdato in Forojuliensi litore ad Celinam, ubi Synodus Schismaticorum olim facta anno 590. de qua supra dixi cap. I. num. XI.

III. Tirpimirus, Crasemerus, Miroslavus & Pribinna, Chrobatiæ Duces.

Tirpimirus, Porphyrogenito *Terpemeres*, Chrobatorum Dux erat anno 837. ut constat ex ejus diplomate [quod Lucius lib. 2. cap. 2. pag. 61. ex Archiepiscopatus Spalatensis Tabulario erutum ait] dato, *Regnante in Italia piissimo Lothario Francorum Rege* (*a*) *per Indictionem* XV. *sub die* IV. *Nonas Martii*, hoc est, *Anno Christi* 837. quo cujusdam Monasterii ere-

a Ex hoc Tirpimiri diplomate, quod datum dicitur „ Regnante in Italia Lothario „ Francorum Rege „ recte colligit Cangius de Familiis Dalmaticis cap. 5. num. VI. edit. Paris. pag. 297. „ Italiæ Regibus tum etiam Croatiæ principes paruisse „. Quod confirmat Porphyrogenitus, dum scribit, temporibus Terpemeri e Francia Martinum ad ejus subditos Chrobatos advenisse.

erectio continetur, *Mislavi* insuper Ducis, tamquam ipsius antecessoris, diserta fit mentio. Ac proinde emendandum quod supra ex Dandulo recitavi, de pace scil. a Petro Venetorum Duce cum eodem Mislavo *anno Ducatus ejus tertio*, *Chr.* 839. facta. Si enim authenticum Tirpimiri diploma, in quo *Mislavus* ejusdem *Antecessor Dux* dicitur, datum est anno Chr. 837.; consequens est, Mislavum saltem mensem Martium anni 837. non attigisse: Adeoque pax illa cum Mislavo a Venetis confirmata, ad annum primum Petri Ducis, Christi 836. est omnino retrahenda.

Crasemerus, sive Cresimirus, Tirpimiri filius, de quo supra Porphyrogenitus: *In diebus Principis Terpemeri, qui pater fuit Principis Crasemeri*: & post pauca: „ Atque hæc „ quidem Chrobatiæ potentia atque copiæ fuerunt usque ad „ Principatum Crasemeri „. Qui proinde diversus est ab altero cognomine, qui Cresimirus Major dicitur in Cresimiri III. Regis literis datis anno 1067. & 1069. quarum meminit Lucius pag. 76. & 77.

Miroslavus, Porphyrogenito *Myrosthlavus*, Crasemeri filius, quum annos quatuor imperasset, a Pribunia Bano occisus.

Pribinna, Miroslavi interfector; Alius omnino a *Pribinna*, qui unacum *Godimiro*, *Banus potentissimus* dicitur sub Cresimiro majore, proavo Cresimiri tertii, in hujus diplomate apud Lucium pag. 76.

Crasemeri, Miroslavi, & Pribinnæ ætatem incertam reliquit Porphyrogenitus. Quis autem illos in Principatu Chrobatiæ exceperit, nunc est expendendum. Joannes Lucius (*a*) de Regno Dalmatiæ lib. 2. cap. 1. „ Dominicum [inquit] vel „ Demogoy, & Inicum Principes Slavorum, tempore Ursi „ Participatii Ducis (*b*) Venetorum, eorundem Historici „ referunt. Ideo hos Duces Croatorum circa eadem tempora „ fuisse, divisionemque tunc inter Croatos secutam, dicen- „ dum est cum Porphyrogenito. Sebesclavum etiam, ejectis

Pp 2 „ filiis

a Apud Bandur. in Animadvers. ad Porphyrog. de Adm. Imper. pagin. 94. edit. Paris.

b Ursus Participatius (hujus nominis primus) Venetis Dux ab anno 864. ad ann. 881. præfuit.

„ filiis Demogoy, succeſſiſſe; eoque occiſo, Branimirum Du-
„ cem Croatorum Comitemve, memorat Dandulus, quem
„ ex epiſtolis Joannis Papæ VIII. inferius ponendis Ducem
„ Croatum fuiſſe patebit, annis ſcil. 879. & 881. Hunc Archi-
„ diaconus Ducem Sclavoniæ tempore Caroli Regis ponit,
„ ſcilicet poſt annum 842. quod congruere poteſt: nam Caro-
„ lum dictum Craſſum regnaſſe anno 879. & coronam Imperii
„ anno 881. ſumpſiſſe conſtat. Mucimirum Tirpimiri filium
„ deinde ponendum, ex ejuſdem privilegio infra ponendo
„ apparet, ſcilicet anno 892. Michaëlem item Ducem Slavo-
„ rum, Veneti ſcriptores memorant, tempore Urſi (*a*) Ba-
„ duarii, quem Ducem Croatorum fuiſſe argui poteſt, & ex
„ temporum collatione, forſan Porphyrogeniti Myroslavum,
„ Creſimiri vel Mucimiri filium, a Græcis nomina mutare ſo-
„ litis, Michaëlem vocatum, qui ſi idem cum Myroslavo po-
„ natur, quem occiſum a Pribunio Bano Porphyrogenitus re-
„ fert, hoc evenit circa ea tempora, quando Porphyrogeni-
„ tus ſcribebat, quæ ex annis mundi & Indictionibus ab ipſo
„ relatis, ad annum 949. referri debent. An autem Pribunius
„ occiſor ſucceſſerit in Ducatu, incertum eſt; quamvis Pri-
„ binnæ cujuſdam Bani, tempore Dircislavi Regis, mentio
„ reperiatur, quem huic poſteriorem fuiſſe, argui debet „.
Hæc Lucius: cui Farlatus conſentiens, Tom. 1. pag. 340. not. *o*, „ His adde [inquit] Duces Chrobatorum in Catalo-
„ go prætermiſſos, Diodurum & Unuſclavum: ac præterea
„ Dominicum vel Demogoy, & Inicum: quos quidem duos
„ Dioduri ſucceſſores, Hiſtorici Venetorum cum ætate Urſi
„ primi Participatii ſive Baduarii conjungunt, qui inter an-
„ nos 864. & 881. Venetum Principatum geſſit. Adde etiam
„ Sebeſclavum ſive Sedeſclavum, qui ejectis filiis Dominici
„ ſive Demogoji, apud Chrobatos rerum potiebatur anno cir-
„ citer 870.; eoque interfecto, Branimirum, quem Ducem
„ & Comitem Dandulum vocat, & Joannes PP. VIII. in ſuis
„ ad eum epiſtolis Ducem (*b*) Croatorum appellat. Hunc
„ iti-

a Urſum Particiacum ſecundum deſignat Lucius, qui anno Dom. 912. Dux Venetis inauguratus eſt: ſub quo memoratur Solavorum Dux Michael. Vide Dandul. apud Murat. Tom. 12. pag. 198.

b In epiſtolis Jo: VIII. Papæ n. 184. 185. & 284. *Branimir* vocatur *Comes*, & *Princeps*: Nunquam *Croatorum Dux*; imo, nuſquam *Croatorum* nomen in illis occurit.

„ itidem Thomas Archidiaconus Ducis Slavoniæ titulo impertiit, eumque refert ad tempora Caroli Craſſi, qui anno 879. regnabat, & anno 881. Imperatoris nomen & inſignia ſumpſit. *Et pag.* 341. *not. P.*, Hunc Michaëlem Ducem itidem Slavorum ſive Chrobatorum, memorant Veneti ſcriptores, revocantque ejus tempora ad Principatum Urſi ſecundi Baduarii inter annos 912. & 932. Fortaſſe is Michaël idem eſt, ac Myroſthlabus, cujus meminit Porphyrogenitus, eumque interfectum tradit a Pribunia Bano. Sed huic Michaëli ſeu Myroſthlabo, duos præferri oportet Branimiro & Michaëli interjectos, Brazlavum ex Annalibus Fuldenſibus ad ann. 884. & 892. quamvis hujus Principatus Dravo & Savo definitus, in Dalmatiam fortaſſe non extenderetur; & Mucimirum Tirpimiri filium, ut ex ejuſdem diplomate apparet, quod confectum eſt anno 892. *Et not. R.* nec ſolum Michaëli præponendus eſt Mucimirus, ſed etiam Tamislavus, qui apud Chrobatos imperabat anno 914. ut docet Archidiaconus cap. 13. quum Joannes VII. qui proxime ſequitur, Eccleſiam Spalatenſem adminiſtrabat; quare Principatus Michaëlis rejiciendus eſt ad proximum Pontificatum Joannis VIII. *Et not. V.* Auctor eſt Dandulus, Tirpimirum per ea tempora [*poſt annum* 914. *&* *ante ann.*940.] Slavis Chrobatis præfuiſſe. Quod, ſi verum eſt, hunc hujus nominis ſecundum fuiſſe oportet, annorum fere centum intervallo a Tirpimiro primo disjunctum. Huic duos filios idem Dandulus tradit, Muntimirum, quem alii Mucimirum II. vocant, & Suriguram; qui poſt obitum parentis, quum de Principatu Chrobatico inter ſe dimicarent, Mucimirus victo fratre, paternam hæreditatem adiit. *Et not. Aa.* Creſimirus ſenior, & proavus Creſimiri III. cui Petro etiam nomen fuit, non incommode aptari poteſt hiſce temporibus, & cum Pontificatu Frontiniani IV. ætate conjungi „ [ideſt inter annum 940. & 970. uti in Catalogo dicitur p. 334. col. 2.]

Uſque huc Slavicarum rerum ſcriptores, Dalmatiæ Principes cum Narentanis aliiſque Pannoniæ Saviæ Ducibus confundentes: quos proinde ex ipſo Danduli, quo utuntur, Chronico rejicere, operæ pretium duco. Nam *Demogojus*, quem poſt

IV. Serblorum Principes a Chrobatis diverſio.

poſt Tirpimirum fictitiis illis Chrobatorum Ducibus Dioduro & Unuſclavo ſubjungunt; non Dalmatis Croatis, ſed Slavis Serblis, qui Narentanam & vicinas regiones tenebant, præerat anno 864. Dandulus in Chron. MSS. cod. vat. 5286. fol. 73. & apud Murat. Tom. 12. pag. 182. „ Urſus Particiacus Dux „ factus eſt anno Domini 864.. *Et mox*. Hic Dux cum navali „ expeditione contra (*a*) Domogai Sclavorum Principem, „ qui Venetos ſæpius læſerat, properavit, cum quo recuſan- „ te pugnam, reſarcitis damnis & acceptis obſidibus, pacem „ compoſuit, & cum gloria repatriavit „. Et MSS. fol.74. edit. pag. 184. poſt deſcriptam Barii urbis ab exercitu Ludovici Imperatoris expugnationem; „ Sequenti anno Saraceni ab inſula „ Cretæ egredientes, Bratienſem urbem & alias civitates Dal- „ matiæ depopulati ſunt. quod Dux ſciens, exploratoriam „ miſit naviculam, ne Saraceni ex improviſo fines Veneto- „ rum intrarent. Quæ quum de Grado in Iſtriam navigaret, „ à Piratis Sclavis, qui in portu Sylvoclis latitabant, capta eſt, „ & Veneti occiſi ſunt, qui in ea erant „: Piraticam artem non Dalmatæ Chrobati, ſed Serbli Narentani exercebant, ut ſupra idem Dandulus ſcripſit: qui eod. MSS. fol. 75. edit. pag. 186. poſt annum 876. addit: „ Quo tempore mercato- „ res Veneti lucri cupidi à Piratis & latrunculis mancipia „ comparabant, & transfretantes de eis commercium facie- „ bant; cui manifeſto facinori Duces obviare diſpoſiti, una „ cum Clero & Populo Venetiarum pie decreverunt, ne- „ quis de mancipiis commercium faciat, vel in navibus reci- „ piat, imponentes graves pœnas contrafacientibus. Quia „ Sclavi cum navibus venientes, Umagum, Ciparum, Æmo- „ niam, & Rubinum urbes Iſtriæ depopulaverant, Dux pro- „ pterea cum 30. navibus exiens, cum Sclavis bellum peregit, „ & victoriam obtinuit, & non ingratus ablata Eccleſiis Iſtricis, „ reſtituit, & propter fœdus, quod cum Sclavis habebat, „ omnes captivos libere dimiſit. Tamen Sclavi reputantes ſe „ offenſos, fœdus irritum habuerunt, quod mortuo Domo- „ goi renovatum eſt, non incluſis Narentanis Venetorum ma- „ ximis æmulis, contra quos Dux exercitum miſit.

Ser-

---

a Ita MSS. Cod. At edit. Murat. *Domagoi*.

V. Serblorum Princeps sub Heraclio: filius ejus, mox nepos; & post multos annos Boisesthlabus, Rhodosthlabus, Prosegoes; Blastemerus. Muntimerus, Stroemerus, Goinicus. Pribesthlavus, Branus, Stephanus, Muntimeri filii. Clonimerus Stroemeri filius. Petrus Goinici filius. Paulus Brani f. Zacharias. Tzeesthlabus Clonimeri f. Ab anno scilicet 640. ad 950.

Serbli Slavi (ut ex Porphyrogenito cap. 33. ad 36. constat) alii erant Zachlumi, alii Terbuniatæ & Canalitæ, alii Diocletiani, alii demum Narentani. Sicut autem Chrobatis Cisalpinis, idest Dalmatis Maritimis, post Porgam Tirpimirus, Crasemerus, & Myrosthlavus imperabant, tametsi tota jlla Chrobatia in XI. *Zupanias* (*a*) divisa, totidem *Zupanis* sive *Banis* subesset; ita & Serblis in Zachlumos, Terbuniatas, Canalitas, Diocletianos & Narentanos divisis[Porphyrogenito teste c. 32.]ii imperarunt, qui ibidem recensentur: videlicet *Serblorum Princeps*, qui ad Heraclium Imp. confugerat; tum *filius* ejus; mox *nepos*; „ Et sic „ omnes qui ab eo descenderunt; ex quibus post annos aliquot „ fuit Boisesthlabus, a quo Rhodosthlabus, à quo Prosegoës, „ à quo Blastemerus, ad cujus usque tempora pacem cum Bul- „ garis habuerunt Serbli, utpote vicini ac confines inter sese „ amantes, servientes Romanis Imperatoribus, & ab ipsis „ beneficiis ornati. Sed principatum tenente laudato Blaste- „ mero, arma contra Serblos movit Bulgariæ Princeps Pre- „ siam, subjicere sibi ipsos cupiens. Verum post trium anno- „ rum bellum, non solum nihil effecit, sed plurimos è suis „ amisit. Post mortem autem Blastemeri, regionem inter se „ partiti, Principatum Serbliæ exceperunt tres ejus filii, Mun- „ timerus, Stroëmerus, & Goinicus. Hos aggressus est Mi- „ chaël Borises Bulgariæ Princeps, stragem quam Pater „ Presiam passus erat, vindicare cupiens. Sed eum bellantem „ adeo afflixerunt Serbli, ut filium ejus Blastemerum in vin- „ culis abducerent, unacum machinis grandibus duodecim. „ Tunc filii casu permotus Borises, quamlibet invitus, pa- „ cem cum Serblis fecit. In Bulgariam vero rediturus, & „ Serblorum in itinere insidias timens, Muntimeri Principis „ filios Borenam & Stephanum viæ duces petiit, qui & inde- „ mnem usque ad Rasen (*Rascam fluvium*) deduxerunt, & „ ingentia ab eo munera, beneficii hujus nomine, accepe- „ runt; vicissim donantes xeniorum vice duo mancipia, fal- „ cones duos, duos canes, & pelles nonaginta; quod Bulga- „ ri

a „ *Zupana* (inquit Bandurius ad lib. de Adm. Imp. edit. Paris. pag. 90.) *Slava* „ vox *Regionem* significat, & a *Zupa* deducitur, quod Populum vel regionem ali- „ quam habitatam significat. Hinc autem *Zupanus*, seu *Jupanus*, dignitas apud Ser- „ vios, Hungaros, & universim apud Slavicam gentem, *Præfectus Provinciæ*, *vel* „ *alicujus territorii*, *aut civitatis*.

„ ri pactum esse dicunt. Paulo autem post, tres fratres Serbliæ Principes contra se mutuo arma sumpserunt; superiorque factus unus ipsorum Muntimerus: qui quum vellet solus Principatum tenere, captos duos in Bulgariam transmisit; solum Petrum fratris Goinici filium, apud se retinens, & sedulam ejus curam gerens: qui fugiens in Chrobatiam venit; sed de eo paulo post dicetur. Sroëmerus vero frater, cujus supra mentionem fecimus, in Bulgaria filium habebat Clonimerum, cui uxorem Bulgaram dedit Borises, ex qua Tzeesthlabum in Bulgaria suscepit. At Muntimerus utroque fratre expulso, Principatu potitus, filios tres genuit, Pribesthlabum, Branum (*a*) & Stephanum: eique mortuo successit maximus natu Pribesthlabus. Anno igitur sequente Chrobatia egressus Goinici filius Petrus, cujus supra mentionem fecimus, patruelem Pribesthlabum cum duobus ejus Fratribus Principatu dejicit, atque ipse eum capessit: illi vero fuga sibi consulentes, in Chrobatiam abeunt. Triennio autem post Branus motis contra Petrum armis, victus captusque, oculis ab eo privatus est. Biennio vero post è Bulgaria fugiens quoque Clonimerus Tzeesthlabi pater, movet etiam ipse, urbemque Serbliæ Dostinicam cum exercitu ingreditur, Principatus occupandi causa: quem armis superatum Petrus occidit, & Principatum rexit alios viginti annos, Imperante Beatissimo sanctoque Imperatore Leone, cui subjectus erat. Pacem quoque habuit cum Simeone Bulgariæ Principe, cujus etiam filium in Baptismo suscepit. Post Imperium autem Domini Leonis [*idest post annum* 911. *quo Leo Sapiens obiit*] Dyrrhachii tunc præfectus Protospatharius Leo Rhabduchus, postea Magister & Logotheta cursus publici factus, in Paganiam (*Narentanam*) quæ tunc temporis a Serbliæ Principe occupata erat, venit, sermonem consiliumque instituturus cum laudato Petro Principe de aliquo negotio. Invidia autem ob hanc rem motus Michaël Zachlumorum Princeps, Simeoni Bulgarorum Principi significat, Romanorum Imperatorem, ὅτι ὁ Βασιλεὺς Ῥωμαίων Petrum Principem muneribus colere, quo Turcarum copiis adjutus Bulgariam invadat: erat quip-
„ pe

a Qui supra *Borena*.

„ pe id temporis bellum inter Romanos & Bulgaros (*a*) ad
„ Acheloum. Furens itaque quodammodo hoc nomine Si-
„ meon contra Serbliæ Principem Petrum, mittit cum exer-
„ citu Theodorum Sigritzen, & Marmaën, una cum Paulo
„ Brani Principis filio, quem Petrus Serbliæ Princeps excæca-
„ verat. Dolo igitur, Bulgari Principem Serbliæ aggressi,
„ & prole in Sacro Lavacro suscepta & dato juramento, nihil
„ eum mali ab ipsis passurum, per fraudem exire persuasum,
„ & in vincula e vestigio conjectum, in Bulgariam abduxe-
„ runt, ubi & in carcere vitam cum morte commutavit; in
„ ejus autem locum successit Paulus Brani filius, qui Principa-
„ tum triennio tenuit. Dominus vero Romanus Imperator
„ secum habens Pribesthlabi Serbliæ Principis filium Zacha-
„ riam, misit eum, ut Principatum Serbliæ occuparet: sed
„ illum venientem prælio superavit Paulus, captumque Bul-
„ garis tradidit in vinculis asservandum: Deinde elapso trium
„ annorum spatio, Paulo Bulgaris hoste facto, Zachariam
„ misit, quem Dominus Romanus Imperator antea miserat,
„ isque, Paulo dejecto, Serblorum Principatum occupat; &
„ illico memor beneficiorum, quæ a Romanorum Imperatore
„ acceperat, Bulgaris se opposuit, malens potius Romano
„ Imperio subesse, quam Bulgaris. Quare quum exercitum
„ contra ipsum misisset Simeon sub præfectis Marmaen, &
„ Theodoro Sigritze, capita eorum atque arma Imperatori
„ Romanorum misit, victoriæ partæ signa: adhuc enim bel-
„ lum inter Bulgaros & Romanos erat. Nec unquam subjici
„ Romanorum Imperatori & parere desinebat, quemadmo-
„ dum & Priores Principes mittere ad ipsos soliti erant. Si-
„ meone vero iterum novas copias mittente contra Zachariam
„ Principem sub præfectis Creno, Hemneco, & Hetzboclia,
„ & misso simul Tzeesthlabo, metuens tunc sibi Zacharias, in
„ Chrobatiam profugit. Bulgari autem Zupanis significarunt,
„ ut se convenirent, & Tzeesthlabum exciperent; juramen-
„ toque deceptos atque ad primum pagum adductos, proti-
„ nus in vincula conjicientes, Serbliam invaserunt, popu-
„ lumque omnem a minimo ad maximum in Bulgariam abdu-
„ xerunt: quidam vero profugi in Chrobatiam se receperunt:

a Anno Chr. 917. Vide Pagium ad eund. ann. num. 2.

„ mansitque Regio desolata. Porro circa illud etiam tempus „ Chrobatiam cum Alogobotur armata manu ingressi Bulgari, „ omnes a Chrobatis (*a*) interfecti sunt. Et post septem „ annos fuga deserens Bulgaros Tzeesthlabus cum aliis quatuor a Presthlabo in Serbliam venit. Non invenit autem in „ ea regione præter viros quinquaginta, sine uxoribus liberisque, venatione victitantes. Cum his regionem obtinens, „ per nuncios tutelam & auxilium ab Imp. Romanorum petiit, „ promittens obedientiam ejus jussibus se præstiturum, qualem & ante ipsum Principes Romanorum Imperatori exhibebant. Atque ex eo tempore multis illum beneficiis affecit „ Imperator Romanorum, ita ut Serbli, qui a Simeone dissipati in Chrobatia, aliisque regionibus commorabantur, „ re audita, ad ipsum undique gregatim convenirent: quin „ & in urbem Constantinopolitanam plurimi e Bulgaria fugientes venerunt, quos vestibus cæterisque beneficiis ornatos, Imperator Romanorum ad Tzeesthlabum misit: qui „ magnificis Romanorum Imperatoris largitionibus regione „ constituta, & ad pristinam incolarum frequentiam reducta, „ totum se Romano Imperio subjecit, quippe ipsius Imperatoris auxilio frequentibusque ejus beneficiis regione illa constituta, Princeps quoque illic confirmatus est „: *Anno nempe 949. quo Porphyrogenitus scribebat*.

VI. Alii a Serblorum Regibus Principes Zachlumorum, Narentanorum, Terbuniatarum, & Slavorum Transalpinorum.

Unus itaque Serblis supremus Princeps præerat ab an. circiter 640. quo sub Heraclio Imp. illuc advenerant, usque ad annum 949. quo Tzeesthlabus Serbliam tenebat; tametsi in plures Zupanias Serblia divisa esset, ut unicuique Zupaniæ suus Banus, sub illo tamen supremo Principe, præficeretur. Hinc de Zachlumis idem Porphyrogenitus c. 33. scribit: „ Venit autem posteritas „ Proconsulis & Patricii Michaëlis Busebutze Zachlumorum „ principis filii, a non baptizatis accolis fluminis Bislas, quod & „ Ditzice cognominatur, habitavitque ad flumen Zachluma „ nuncupatum „. Et cap. 32. de eodem, ut opinor, Michaële: „ Invidia motus Michaël Zachlumorum princeps Simeoni „ Bulgarorum Principi significat, Romanorum Imperatorem, „ Petrum Principem *Serbliæ* muneribus colere, quo Turcarum „ copiis

a Quo bello Simeon quoque Bulgariæ Rex cæsus fuit die 27. Maji, Ind. 15. anno 927. Vide Byzantinos scriptores.

„ copiis adjutus, Bulgariam invadat „. Et cap. 30. de Rhausi-
„ nis: Cæterum Rhausium medium jacet inter has duas regio-
„ nes, nimirum inter Zachlumorum regionem Terbuniamque;
„ & habent Rhausini cives in utraque hac regione etiam vineas
„ suas, penduntque principi nomismata 36., Terbuniæ vero
„ principi, totidem „. Et cap. 34. de Terbuniatis & Cana-
litis: „ Usque ad Blastemerum Serblorum principem, qui
„ filiæ suæ maritum dedit Crainan, Belæ Terbuniæ Zupani fi-
„ lium, eumque honoris ergo ἀυπξὅσιον Principem appella-
„ vit: atque ex illo Phalimeres natus est, ex quo Tzutzeme-
„ res „. Ubi Terbuniæ Zupanum a Blastemero Serblorum omnium supremo principe, ἀυπξυσίας prærogativis honoribus donatum non dixisset, nisi Zupani omnes ei subjecti fuissent. Næ igitur illi egregie hallucinantur, qui Zupanos Serbliæ aut Chrobatiæ undecumque ex priscis auctoribus & documentis corradentes, eos in serie Ducum Regumque Dalmatiæ & Croatiæ obtrudunt: cujusmodi profecto est *Demogojus*, qui Narentanis imperabat ab *Orontio*, idest *Narone* fl. usque ad *Zentinam*, idest *Tilurum* fluvium, habebatque subjectas sibi urbes habitatas *Mocrum*, *Berulliam*, *Ostroc*, *&* *Labinetzam*; insulas præterea *Curcram*, *Meletam*, *Pharam*, *&* *Bratzen*. Hujus Demogoji, subjectorumque Narentanorum frequentes in Venetorum confinia incursiones maritimæ a Dandulo narrantur. Alii etiam Serbli Slavi piraticam exercebant, nimirum *Zachlumi*, quorum regio habet ab ortu Rhausium, ab occasu terminatur *Orontio*, sive Narone fluvio. De utrisque istis Slavis Serblis intelligendus est Dandulus, quum ait de Urso Particiaco Duce Venetorum: „ Dux cum 30. navibus exiens, cum
„ Sclavis bellum peregit, & victoriam obtinuit ... & propter
„ fœdus quod cum Sclavis habebat, omnes captivos libere
„ dimisit. Tamen Sclavi reputantes se offensos, fœdus irri-
„ tum habuerunt, quod mortuo Demogoi renovatum est,
„ non inclusis Narentanis, Venetorum maximis æmulis, con-
„ tra quos Dux exercitum misit „ & ad annum 877. de Carolo Ludovici Germaniæ Regis filio: „ Hic primo anno Regni sui
„ Ravennæ existens, fœdus inter Venetos & subjectos suos
„ Italici Regni per quinquennium renovavit, & instituit, ut
„ contra Sclavos, qui utrosque maritimis latrociniis niteban-

 „ tur

„ tur invadere, debeant unanimiter & concorditer non ſolum „ reſiſtere, ſed etiam invadere „. Itaque *Demogojum* quidem habeamus ex Dandulo Narentanorum Principem; quis tamen *Inicus* ille ſit, aut cujus Zupaniæ princeps, qui unacum Demogojo in ſerie Ducum Dalmatiæ & Croatiæ perperam ponitur, in Danduli quidem Chronico ſive manu exarato, ſive typis edito, non invenio. At vero Muratorius ad annum circiter 878. (poſtquam Sedesclaum Dalmatiæ Ducatum, relegatis Demogoji filiis, arripuiſſe, eoque paulo poſt interfecto, Branimirum Ducatum ejus accepiſſe, Dandulus narraſſet) integram hanc periodum ex codice Ambroſiano deſumtam ad oram libri addit: „ Hoc tempore Illicus Banus Princeps Sclavoniæ, contra pacis fœdera veniens, civitates Iſtriæ maritimas damnis & derobationibus flagellavit; propter quod „ Urſus cum manu forti perſonaliter adverſus eum exiens, eſt „ victoriam conſequutus, terrarumque per ipſum Illicum occupatarum indebite atque ſpoliorum reſtitutionem obtinuit „ cum triumpho „. Haud dubium, quin *Illicus* hic idem ipſe „ ſit qui a Lucio *Inicus*, & a Farlato Tom. I. pag. 342. in ſerie Ducum & Regum Chrobatiæ num. VIII. recenſetur, ſic: *Dominicus*, vel *Demogoy*, *&* *Inicus poſt annum* 864. *ex hiſtoricis Venetis*. Slavonia proprie dicta, inter Savum & Dravum eſt, quam Farlatus Tom. I. pag. 485. in notis ad vitam B. Lietberti, a Radulpho monacho S. Sepulcri ſcriptam, & a Bollandianis ad diem 23. Junii editam ad ea verba: „ Prætergreſſus „ Pannoniorum fines limitaneos „ deſcribit inquiens: „ Pannoniæ, ejus ſcilicet, quæ Danubio & Dravo interjacet, limes „ erat ipſemet Dravus, qui Hunnos haud ita pridem ad chriſtianam religionem converſos ſeparabat ab Slavis, qui tum „ Interamniam, ſive regionem Dravo & Savo interjectam incolebant, quæ vocatur Slavonia. *& mox*. Pannoniam ab „ ortu Danubius ab Jazygibus Metanaſtis, & Dacis antiquis, „ quos nunc Tranſylvanos vocant, a meridie Dravus ab Slavis Interamniæ ſive Slavoniæ propriæ incolis ſejungebat „. Poſterior quidem ætas, *Slavoniæ* nomen etiam ad Iſtriam & Dalmatiam extendit, eodem Farlato teſte Tom. cit. pag. 129. quin imo univerſam Dalmatiam Illyricam, provinciis quatuor Eccleſiaſticis, Jadrenſi, Spalatenſi, Raguſina, Antibarenſi,

com-

comprehensam, *Sclavoniæ* vocabulo donavit. Verum *Slavoniæ* vox apud sequioris (*a*) ævi scriptores, pro ea regione sumitur, quæ Savo & Dravo terminatur: quemadmodum in charta geographica apud eund. Farlat. pag. 229. videre est. Hujus igitur *Slavoniæ*, sive Interamniæ, princeps erat *Illicus Banus*: adeoque ad Chrobatiam, de qua loquimur, cuique *Sedesclavus* & qui post ipsum recensetur *Branimirus* eodem tempore idest an. Chr. 878. imperabat, nihil omnino spectabat; sed *Porini illius* fortasse successor dicendus est, quem supra vidimus Chrobatiam Transalpinam, Savoque & Dravo interjectam Slavoniam anno 841. obtinuisse. Rejectis proinde a Chrobatiæ maritimæ sive Dalmatiæ propriæ Regum serie *Demogojo* Serblorum Narentanorum, & *Illico* seu *Inico* Chrobatorum Transalpinorum & Interamnensium, Ducibus, *postquam dissidia illa factionesque cessassent*, de quibus post Mislavi cædem Porphyrogenitus sic scripsit: ,, Plurimis obortis dissidiis ac factionibus, equitum ,, (Chrobatiæ Cisalpinæ ac maritimæ) peditumque numerus ,, valde imminutus est, item sagenarum ac condurarum,, ab anno 878. sequentes Chrobatiæ Dalmatiæque Duces eruuntur. Videlicet.

VII. Sedesclavus Chrobatiæ Principatum Narentanum adjungit. Ad ipsum Jo: VIII. PP. epistola data an. 879.

Sedesclavus, Lucio *Sebesclavus* dictus; de quo Farlatus in Catalogo Ducum & Regum Chrobatiæ Tom. cit. pag. 342. num. IX. *Sedesclavus anno circiter* 870. *ex Dandulo*. Male, quo ad annum 870. nam Dandulus in Chron. Cod. MS. Vat. fol. 75. edit. Murat. pag. 187. ad primum annum Regni Italici Caroli, filii Ludovici Germaniæ Regis, idest ad annum circiter 878. de eo hæc tradit: ,, Per hos dies Sedesclavus (*b*) ,, ex progenie Tiburini (*c*), fultus Imperiali præsidio, Dal- ,, matiæ Ducatum arripuit, filiosque Domogoi exilio misit: ,, quem

a Francicarum rer. scriptores a Caroli Magni temporibus usque ad ann. circiter Chr. 890. *Sclavoniam* seu *Sclaviniam* appellant eam Slavorum septentrionalium regionem, quæ a Poëta Saxonico de gestis Caroli ad annum 780. sic describitur. ,, Inde- ,, que festinus pergens, ibi castra locavit, Albia qua grandis fluvius miscetur & ,, Hora: nam res Saxonum voluit componere, necnon Sclavorum, medios quos Albia ,, dividit amnis. Citra Saxones degunt, in litore vero Sclavorum pagana manet ,, gens ulteriori ,,. Vide Duchesn. Tom. 1. pag. 17. 23. 36. & 77. ubi *Sclavinia*, & *Sclavonia* vocatur. In Epist. Ludovici II. Imperatoris ad Basilium Macedonem apud Baron. ann. 871. num. 73. *Tot populos Sclavoniæ nostræ*: idest, eorum Slavorum, qui Imperio Occidentis in Dalmatia obtemperabant.

b Ita Cod. Vat. At edit. Murat. *Sedan Sclavus*.

c Edit. Murat. *Tibinuri*.

„ quem non multo interjecto tempore, Branimirus occidit, „ & Ducatum ejus accepit „. Ubi Dandulus *Dalmatiæ Ducatum* vocat eam Maritimam ac Cisalpinam regionem, quæ ab Arsia fl. usque ad Drilonem, ab occasu scil. in ortum extenditur. Nam Sedesclavus, præter Chrobatiam sive Dalmatiam, quæ Narone terminabatur, relegatis Demogoji filiis, etiam Narentanam occupavit, quæ a Narone, ut supra dixi, ad Drilonem erat porrecta. Quidquid enim sit de ejus veritate (quam Farlatus Tom. 1. pag. 125. fusius expendit) hanc tamen ipse Dandulus, suo saltem ævo, viguisse *Dalmatiæ descriptionem* tradit in Chronic. Cod. MSS. Vat. 5286. fol. 73. pag. 2., & edit. apud Murat. Tom. 12. Rer. Italic. pag. 183. „ Est autem Dalmatia, prima Provinciarum Græciæ, quæ „ habet ab Oriente Macedoniam, ab occasu Istriam; a meri- „ die Mare Adriaticum & Insulas Liburnicas; & a Septentrio- „ ne Pannoniam, quæ est pars (*a*) Mysiæ. A plano itaque „ Dalmatiæ usque Istriam, Croatiam Albam vocavit; & a di- „ cto plano usque Dyrrhachium, Croatiam Rubeam: & ver- „ sus Montana a flumine Drino usque Macedoniam, Rasiam: „ & a dicto flumine citra, Bosniam nominavit. Et Jupanos „ in unaquaque regione constituit; & in Salona, & in Dio- „ clia Archiepiscopos; & in reliquis civitatibus Regni sui Epi- „ scopos, ut antiquitus fuerant, esse decrevit. Moderni au- „ tem maritimam totam vocant Dalmatiam; Montana autem „ Croatiam „. Quam Danduli descriptionem, ex Presbytero Diocleate haustam, Flavius Blondus lib. 2. iisdem plane verbis quum retulisset, fatetur & ipse, suorum temporum moris fuisse, communique consuetudine receptum, ut prætermissis *Albæ* & *Rubeæ* Croatiæ vocabulis, terrarum ille tractus citra montes vergens ad Mare, *Dalmatia* simpliciter, & sine ulla cognominum appositione dicatur; regio autem Montana & Mediterranea, *Chrobatia* nominetur: *Bosnam* vero & *Rasciam* ad Regnum sive ad Reges Chrobatiæ pertinere ait: „ Servat „ tamen ætatis nostræ consuetudo, ut ea omnis Dalmatiæ „ quondam ora in superum mare vergens, Dalmatia; & quid- „ quid ejusdem montes mediterraneaque fuere, Croatia no- „ minetur; Rasciaque & Bosna, pro Regni Croatiæ regioni- „ bus

a Ita Cod. Vat. At edit. Murat. *Mysiæ Russiæ*.

„ bus habeantur „ . Quæ quidem regionum & nominum distinctio (verba hæc sunt Farlati Tom. cit. pag. 127.) nostris etiam temporibus viget, atque omnium literis ac sermone usurpatur; etenim regio quidem Cisalpina ac maritima, Arsiam inter ac Drilonem, ut sæpe diximus, vulgo appellatur Dalmatia; regio autem transalpina ac mediterranea, qua respicit occasum, Chrobatia; qua in ortum spectat, Bosna dicitur: Rascia vero proprie dicta est pars Serbliæ vergens ad meridiem. Itaque *Demogoji Zupania*, quam, pulsis ejus filiis, *Sedesclavus* anno (*a*) (uti ex Dandulo colligitur) 878. occupavit, quamque Sedesclavo occiso, *Branimirus* anno sequenti obtinuit, eo sensu *Dalmatiæ Ducatus* dicitur, quo *Dalmatiæ* nomen, ut modo dicebam, regioni Cisalpinæ ac Maritimæ Arsiam inter ac Drilonem, tribuitur. Ad *Sedesclavum* extat Joannis VIII. Papæ epistola 176. Tom. 9. Concil. Labb. pag. 114. sic inscripta: „ Dilecto filio Sedesclavo glorioso Comiti Sclavorum „ . Data VI. *Nonas Maji Ind.* XII. hoc est, die 2. Maji Anno Chr. 879. Unde colligitur, *Demogojo* anno circiter 877. mortuo, filios ejus aliquandiu eam Zupaniam tenuisse: illis autem exeunte anno 878. captis & in exilium pulsis, *Sedesclavum*, Basilii Macedonis auxilio fultum, præter Dalmatiam suam sive Chrobatiam Arsia & Narone interjectam, eum etiam Demogoji *Ducatum*, uti Dandulus vocat, seu *Comitatum*, juxta Joannis Papæ literas, invasisse. Porro Joannes Papa Sedesclavo injungit, ut Legato, quem ad Michaëlem Bulgarorum Regem mittit, iter tutum præbeat, ac necessaria suppeditet. „ Quia fama tuæ dilectionis (*inquit*) atque bonitatis, „ & religionis in Deum ad nos usque pervenit, confidenter „ gloriæ tuæ præcipimus atque mandamus, ut pro amore Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli Protectorum vestrorum, „ præsentem Legatum, quem ad gentem Bulgarorum dirigimus, salvum atque incolumem venire faciatis usque ad dilectum filium nostrum Michaëlem gloriosum Regem eorum; „ & quæcumque ei sunt necessaria ad victum & vestimentum, illi pro Dei amore administrate „. Ex his Joannis Papæ literis intelligitur, *Narentanos*, qui *Pagani*, idest Infideles,

a Farlatus Tom. 1. pag. 342. *Sedesclavi* initia ad ann. 870. confert, & *Branimiri* ad ann. 879.

deles, olim fuerant, Christianam Fidem jam fuisse amplexatos, quorum proinde Comes sive Jupanus *Sedesclavus* a Jo: Pontifice *dilectus filius* appellatur, & pro amore Dei Sanctorumque Apostolorum Petri & Pauli suorum Protectorum, jubetur Legatum Apostolicæ Sedis perhonorifice exceptum, salvum incolumemque ad Bulgariæ Regem deducendum curare. Eam Serblorum Chrobatorumque Dalmatiæ conversionem, anno Chr. 867. Basilii Macedonis I. contigisse, mox demonstrabitur. Non mirum igitur, quod idem Basilius Imperator, adductis ad Christi fidem, ipsius opera, Slavis opem suam impenderit, non modo, ut quas possidebant Zupanias retinerent, sed etiam ut eo vectigali fruerentur, quod olim Imperiali Prætori exhibebatur. Porphyrogenitus cap. 30. de Adm. Imp. „ Ex quo vero jamdicti Sclavi (*Chrobati & Serbli*)
„ inhabitarunt, finitima Dalmatiæ omnia occuparunt: urbesque Romanorum (*idest, Romani urbium illarum habitatores indigenæ*) insulas colebant, ex iisque vivebant. At
„ quum quotidie, ὑπὸ τῶν Παγανῶν, a Paganis (*idest Narentanis infidelibus*) captivi abducerentur, & exterminarentur, insulas deseruerunt, continentem colere volentes.
„ Verum a Chrobatis (*nullus dubito, quin a Serblis*) prohibebantur, quum nondum illis tributa penderent: nam ea,
„ quæ hodie Sclavis pendunt, tum Prætori exhibebant. Sed
„ quum vitam tolerare non possent, ad Basilium illum præclarum Imperatorem accesserunt, eumque res a nobis commemoratas edocuerunt. Is itaque Imperator auctor fuit, ut
„ ea omnia, quæ Prætori solvebant, Sclavis darent, pacis
„ causa; & Prætori exiguum aliquid penderent, ad ostendendam dumtaxat Romanis Imperatoribus & ipsorum Prætori
„ debitam subjectionem ac servitutem. Atque ex illo tempore omnes istæ urbes Sclavorum tributariæ pacta ipsis solvunt; Aspalatus quidem urbs nomismata 200. Tetragurium
„ nomismata 100. Diadora 110. Opsare 100. Arbe 100. Becla 100. ita ut universim essent nomismata 710. excepto vino, & cæteris speciebus diversis, quas præter prædictam
„ nomismatum summam exhibebant. *Et cap.* 29. de Baptismo
„ ab iisdem Slavis suscepto. Ab Imperio Heraclii Romanorum Imperatoris, (uti quum de Chrobatis & Serblis age-
„ mus,

„ mus, dicturi sumus) universa Dalmatia, necnon finitimæ „ illi gentes, Chrobati, Serbli, Zachlumitæ, Terbuniotæ, „ Canalitæ, Diocletiani, & Arentani, [qui & Pagani nuncupati sunt] ditioni Romanæ se subtraxerunt: quippe quum „ Romanum Imperium, per imperantium tunc temporis ignaviam atque socordiam, maxime Michaëlis (*a*) Amoriensis „ Balbi, tantum non exspirasset; qui Dalmatiæ oppida incolebant, sui juris facti, neque Romano Imperatori, neque „ cuiquam alteri subjecti: itidem conterminæ illis gentes, „ Chrobati, Serbli, Zachlumitæ, Terbuniotæ, Canalitæ, „ Diocletiani, & Pagani, excussis Romani Imperii habenis, „ liberi, suisque, non alienis legibus usi sunt. Principes vero, ut ajunt, hæ gentes non habent, præter (*b*) Zupanos „ senes, quemadmodum etiam reliqui Sclavorum populi. „ Plurimi etiam ex his Sclavis non baptizabantur, imo diu „ Baptismi expertes manserunt. Imperante autem piissimo „ Imperatore Basilio, Legatos miserunt petitum, ut qui ex „ ipsis baptizati nondum essent, baptizarentur, essentque „ veluti ab origine Imperio Romano subjecti. Horum precibus auditis beatus ille præclarusque Imperator Cæsarianum, „ Βασιλικὸν, unacum Sacerdotibus misit, omnesque illos, „ qui in prædictis gentibus nondum baptizati erant, baptizavit: baptizatis autem ipsis, tunc Principes eis designavit, „ quos vellent eligerentque è stirpe, quam maxime diligerent ac amarent. Atque ex eo tempore in hodiernum usque „ diem Principes ipsis ex eadem stirpe, & non aliunde eliguntur. Pagani autem, qui & Arentani Romanorum lingua nuncupati sunt, in locis inaccessis atque præruptis Baptismi expertes relinquebantur. Pagani (*c*) quippe Sclavorum lingua, non baptizati dicuntur. Deinceps vero

a De Dalmatatum sub Michaële Balbo defectione loquitur & Continuator Theophanis edit. Paris. pag. 52. „ Sed & omnis Dalmatia sub id tempus a Romano Imperio defecit, suique omnes juris ac sibi capita extiterunt, quoad usque inclytus „ ille Basilius Imperium regendum suscepit. Tunc enim Romanæ facti sunt ditionis.

b Atqui præter Zupanos singularium Zupaniarum præfectos, habebant Serbli & Chrobati Slavi, usque ab Heraclii temporibus, supremos alios Duces, qui Zupaniis subjectis imperarent. Vide quæ supra ex eodem Porphyrog. adnotavi.

c Fallitur Porphyrogenitus, dum ait *Paganos* lingua Slavorum *non baptizatos* intelligi: quippe *Paganus* Latinis Scriptoribus Christianis dicitur *Gentilis* seu *Idololatra*, unde quum hæc vox à *Pagis* desumta sit, ubi sequiori sæculo *Gentiles* seu *Idololatræ* lati-

„ etiam hi missis ad eumdem præclarum Imperatorem Legatis petierunt baptizari. Misit itaque & baptizavit.

VIII. Branimirus Chrobatiæ Comes post Sedesclavum. Ad ipsum epistolæ Jo: VIII. Papæ anno 879. & 880. Theodosius Slavorum Branimiro subjectorum Episcopus Nonensis.

Qui Sedesclavo successit *Branimirus*, etsi a Dandulo dicatur in Sedesclavi necem conspirasse, ad Romanæ Ecclesiæ sinum statim convolavit, misso in Urbem Joanne Presbytero. Exstant ad ipsum binæ Joannis Papæ literæ, & una ad Sacerdotes & populos ei subjectos. Prima (*a*) num. 184. inscripta, *dilecto filio Branimir*, data VII. *die Mensis Junii*, *Indictione* XII. hoc est, anno Chr. 879., uno mense & sex diebus post illam, quam idem Joannes VIII. Pontifex ad Sedesclavum scripserat. Incipit: „ Relegentes nobilitatis tuæ literas, quas „ per Joannem Ven. Presbyterum communem fidelem nobis „ mandasti, quantam fidem & sinceram devotionem circa Ec„ clesiam sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, ac circa nos „ habeas, luce clarius novimus. Et quia, Deo favente, quasi „ dilectus filius sancto Petro, & nobis, qui per divinam gra„ tiam vicem ejus tenemus, fidelis in omnibus & obediens „ esse cupias, humiliter profiteris; tuæ nobilitati dignas valde „ gratias his nostri Apostolatus literis agimus, paternoque „ amore, utpote carissimum filium, ad gremium sanctæ Sedis „ Apostolicæ matris tuæ, de cujus videlicet purissimo fonte „ Patres tui melliflua sanctæ prædicationis potavere fluenta, „ redeunrem suscipimus, & spiritualibus amplectimur ulnis, „ atque Apostolica volumus benignitate fovere „. Monet, ut in Dei amore perseveret, utque ipsius Sacerdotibus & ministris honorém debitum exhibeat. Impertitur benedictionem Apostolicam quam petierat: „ Sicut autem nostro Præsulatui „ per jam fatum Presbyterum tria (*b*) suggessisti, quatenus „ nostro tibi ore Apostolico benediceremus pro tuæ salutis „ augmento, idipsum libenter fecimus: nam in die Ascensio„ nis Domini inter sacra Missarum solemnia super sacrum Al„ tare S. Petri Apostoli celebrantes, elevatis sursum manibus „ benediximus tibi, & omni populo tuo, omnique terræ tuæ.

„ *Et*

latitebant, sive potius in Idolorum cultu diutius permanserant: facile unusquisque intelligere potest vocem hanc *Paganus* Latinam, non Slavam esse. Slavi tamen in Dalmatia ad Christianam Fidem primum adducti, voce hac Latina usi sunt ad significandum eos qui nondum Baptismum acceperunt.

a Tom. 9. Concil. Labb. pag. 119.

b An potius, tuum?

„ *Et concludit*: Et quia hunc ipsum Johannem Presbyterum, „ tibi & nobis verum fidelem in omnibus esse cognoscimus, „ dedimus illi nostram Apostolicam epistolam deferendam „ Regi Bulgarorum. Ideo petimus, ut pro amore S. Petri & „ nostro, cum tua ipse licentia legationem hanc nostram sine „ tarditate perficiat, ut & propter hoc tuæ dilectioni multipli- „ lices gratias habeamus. „ Secunda Joannis VIII. PP. epistola (*a*) num. 185. inscripta „ Omnibus venerabilibus sa- „ cerdotibus & universo populo „: *dat.* VII. *die mensis Junii, Indict.* XII. [idest anno Chr. 879. Incipit: „ Quum literas „ Principis vestri Branimir, quas nobis per Joannem Ven. „ Presbyterum ipse direxit, legeremus, non solum illius de- „ votionem, sed etiam fidei vestræ sinceritatem & dilectio- „ nem, quam circa S. Petrum Apostolorum principem, & cir- „ ca nos habetis, cognovimus. Et quia velut carissimi filii ad „ sanctam Romanam Ecclesiam, unde parentes vestros melli- „ fluæ sanctæ prædicationis dogmata suscepisse agnoscitis, to- „ to animo totaque voluntate redire cupiatis, nostram Apo- „ stolicam gratiam & benedictionem habere magnopere desi- „ derantes, magna sumus repleti lætitia „. Illos proinde excipit ad Sanctæ Romanæ Ecclesiæ gremium redeuntes, monetque, ut perseverent. Quibus verbis ad tempora Joannis IV. Papæ proculdubio respicit, a quo missus Martinus Abbas sanctissimus in Dalmatiam: Joannem præterea Ravennatem designat a S. Martino Papa illuc missum: per quos eorum Slavorum, ad quos Joannes VIII. scribit, parentes Christianam fidem acceperant: quam quidem fidem quum postea nonnulli Chrobati abjecissent, & Serbli etiam Narentani, ex quo in eam Dalmatiæ regionem advenerant, nunquam amplexi fuissent; idcirco utrosque populos uno verbo complexus, ad Sanctam Ecclesiam illos rediisse Pontifex affirmat, quam parentes eorum olim coluerant. Unde intelligitur, Branimirum parentibus Christianis progenitum, eundemque non solum Narentanis, qui semper pagani fuerant, sed etiam nonnullis Chrobatis & Serblis, qui olim Baptismum susceperant, imperasse: *plurimi enim ex his Sclavis* [inquit Porphyrogenitus de Chrobatis, Serblis, Zachlumitis &c.] *non baptizabantur, imo diu Baptismi ex-*

Rr 2

a Tom. 9. Concil. Labb. pag. 120.

expertes manserunt: quod Baptismum sub initia Basilii Macedonis, hoc est circa annum 868. illos suscepisse, idem ipse Porphyrogenitus testatur. Tertia Joannis VIII. Papæ ad Branimirum (*a*) epistola num. 284. inscribitur: „ Excellentissimo „ viro Barnimero (*b*) glorioso Comiti, & dilecto filio no„ stro; atque omnibus religiosis Sacerdotibus, & honorabili„ bus Judicibus, cunctoque Populo, pax & gratia a Domino „ nostro Jesu Christo „. Ostendit sibi gratissimam fuisse eorum in Sedem Apostolicam observantiam, quam per Theodosium Episcopum ipsorum legatum exhibuere. Hortatur ad perseverantiam: jubet legatos ad se mitti, quibus revertentibus, Legatum suum missurum se pollicetur, cui ipsi fidelitatem juxta Ecclesiæ ritum promittant. Initium „ Audita per Theodo„ sium Ven. Episcopum vestrum fide & devotione, quam cir„ ca Sedem B. Petri Apostoli & nostri Pontificii vos habere „ cognoscimus „. Quo anno data sit non exprimitur: sed ex epistolarum contextu videtur scripta *mense Octobri*, aut potius *Novembri*, *Indict.* XIV. hoc est, anno Chr. 880. Nam subjungitur literis ea Indictione datis, & præmittitur aliis quæ a pagin. 215. *Indictione* XV. scriptæ dicuntur. Porro *Theodosii Episcopi* Slavorum Branimiro subjectorum mentio fit etiam in epist. Joannis VIII. Papæ num. 287. ad Michaëlem Regem Bulgarorum his verbis. „ Miramur quod tanto jam tempore „ transacto missos vestros ad Sanctam Romanam Ecclesiam „ matrem vestram & ad nos transmisistis. Modo vero [sicut „ nobis retulit Theodosius Venerabilis Episcopus] missos „ tuos cum eo dirigere promiseras; sed pro qua causa eos „ dirigere prætermiseris, ignoramus „. Ad eundem Theodosium, electum Nonensem Episcopum, dum adhuc Diaconus esset, habetur ejusdem Joannis VIII. Papæ (*c*) epistola num. 183. cujus titulus: *Theodosio Venerabili Diacono, & Electo Sanctæ Ecclesiæ Nonensis*. Laudat ejus erga Romanam Ecclesiam observantiam, monetque, ut a se consecrationem Episcopalem accipiat. Data dicitur IV. *die mensis Junii Indictione* XII. idest, anno Chr. 879. „ Dilectionis tuæ literis „ re-

a Tom. 9. Concil. Labb. pag. 204.
b Leg. *Branimiro*.
c Tom. 9. Concil. Labb. pag. 118.

„ receptis [*inquit Pontifex ad Theodosium*] atque perlectis, „ devotionis & fidei tuæ sinceritatem, quam circa Ecclesiam „ B. Petri Apostoli, & circa nostrum Pontificium habes, luce „ clarius agnovimus. Et quia nostram gratiam & benedictionem „ humili prorsus affectu expetere studuisti, valde sumus ga- „ visi. Nam & Joannes Ven. Presbyter de vestra parte ve- „ niens, multa nobis tuæ bonitatis & patientiæ viva voce præ- „ conia retulit, quæ in Sacerdote Christi magnopere sunt ha- „ benda. Unde te quasi dilectum corporis Christi membrum „ & spiritalem filium, nostri Apostolatus ulnis extensis am- „ plectimur, paternoque amore diligimus, atque Apostolica „ semper volumus benignitate fovere. Ideo monemus saga- „ citatem tuam, ne in quamlibet partem aliam declines, & „ contra sacra Venerabilium Patrum instituta, Episcopatus „ gratiam recipere quæras.... Sed toto corde totaque vo- „ luntate ad gremium Sedis Apostolicæ, unde Antecessores „ tui Divinæ legis Dogmata melliflua cum sacræ institutionis „ forma, summique Sacerdotii honorem sumpserunt, redeas: „ quatenus & ipse ab Apostolica Sede, quæ caput & Magistra „ est omnium Ecclesiarum Dei, Episcopalem consecrationem „ per nostræ manus impositionem, Christo annuente, perci- „ pias: quatenus secundum pristinum morem, Sancti Petri „ & nostra auctoritate atque tuitione munitus, Populum Do- „ mini tibi commissum strenue ac securiter regas „. Joannes igitur Presbyter tum Branimiri Ducis, tum Theodosii electi Episcopi literas ad Joannem VIII. Papam ante initium Mensis Junii anni 879. detulit. Anno eodem Joannes Papa ad utrumque epistolas illas dedit, quarum prima data dicitur die IV. Junii, binæ aliæ die VII. Junii. Anno sequenti Theodosius ipse Romam venit, acceptaque a Pontifice consecratione Episcopali, in Dalmatiam reversus est cum literis Papæ anno 880. datis tum ad Branimirum Ducem, tum ad Michaelem Bulgarorum Regem. At vero *Nona*, cujus Ecclesiæ *Theodosius* Episcopus fuit, urbs est alias Croatiæ maritimæ, nunc Dalmatiæ, Slavis *Nin*, *Ænona* Plinio, Episcopalis sub Archiepiscopo Jaderensi; de qua Porphyrogen. cap. 31. *Baptizatæ Chrobatiæ urbes habitatæ istæ sunt, Nona, Belogradum &c.* Vide Baudrand. in v. *Nona*, &, *Ænona*. Unde magis con-

confirmatur quod supra dixi, de Chobatia maritima unacum Serblis Narentanis Branimiro Duci subjecta. An vero Joannes Presbyter, Branimiri Ducis ac Thedosii electi Episcopi ad Joannem Papam Legatus, unus idemque sit cum cognomine *Joanne Presbytero, a Tuventaro de Marauna* ad eundem Pontificem misso, de quo sit mentio in epistola 194. data XVIII. Kal. *Jul. Ind.* XII. idest die 14. Junii anno 879. in qua Pontifex hortatur Tuventarum, ut omnem falsam doctrinam rejiciens, in Sanctæ Romanæ Ecclesiæ fide maneat, miraturque, Methodium aliter quam fuerat professus docere, propter eaque a se evocatum significat; an, inquam, unus idemque Joannes Presbyter legatione Branimiri simul & Tuventari functus sit; non ausim definire; quamquam res sub eodem Pontifice, eodemque anno ac mense gestæ suadere videantur, finitimos Slavorum Chrobatorum Moravorumque Duces uno eodemque ad Apostolicam Sedem Legato usos fuisse, non a veri similitudine abhorrere. Sed de Tuventaro dixi supra, ubi de Moravis ad Christi fidem per Methodium adductis.

Sub eodem Branimiro ad annum circiter 887. bellum a Petro Candiano Venetorum Duce adversus Slavos Narentanos gestum narratur a Dandulo Cod. Vat. 5286. fol. 77. & edit. Murat. pag. 192. in hæc verba: „ Hic confestim contra Na-
„ rentanos exercitum navalem misit: qui quum sine effectu
„ reversus esset, tunc per semetipsum cum 12. bellicis navi-
„ bus in mense Augusti egressus est, & ad montem Sclavorum
„ perveniens in loco qui vocatur Nucules (*a*) exivit, licet
„ cum paucis; sed Sclavos sibi resistentes primum in fugam
„ vertit, multosque ex illis occidens, quinque naves illorum
„ securibus fregit. Sed demum irruentibus Sclavis, die 18.
„ mensis Septembris cum aliis septem occisus est. Cujus cor-
„ pus Andreas Tribunus surripiens, in atrio Ecclesiæ Graden-
„ sis postea sepelivit. *Et Cod. Vat. fol.* 80. *edit. Murat. p.* 201.
„ Petrus Candianus secundus, Dux elevatus est anno Domi-
„ ni 932. Hic fuit filius Petri Candiani Ducis, qui in Dalma-
„ tia a Sclavis occisus est. Ubi *Narentanorum* regionem Dan-
„ dulus in *Dalmatia* includit.

Bra-

a Edit. Murat. *Mucules*.

IX. Mucimirus Tirpimiri f. Chrobatiæ Dux circa an. 892. Braslavus post Porinum & Innicum, Slavoniæ, non Chrobatiæ princeps.

Branimiro successisse *Mucimirum* Tirpimiri filium, ex ejusdem diplomate colligitur. Lucius: *Mucimirum Tirpimiri filium deinde* (post Branimirum) *ponendum, ex ejusdem Privilegio infra ponendo apparet, scilicet anno* 892. Farlatus num. XI. *Mucimirus filius Tirpimiri anno* 892. *ex ejusdem diplomate*. Quod nempe apud Lucium pag. 65. sic habet. „ In nomine „ Patris &c. Anno utique sacram postquam Christus carnem „ ex Virgine sumpsit 892. Ind. XI. sub die IV. Kal. Octobr. „ Quum magnæ inter Salonitanum & Nonensem Præsulibus „ verterentur de quadam facta donatione a Tirpimiro piissi„ mo Duce in juris sanctæ matris Ecclesiæ Domnii & Anasta„ sii &c. dicente Petro Spalatensium Archiepiscopo, hanc „ quam dicitur Ecclesia donatam &c. Respondens Adefreda „ Nonensis Ecclesiæ præsul dicebam &c. Actum est in Bayaci „ ante fores Ecclesiæ sanctæ Marthæ Martyræ &c. Signum mei „ qui sum Mucimiro auctore hujus donationis cartulæ „. Et subscribunt Bani *Budimirus*, *Zillimirus*, *Petrus*, *Pruyna*, *Pruadra*, & alii. „ Sequenti autem die, quæ est 3. Kalen. „ Octob. veniens ego sæpefatus Dux in civitate Spalati, ante „ sanctissimorum dictorum Altaria &c.

Idem Lucius in Catalogo Ducum Croatiæ, quem ex Auctoribus & Privilegiis collegisse se testatur, Branimiro subjungit ad annum 890. *Brazlavonem*; (*a*) quem Farlatus tom. I. pag. 341. *Brazlavum* appellat ex *Annalibus Fuldensibus ad ann.* 884. *&* 892. additque: „ quamquam hujus Principatus „ Dravo & Savo definitus, in Dalmatiam fortasse non exten„ deretur „. Sed neque vana est clarissimi viri assertio: quum ex laudatis Annalibus palam fiat, post *Porinum*, & *Illicum* seu *Inicum*, Slavis Chrobatis inter Savum & Dravum præfuisse Ducem *Brazlavum*, de quo hæc Annalista Fuldensis ad ann. 884. „ Imperator [*Carolus III. Ludovici Regis Germaniæ filius*] „ per Bajowariam ad Orientem proficiscitur, veniensque pro„ pe flumen Tullinam, monte Comiano colloquium habuit. „ Ibi inter alia veniens Zwentibaldus (*b*) Dux cum princi„ pa-

a Apud Bandur. de Adm. Imp. edit Paris. pag. 9?.

b Alias *Sfentopulcus* Moraviæ Dux, Rastizis nepos: de quo supra memini, ubi de Moravis a Methodio ad Christi fidem conversis. Hujus vero Zwentibaldi fit mentio

„ palibus suis, homo [sicut mos est] per manus Imperatoris „ efficitur, contestatus illi fidelitatem juramento, & usque „ dum Karolus vixisset, numquam in Regnum suum hostili „ exercitu esset venturus. Postea veniente Brazlanuorum „ (*a*) Duce, qui in id tempus Regnum inter Dravo & Savo „ flumina tenuit, suique militiæ subditus adjungitur. Rex per „ Carentam [*Carinthiam*,] in Italiam perrexit. *Et ad annum* 892. Rex [*Arnulfus Germaniæ*] de Francia cum victoria „ in Alamannia curte Regia Ulma honorifice Natalem Domi- „ ni celebravit. Inde Orientem proficiscitur, sperans ibi „ Zwentibaldum Ducem obvium habere. Sed ille, more so- „ lito, ad Regem venire renuit, fidem & omnia ante promis- „ sa mentitus est. Inde Rex irato animo in Hengistfeldono „ cum Braslavone Duce colloquium habuit: ibi inter alia quæ- „ rens tempus & locum, quomodo possit terram Maravorum „ intrare. Consultum est enim, ut tribus exercitibus armatis „ Regnum illud invaderet. Rex equidem assumptis secum „ Francis, Bajoariis, Alamannis, mense Julio Maravam ve- „ nit. Ibi per quatuor hebdomadas cum tanta multitudine, „ Ungaris (*b*) etiam ibidem ad se cum expeditione venien- „ tibus, omnem illam regionem incendio devastandam ver- „ sabatur. Missos etiam suos inde ad Bulgaros & Regem eo- „ rum Laudomir, ad renovandum pristinam pacem cum mu- „ neribus mense Septembri transmisit, & ne coëmptio salis „ exinde Maravanis daretur, exposcit. Missi autem propter „ insidias Zwentibaldi Ducis terrestre iter non valentes habe- „ re, de Regno Brazlavonis per fluvium Odogra usque ad „ Gulpam, dein per fluentes Savæ fluminis navigio in Bulga- „ ria producti. Ibi à Rege honorifice suscepti, eadem via, „ qua venerant, cum muneribus mense Majo (*utique anni* 893.) „ reversi sunt „. Et ad annum 896.. Dum Bulgari cum Hunnis Abaribus confligebant: *Imperator* [Arnulfus] *Pannoniam cum urbe Paludarum tuendam Braxlavoni Duci suo in id tempus commendavit*: ex quo colligere est, Braxlavonem Pan-

tio apud Annalistam Fuldensem ad annos 870. 871. 872. 873. 874. 877. 880. 884. 885. 888. 889. 890. 891. 892. 893. 897. 898. 900. Ad eundem exstat epistola 247. Joannis VIII. Papæ data anno 880.

a Leg. *Brazlavone Duce*.

b Idest, Hunnis Abaribus.

Pannoniæ Saviæ, Slavoniæ alias dictæ, Savo Dravoque interjectæ, Ducem fuisse, eundemque Arnulfi Regis Germaniæ clientelæ obnoxium. Postremo ad annum 898. relata inter duos fratres, Zwentibaldi Moravorum Ducis filios, Moymirum & Zventobolcum contentione, [cujus dissensionis auctor Arbo Comes Isaurico filio instigante dicitur, propptereaque Præfectura sua ad tempus privatus:] subjungit Fuldensis Annalista: „ Deinceps autem quidam, qui erat quon- „ dam Princeps, cum ceteris primoribus gentis Bawariorum, „ nomine Erimbertus, qui postea Regi suisque rebellis extitit, „ a Priznolavo quodam Sclavo Duce, qui & ipse Imperatori „ fidus probatur, comprehensus dinoscitur, & a Luitbaldo „ strenuoComite aliisque vinculis illigatus,Regi a Drantesdorf „ est præsentatus, Christi Domini natale anni instantis finien- „ te „ Priznolavus iste, non alius fortasse a Brazlavone Slavoniæ Duce.

X. Michael, Farlato Miroslavus, Zachlumorum princeps, non Chrobatiæ.

Post *Mucimirum*, Chrobatis imperasse *Tamislavum*, & *Michaelem*, tradunt Slavicarum Rerum scriptores. Et ad Michaëlem quidem quod attinet, hic a Farlato *Mirosthlavus*, adeoque hujus nominis secundus: nam primus *Mirosthlabus*, Cresimiri filius, quem Porphyrogenitus a Pribinna occisum ait, quique in Catalogo Episcopor. Spalatensium apud Farlatum tom. 1. pag. 134. inter Branimirum & Mucimirum perperam collocatur, ante annum 878. in vivis esse omnino desiit: hic autem Michaël, sive Mirosthlavus secundus, post annum 892. quo Mucimirum ex ipsius Privilegio vixisse constat, Chrobatis imperaverit, si Farlatum audimus. At vero Lucius ex Archidiacono quidem ad ann. 914. *Tamislavum*, & ad annum 910. *Dircislavum* ponit; ex auctoribus vero & Privilegiis post Branimirum, Croatiæ Duces laudat ad ann. 890. *Brazlavonem*, & ad annum 920. *Michaëlem Banum*. Similiter Farlatus Tom. 1. pag. 342. *Michaëli* præmittit *Tamislavum*, de quo sic scribit num. XII. *Tamislaus anno circiter* 914. *ex Archidiacono*: mox de *Michaële* num. XIII. hæc tradit: „ Michaël anno circiter „ 920. ex historicis Venetis; idem fortasse ac Myrosthlabus „ Porphyrogeniti „ Utrumque haud recte: & primum quidem, uti modo demonstrabam, Myrosthlabus Porphyrogeniti, annum 878. antecessit. Alterum deinde, quia Dandu-

lus, Venetorum historicorum Princeps, *Michaelis* mentionem ad annum 912. ingerit: Sic enim scribit, Cod. MSS. Vat. fol. 79. edit. Murat. pag. 198. „ Ursus Particiacus secundus „ laudatur Dux anno Domini 912. Hic pronomine dictus Pau„ reta, mox ut Dux effectus est, [*adeoque aut eodem ipso an„ no 912. aut sequenti*] filium suum Petrum Constantinopolim „ destinavit, qui cum honore susceptus, ex Imperiali munifi„ centia Protospatharius factus, aliisque receptis donis, re„ patriare disposuit: at in itinere, fraude Sclavorum Ducis „ Michaëlis, circa fines Croatorum captus, & bonis omnibus „ spoliatus est, atque missus in custodiam Simeonis Regis Bul„ garorum: pro cujus redemptione Dux Genitor misit Do„ minicum Archidiaconum Methamaucensem, qui maximis „ exhibitis donis, Ducis filium recuperavit, & propterea „ suasione Ducis, suæ Ecclesiæ Episcopus postea factus est „. Et ad ann. 939. Cod. Vat. fol. 80. pag. 2. edit. Murat. pag. 203. „ Petrus Badvario Dux decernitur Anno Dom. 939. Hic fuit „ filius Ursonis Particiaco Ducis, qui a Sclavis captus „ [non sibi constat Dandulus: nam supra dixerat, non Ursum, sed Petrum Ursi filium a Sclavis captum: proinde legendum omnino est, *cujus filius a Sclavis captus*: aut si mavis, *Hic fuit filius Petri filii Ursonis Particiaci, qui Petrus a Sclavis captus*;] „ Paterno postea favore liberatus fuerat. Ex quo „ satis clare monstratur, quod Particiaci & Baduarii, licet no„ mine uterentur diverso, tamen ab uno principio exordium „ habuere „. Atque hæc ex mente Farlati, Lucii, & Archidiaconi dicta sunto. Nos tamen indubiam Porphyrogeniti auctoritatem sequuti, *Michaëlem* hunc e serie Ducum Chrobatiæ sive Dalmatiæ prorsus expungimus, quum constet illum *Zachlumorum* dumtaxat Principem fuisse. Verba Porphyrogeniti repetere juverit: sic autem is scribit cap. 32. de Petro Serblorum Duce, Simeone Bulgariæ Rege, & Michaële Zachlumorum Principe. „ Quem [Clonimerum] armis superatum „ Petrus occidit, & Principatum rexit alios 20. annos, impe„ rante beatissimo sanctoque Imperatore Leone, cui subjectus „ erat. Pacem quoque habuit cum Simeone Bulgariæ Prin„ cipe, cujus etiam filium in Baptismo suscepit. Post impe„ rium autem Domini Leonis [*idest post annum 911.*] Dyrrha„ chii

„ chii tunc præfectus Protospatharius Leo Rhabduchus, postea Magister & Logotheta cursus publici factus, in Paganiam [*Narentanorum regionem*] quæ tunc temporis a Serbliæ Principe occupata erat, venit, sermonem consiliumque instituturus cum laudato Petro Principe de aliquo negotio. Invidia autem ob hanc rem motus Michaël Zachlumorum Princeps, Simeoni Bulgarorum Principi significat, Romanorum Imperatorem, Petrum Principem muneribus colere, quo Turcarum (*a*) copiis adjutus, Bulgariam invadat: erat quippe id temporis bellum inter Romanos & Bulgaros ad Acheloum „ idest anno 917. Habemus igitur Michaëlem Zachlumorum, non Croatiæ & Dalmatiæ Ducem, Simeoni Bulgariæ Regi familiaritate conjunctum: tempora etiam congruunt: nam factum illud, quod a Dandulo narratur, paulo post annum 912. contigisse oportet: ac proinde certum videtur, hunc Michaëlem e Catalogo Ducum Dalmatiæ & Croatiæ æque ac Brazlavonem supra memoratum, esse expungendos. Igitur post Mucimirum ponendus est.

XI. Tamislavus post Mucimirum Princeps Chrobatiæ circa ann. 910. Hungari in Pannonii, Moraviam, Bohemiam, Carinthiam & Stiriam invadunt.

Tamislavus, quem, auctor est (*b*) Archidiaconus cap. 13. apud Chrobatos anno 914. imperasse. Hoc imperante, Hungari in Carinthiam & Stiriam invasere. Dandulus edit. Murat. pag. 199. Cod. Vat. f. 79. pag. 2. „ Hungari hoc tempore (*c*) (anno scilicet 900.) Pannoniam ingressi, Moraviam & Bohemiam invadentes spoliaverunt, interfecto eo-

 rum

a *Turcos* vocat Porphyrogenitus *Hungaros*, qui nuper in Pannoniam invaserant. De his supra, ubi de Moravia. Nunc ex Dandulo hæc accipe. Murat. pag. 191. inter ann. 885. & 887. „ Eodem tempore gens Ungarorum a Scythia egressa, in Pannoniam primitus venit, & ejectis inde Avaribus usque hodie ibi manent „. Et p. 197. „ Hoc tempore, videlicet anno 906. Hungarorum pagana & crudelissima gens in Italiam veniens, incendiis & rapinis cuncta devastans, maximam multitudinem hominum interficiens, nonnullos etiam captivos reservavit. Contra quos Berengarius Rex direxit exercitum xv. millium hominum, & pauci ex eis reversi sunt. Hungari vero pertranseuntes Tarvisium, Patavium, Brixiam, ceterosque fines, Papiam & Mediolanum venerunt, & usque ad montem Jeb, vel Jovis, depopulantes cuncta.

b Verba Archidiaconi hæc sunt. Joannes Archiepiscopus fuit anno Dom. 914. „ tempore Tamislavi Ducis.

c Continuator Freherianus Annalistæ Fuldensis ad ann. 900. „ Bajoarii per Boëmaniam ipsis secum assumptis, Regnum Moravorum per tres hebdomadas devastantes irruperunt: tandem cum omni prosperitate domum reversi sunt. Interim „ Avari qui dicuntur Ungari tota devastata Italia. Cetera vide apud Pagium ad annum 900. num. 17. & ad annum. 902. num. 2.

„ rum Duce: Postea (*idest*, (*a*) *circa annum* 910.) dum „ Carinthiam (*b*) invadunt, ultra castrum (*c*) Leopater „ Moraviæ (*d*) Dux Gotifredus, Duxque Heberardus cum „ Aquilegiensi Patriarcha illis occurrunt. In eo prælio uterque „ Dux occiditur; Patriarcha vero fuga salvatus est. Exinde „ spolia-

---

a Continuator Reginonis ad annum 910. *Franci in confinio Bavariæ & Franciæ Hungaris congressi, miserabiliter aut victi aut fugati sunt*. Hermannus Contractus ex edit. Canil. *Hungari Franciam petentes, commissa pugna superiores fuere*. ubi Franciæ nomine, Franciam Orientalem intelligit, cui Ludovicus Germaniæ Rex, Arnulfi f. præerat. Idem Reginonis Continuator ad annum 907. *Bavari cum Hungaris congressi, multa cæde prostrati sunt*: & ad annum 908. *Hungari iterum terminos transgressi, Saxoniam & Thuringiam vastaverunt*. Et ad annum 909. *Hungari Alamaniam ingressi sunt*. Hermannus Contractus ad ann. 916. *Ungarii item egressi, inter alia mala, totam pene Alamaniam igne & gladio miserabiliter vastant*. Et ad ann. 917. „ Ungarii, pervasa, ut cæperunt, Alamania, Basileam urbem destruunt; indeque „ Alsatia vastata, Lotharii regnum, multa mala facientes, invadunt „. Et ad an„ num 926. Ungarii vastata Alamania, totam Franciam, Alsatiam, atque Galliam, „ igne & gladio sævientes, percurrunt „. Ubi de Francia Orientali loquitur. Jo: Thvvroczius in Chronicis Hungaror. Par. 2. cap. 23. quæ a Dandulo hic narrantur, confert ad annum septimum, quo Hungari, Zvatopolugo cæso, Pannoniam occuparunt, idest ad annum Chr. 907. Anno (inquit) septimo Moraviam & Bohemiam in quibus eo tempore Dux Uratislaus regnare videbatur, crudeliter spoliaverunt. Exinde cum victoria redeuntes, treguis ordinatis cum præfato Duce uno anno quieverunt. Post hæc Carinthiam hostiliter adeuntes, ultra castrum Leopach Dux Moraviæ Gothfridus nominatus, & Dux Carinthiæ Ebethardus, necnon Gregorius Aquilejæ Patriarcha. Cetera.

b Cod. Vat. 5286. & 5842. f. 97. *dum Carinthiam invadunt*. At edit. Murat. tom. 12. pag. 199. *Postea Croatiam invadunt*. *Ultra castrum Leopoli Moraviæ Dux Gottifredus duxque Hardus* &c. Hanc Hungarorum in Bohemiam & Moraviam incursionem describit Jo: Dubravius hist. Bojemicæ lib. 5. edit. Hanoviæ 1602. pag. 36. a lin. 9. cui descriptioni, pag. 37. lit. D., hæc Adnotatio subjicitur: „ Hungari „ Moravia & Bohemia hostili manu vastatis, citra Danubium arma verterunt, Car„ niolam, Stiriam, & Carinthiam invaserunt. Dum eorum incursiones Gothefri„ dus Moraviæ Dux, & Eberardus Carinthiæ Princeps cum Gregorio Aquilejensi „ Patriarcha coërcere nituntur, acerrimam pugnam conseruerunt. Ibi quamvis pluri„ mi ex Hungaris occubuerint, desideratis tamen Ducibus, profligatoque Patriarcha, „ dissipato & fugato exercitu, præda onusti, direptis tribus regionibus, cum victo„ ria in Pannoniam rediere.

c Uterque Vaticanus Codex, chronicon Danduli continens, idest num. 5286. f. 79. & Cod. 5842. f. 97. *castrum Leopater*. At edit. Murat. *castrum Leopoli*. Dubravius pag. 36. „ Donec tædio moræ Hungari, (relictis Czaslavia, & Ohebo, Bo„ hemiæ arcibus) ad populandum Austriam, & inde ad Carinthiam deflecterent.

d In Adnotatione ad Dubravium pag. 37. *Gothifredus Moraviæ Dux dicitur*. At Dubravius in hist. Bohem. lib. 5. pag. 36. sic habet de iis qui Hungaris in Carinthia occurrerunt. „ Ubi a Principibus Alpium illarum, Gotefrido, Erhardo, Ty„ rolo, & a Gregorio Aquilegiensi Patriarcha male mulctati, retro ad sedes suas „ cum ignominia redire coacti sunt „. Qua tamen in narratione Dubravius non modo peccat, dum Hungaros male mulctatos in Pannoniam rediisse scribit (constat enim ex Dandulo, Gotefridum & Erardum Duces in prælio cecidisse, Patriarcham fugatum fuisse, & Hungaros præda onustos, ad propria rediisse:) sed etiam graviter errat, dum istam Hungarorum in Carinthiam & Stiriam irruptionem sub Boleslao Bohe- miæ

„ ſpoliata Carinthia (*a*) & Stiria, cum maxima præda (in „ (*b*) Pannoniam redeunt, & poſtea) Bulgariam ſpoliant.

XII. Chrobati Serbli, Hungari, Patzinacitæ, fœdere cũ Græcis firmato, in Bulgaros inſurgunt anno 927.

An vero, quemadmodum *Carinthiam & Stiriam*, ita & *Croatiam* Hungari depopulati ſint, non conſtat: quin potius ex iis, quæ Porphyrogenitus cap. 12. de Serblorum Regibus narrat, compertum eſt, tam Serblos, quam Chrobatos Simeoni Bulgarorum Regi, de Græcis per id tempus victorias reportanti, acriter reſtitiſſe; & Serblos quidem a Bulgaris profligatos; at Chrobatos de Bulgaris in Chrobatiam invadentibus triumphaſſe: *Bulgari* (inquit Porphyrogenitus) *Zupanis* (Serblorum) *ſignificarunt, ut ſe convenirent, & Tzeeſthlabum* (proprium Regem) „ exciperent; juramentoque decep„ tos, atque ad primum pagum adductos, protinus in vin„ cula conjicientes, Serbliam invaſerunt, populumque omnem „ a mi-

miæ poſt S. Venceslai fratris cædem, quæ anno circiter 938. contigit, Duce confert. Idem Dubravius pag. 28. lib. 4. priorem Hungarorum incurſionem ſub Uratislao Borivorii filio, & S. Venceslai patre narraverat, inquieos, Hungaros Geemaniam iuvaſuros in tranſitu Moraviam populatns eſſe; ſed timore Uratislai Bohemiæ Ducis compulſos, ſolutis belli ſumtibus ac ſtipendiis, pacem impetraſſe; dumque arma in Saxoniam converterent, ab Henrico Aucope profligatos fuiſſe. Id quod anno 934. contigit: qun (Reginone teſte:) „ Heinricns Rex Hungaros multa cæde proſtra„ vit, pluresque ex eis comprehendit. Eodem anno Slavos, qui Uncrani vocantur, „ hoſtiliter invaſit & vicit, ſibique tributatins fecit „. Dandulus tamen hoc ad annum circiter 924. refert: „ Henricus (inquieos) poſtea imperavit anno Dom. 921. „ (*imo* 919.) Hic diadema nunquam capiti impoſuit, & Regnum viriliter auxit... „ tertioque anno ejus, Hungaris Franciam, Alſatiam, Alemanniam depopulanti„ bus & Saxnniam, juxta urbem Metisbroth (*al. Mesburg.*) congreſſurus, vovit pro „ adipiſcenda victoria, ſe hæreſim Simoniacam de Regno eradicaturum: & inæſti„ mabili cæde eos uſque ad interemptionem pene delevit „. Quæ tamen omnia illam Hungarorum in Moraviam, Bohemiam, Carinthiam & Stiriam invaſionem, quam in texto deſcripſi, ſubſequuta ſunt. Quid? quod, quum dicatur, Moravia & Bohemia invaſis, *Dux etiam eorum interfectus*, id proculdubio aut de Moraviæ, aut de Bohemiæ Duce eſt intelligendum. Quumque conſtet, neque Borivorium, primum Bohemiæ Chriſtianum Ducem, neque filium ejus Uratislaum ab Hungaris in prælio cæſum fuiſſe; conſequens eſt, ultimum Moraviæ Ducem eſſe his verbis deſignatum. Nam Zventibaldo Moravorum Duce (qui Joanni VIII. Papæ Sfentopulcus dicitur) anno 894. defuncto, poſt *ejus mortem* (ut ſcribit Porphyrogenitus cap. 41.) *anno uno* (inter fratres Moymirum & Zventibaldum,) *in pace exacto, orto diſſidio & bello civili, invadentes Turcæ, planiſſime eos exſtirparunt, terramque tenuerunt, quam etiam nunc incolunt*. Vide Pagium ad annum 894. num. 17. Non igitur Gotifredus *Moraviæ Dux* fuit; ſed ad caſtrum Leopater, *Moraviæ* vox eſt referenda: Gotifredus autem & Hardus ſive Eberardus, Duces erant, alter Carinthiæ & alter Stiriæ: Quamquam Thvvroczius Par. 2. cap. 23. *Gothfridum Moraviæ*, & Eberhardum Carinthiæ Duces appellat.

a In utroque cod. Vat. 5286. & 5842. *Carinthia & Stiria.* Ita etiam ſupra p. 199. Utrobique haud recte.

b Verba parentheſi incluſa, deſunt in utroque Vaticano Codice. Rectius ſunt addita in edit. Murat. pag. 200.

,, a minimo ad maximum in Bulgariam abduxerunt: quidam ,, vero profugi, in Chrobatiam se receperunt; mansitque re- ,, gio desolata. Porro circa illud etiam tempus Chrobatiam ,, cum Alogobotur armata manu ingressi Bulgari, omnes a ,, Chrobatis interfecti sunt ,, . Hæc gesta sunt eodem anno & mense, quo obiit Simeon Bulgariæ Rex: uti constat ex Cedreno & Curopalate, quorum verba ad oram (*a*) habes: Nimirum *Majo mense Ind.* xv. hoc est an. Chr. 927. quo tempore, & Simeon obiit, & Rex Serbliæ, Porphyrogenito teste, Tzeesthlabns post septem annos, quam in Chrobatia delituerat, Serbliam repetiit. Simeon autem Bulgariæ Rex (ut scribit Georgius Monachus in vita Romani & Constantini Impp. num. XXVIII.) mortuus est *Maji mensis vigesima septima*, *Indictione* xv. hoc est, anno Chr. 927. Quamobrem post Simeonis obitum, dicuntur Chrobati vicinæque gentes arma in Bulgaros movere decrevisse, ita ut Bulgari tum earum gentium, tum Romanorum, idest Græci Imperatoris, timore, & quoniam Bulgaria fame & locustarum copia premebatur, coacti fuerint pacis fœdera cum Romanis inire. Georgius monachus n. XXIX. ,, Circumvicinæ igitur gentes, tum scilicet Chrobati, tum ,, reliqui [*Serbli scil. & alii*] audita Simeonis morte, Bul- ,, garos bello incessere statuebant. [*Causam hujus belli, ex* ,, *Porphyrogenito perspeximus.*] Fame vero, cum ingenti lo- ,, custarum copia, Bulgarorum (*b*) gentem graviter pre- ,, mente, cum aliarum gentium irruptionem formidabant [*ea-* ,, *rum nempe, de quibus supra:*] tum præcipue Romanorum ,, in se impetum metuebant. Secum itaque deliberantes, ad- ,, versus Romanos copias educunt, ac Macedoniam infestis si- ,, gnis petunt; Romanis, ut par est, incutientes metum. Tum ,, ubi didicere, fore ut Imperator Romanus in eos verteret im- ,, petum, una Petrus [*Bulgariæ Rex*] Georgiusque) *cognomen-* ,, *to Sursubules Petri ejusdem avunculus*) monachum quem- ,, dam,

a Hoc ipsum Jo: Curopalates Scylitzes fol. 58. & Cedrenus pag. 625 ,, Majo ,, mense, Ind. xv. Simeon Bulgariæ princeps Chrobatos (*Corvatas*) invasit; qui- ,, buscum congressus ac superatus in angustiis montium omnem suum amisit exerci- ,, tum ,, . Indictio xv respondet anno Chr. 927.

b Qui metuentes tum aliarum gentium incursionem, tum Romanorum in se impetum, Macedoniam infestis armis petiisse apud Simeonem Magistrum & Georgium monachum dicuntur, ii Bulgari sunt, uti ex Curopalate & Cedreno apertius cognoscitur.

,, dam, Calocyrim nomine, genere Armeniacum, aurea
,, inſtructum bulla mittunt. Bullæ tenor hic erat: Pacem ſe
,, amplecti cum Romanis, & ut illam componant, promptis
,, animis eſſe: neque id modo, ſed & nuptiarum fœdera, dum
,, illis adlubeat, cum Romanis ſic eſſe inituros. Iſtiuſmodi
,, itaque monacho placidiſſime recepto, continuo Imperator
,, Theodoſium Abucem monachum, & Conſtantinum Rho-
,, dium, Clericum Palatinum, cum Bulgaris in Meſembria
,, collocuturos emiſit. Qui quum iviſſent, ac colloquio ha-
,, bito, rem commode tractaſſent, terra iter habentes, Pe-
,, tro (*a*) Bulgaro illis comite, rediere. Poſt hos etiam Geor-
,, gius Surſubulus ſubſecutus eſt. Quumque in urbem veniſ-
,, ſent, pacem inierunt, ac cum Imp. paciſci petierunt.
,, Conſpectaque Maria, Chriſtophori filia, ejuſque plurimum
,, ſpecie formaque oblectati, Petro, ut quam celerrime veni-
,, ret, ſcripſere, quum initæ pacis pacta ante percuſſiſſent.
Simeon quoque Magiſter ac Logotheta in Conſtantino Porphy-
rogenito num. 34. ,, Audita itaque Simeonis morte, cir-
,, cumvicinæ nationes, Chrobati pariter ac reliqui, adverſum
,, Bulgaros bellum movere cogitabant. Quumque fames ma-
,, xima ac locuſtarum vis Bulgariam dire premeret & affige-
,, ret, Romanorum in ſe impetum ac graſſationem magis for-
,, midabant. Idcirco illi quoque Macedoniam populari. Au-
,, dita autem Imperatoris in eos expeditione, de pace ſol-
,, liciti, monachum quemdam, patria Armenium, Calocy-
,, rum nomine, mittunt. Suſceptus ab Imperatore placidiſſi-
,, me legatus, pace confirmata, nuptiarum fœdera cum Im-
,, peratore inire depoſcit. Pacti itaque Mariam, Chriſtopho-
,, ri Imperatoris filiam, nuptum daturos, Petrum (*Bulgarorum*
,, *Regem*, *Simeonis filium*) per literas acceſſunt ,,. Sequitur
tum apud Simeonem Logothetam, tum apud Georgium mo-
nachum, deſcriptio nuptiarum inter Petrum Bulgariæ Regem
& Mariam Chriſtophori Imperatoris, filii Romani ſenioris, fi-
liam, & pacis fœderum inter Bulgaros & Romanum Imperium.
Sed quæ ſunt in hac Simeonis & Georgii narratione perple-
xa,

---

a Non Petrus, ſed Stephanus Bulgarus appellatur apud Curopalatem & Cedrenum: d'verſus profecto ab ipſo Petro Bulgarorum Rege, qui poſtremus omnium Byzantium evccatus venit.

xa, a Joanne Scylitze Curopalate clarius exponuntur, in hæc verba fol. 58. edit. Venet. 1570. „ In Bulgaria Simeon vi-
„ ta functus est, morbo comitiali correptus: quo mortuo,
„ Bulgarorum imperium Petrus obtinuit, ejus filius ex al-
„ tera uxore, Georgii Surfubules sorore, quem etiam suis li-
„ beris tutorem Simeon instituerat: Nam Michaëlem ex
„ priore uxore susceptum filium adhuc vivens Simeon mona-
„ chum totonderat. Igitur finitimæ nationes, Turci, Servi,
„ Chrobati, & reliqui, cognito Simeonis obitu, adversus
„ Bulgaros cum exercitu proficisci decrevere. Invadit item
„ ingens fames cum locustis, Bulgarorum gentem vehemen-
„ ter opprimens, & consumens tum populos, tum fruges
„ ac fructus. Timuerant igitur Bulgari aliarum nationum
„ adventum, sed multo magis Romanorum. Consilio ergo
„ capto cum suis Petrus, statuit adversus Romanos cum exer-
„ citu proficiscendum, ut eos deterrerent: itaque Macedo-
„ niam petunt: tum certiores facti, contra se Imperatorem
„ adventare, clam quemdam monachum mittunt Petrus Bul-
„ gariæ princeps, & filiorum Simeonis tutor Georgius cum
„ literis, in hanc sententiam scriptis, velle se cum Romanis
„ fœdus percutere, ac, si velint, etiam connubia contrahere.
„ Quem ad se venientem libentissime excepit Imperator, sta-
„ timque cum dromone remisit monachum quemdam Theodo-
„ sium & Constantinum regium Clericum, ut cum Bulgaris in
„ Mesembria de iis, quæ ad pacem pertinerent, colloquerentur.
„ Qui quum eo venissent, quæ par erat collocuti, pedibus re-
„ diere, cum quodam illustri in Bulgaria nomine Stephano,
„ post quos advenit item Georgius Surfubules tutor, & alii
„ quidam nobiles viri. Qui quum in conspectum Imperatoris
„ venissent, conspicati filiam Christophori Imperatoris Ma-
„ riam, quæ ipsis admodum placuit; erat enim forma egre-
„ gia; Petro scripserunt, ut primo quoque tempore veniret;
„ prius vero paci consenserant „. Cætera, quæ iisdem fere verbis referuntur a Cedreno edit. Parif. pag. 625. Itaque Simeone Bulgarorum Rege mortuo, Chrobati, Serbli, Turci (seu Hungari) aliique finitimi populi certatim in Bulgaros insurrexerunt, ita ut Petrus Simeonis filius ac successor compulsus fuerit pacem cum Græcorum Augustis Romano Seniore,

& Con-

& Constantino Porphyrogenito componere: quod argumento est, tum proprios Reges Chrobatis, Serblis, Turcis, aliis gentibus per id tempus præfuisse, tum illos omnes, servata ad invicem, & cum Græcorum Augustis pace, Bulgarorum potentiam infringere cogitasse. Hoc enim & supra ex Porphyrogenito de Chrobatis Serblisque scriptum legimus: & ex Continuatore Annalium Fuldensium ad annum 896. discimus, Græcos eodem anno pacem cum Hungaris fecisse, ut eos scilicet adversus Bulgaros exstimularent: „ Pacem Græci (inquit „ Fuldensis Annalista) eodem anno cum Avaris, qui dicun„ tur Ungari, facientes: quod eorum (*a*) concives Pulgari „ [*idest*, *Bulgari*] in pravum vertentes, hostili expedi„ tione contra eos (*b*) insurgunt, & omnem regionem il„ lorum usque Portam Constantinopolitanam devastando in„ sequuntur. Quod ad ulciscendum Græci, astutia sua naves „ illorum (*c*) contra Avaros mittunt, ac eos in Regnum „ Bulgarorum ultra Danubium transponunt. Illi Hungari „ transpositum (*leg. transpositi*) manu cum valida, gentem „ (*regionem*) Bulgarorum ingressi, maximam partem cæ„ dendo neci tradiderunt. Hoc audientes positi in expeditio„ ne Bulgari, cum omni festinatione primum deliberare ab „ infesto hoste recurrunt, consertoque illico prælio victi sunt: „ iterum pari tenore recuperare nitentes, secundo caruere „ victoria „. Reliqua de adepta a Bulgaris, opera Michaëlis (*d*) olim Bulgariæ Regis, tum vero Monachi, adversus Hungaros victoria. Similiter & Patzinacitas Græci anno 914. in

a Nimirum *confines*: nam alii *Bulgari*, alii *Hungari* seu *Hunni Abares*, qui & *Turci*.

b *Contra eos*, idest contra Græcos.

c Sensus perplexus, ita est elucidandus: quod ad ulciscendum Græci, astutia sua, Avaros idest Hungaros, navibus suis imponunt, ac eos in Regnum Bulgarorum ultra Danubium transponunt.

d Michaël, qui & Bogoris, Bulgarorum Rex, qui eam gentem ad Christi fidem adduxerat, ordinato in locum suum majori filio in Regem, Monachum induit; & cum accepisset eumdem filium Bulgaros ad gentilitatis ritum revocare conatum fuisse, militiæ cingulum resumsit, eidemque filio a se capto oculos effodit; filium juniorem Regem constituit, & postea ad Monasterium rediit. Uterque filius hoc anno 896. mortuus erat, & in Bulgaria regnabat Simeon, Uladimiri Regis olim Bulgariæ filius, ut habet Porphyrogenitus Adm. Imp. cap. 32. & Michaël in Monasterio vivebat. Qui consultus a Bulgaris, quonam pacto triumphare de Hungaris possent, Dei opem, triduano indicto jejunio, & pœnitentia de injuriis Christiano populo illatis peracta, implorandum præmonuit. Quo peracto, pugnantibus ambabus acerrime partibus, ad ultimum, misericordia Dei, victoria quamvis cruenta Christianis Bulgaris contra infideles Hungaros concessa est. Vide supra.

Simeonem Bulgariæ (*a*) Regem Thraciam depopulantem immisisse perhibentur apud Simeonem Logothetam in Vita Constantini Porphyrogeniti num. VII. „ Simeone autem Bulgaro Thraciam populante, rogavit Joannes Bogas, ut Patricii auctus dignitate, Patzinacas in illum auxilio cogeret. „ Ad quos cum muneribus profectus, duxit in urbem obsides: „ pollicitis nimirum Patzinacibus se trajecturos, factaque „ impressione Simeonem debellaturos „. Patzinaces in Dacia antiqua seu Transylvania hodierna, trans Danubium, habitabant, iidemque sunt quos modo *Valachos* appellamus: de quibus Porphyrogen. Adm. Imp. cap. 5. „ Bulgaris quoque „ formidabilior Romanorum Imperator videbitur, ipsosque „ ad pacem & quietem adigere valet, si sit fœdere cum Patzi- „ nacitis junctus. Siquidem memorati Patzinacitæ Bulgaris „ etiam finitimi sunt, & arbitratu suo, sive proprii quæstus „ causa, sive ad ineundam cum Romano Imperatore gratiam, „ Bulgariam nullo negotio invadere possunt, ac multitudine „ roboreque suo ipsos devincere & profligare. Quapropter „ Bulgari magnam pacis ac concordiæ cum Patzinacitis ser- „ vandæ curam sollicitudinemque gerunt. Nam frequenter „ ab iis debellati atque vastati, experimento didicerunt, „ quantum sibi conferat, pacate cum illis semper agere „. Patzinacitæ siquidem non modo Bulgaris, sed etiam Russis, Chersonitis, & Turcis contermini erant: quamobrem pacem cum

a Anno quoque 888. Leo Sapiens Imperator Turcos sive Hunnos Abares, iin eumdem Simeonem, qui occasione læsi commerciorum fœderis conferta in Macedonia pugna Romanos profligaverat, immisit. Georgius Monachus in Leonis Vita num. XII. „ Hos (Chazaros nempe a Simeone captos naribusque præcisis Con- „ stantinopolim missos) Hos ut vidit Imperator, ira percitus Nicetam, cui cogno- „ men Scleri, cum triremibus in Danubium misit, Turcorum auxilia muneribus „ datis corrogaturum, & ut bellum adversus Simeonem moverent. Profectus vero „ ille, communicatoque cum ipsorum capitibus Arpade ac Cursane consilio, pa- „ ctisque iis, Simeonem se bello incessuros, ac datis obsidibus, ad Imperatorem re- „ versus est „. *Et mox*. „ Transmisso igitur Turci amne, interim dum Simeon in „ Phocæ exercitu occupatur, Bulgariam omnem sub jugum miserunt ac captiva- „ runt. Hæc ut Simeon accepit, adversus Turcos proficiscitur. Hi contra traji- „ cientes pugnam cum Bulgaris conserunt. In his fusus fugatusque Simeon, ut vix „ ipse in Distra incolumis, salvusque evaserit „. Demum reparatis Simeon viribus: „ Susceptaque adversus Turcos expeditione, quum ii nullum a Romanis auxilii „ præsidium haberent, sed nulla ipsorum cura relicti essent, aucta sua inde super- „ bia, omnes contrucidavit „. Id factum anno 3. Imperii Leonis, id est Chr. 889. tradit Simeon Logotheta num. 3. ac proinde diversum ab eo, quod Fuldensis Annalista ad ann. 896. de Bulgaris & Turcis narrat.

cum iis habendam fuisse docet idem Porphyrogenitus, si Græcorum Imperator tutum ab illis gentibus Imperium custodire vellet: „ Russis (inquit cap. 2.) Patzinacitæ vicini sunt &
„ contermini: quare nisi pacem invicem colant, Russiam sæ-
„ pe deprædantur, ingentique damno afficiunt. Ideo Russi
„ operam dant, ut pacem cum Patzinacitis habeant. *Et cap.* 3.
„ Turcarum gens memoratos Patzinacitas magnopere refor-
„ midat, quia frequenter in præliis ab iis devicti, & ad inter-
„ necionem fere deleti sunt. *Et cap.* 4. Si pacem cum Pat-
„ zinacitis habeat Romanorum Imperator, Imperium Roma-
„ num neque Russi, neque Turcæ infestare possunt; neque
„ item possunt a Romanis pro redimenda pace, magnam pe-
„ cuniarum vim exigere, Imperatorem (*Regem*) hujus gen-
„ tis, subsidiis ac potentia nixum, pertimescentes. *Et cap.* 6.
„ Patzinacitarum gens altera Chersonis parti contermina est,
„ quæ etiam cum Chersonitis negotiationem exercet, & tam
„ ipsis, quam Imperatori ministerium præbent in Russia, Cha-
„ żaria, Zichia, atque in omnibus istic positis regionibus, pa-
„ ctam videlicet mercedem a Chersonitis (*a*) accipientes,
„ de qua pro tali ministerio mutuo convenerunt, pro ratione
„ susceptæ operæ, & laboris. *Et cap.* XI. *de Alanis, &*
„ *Chazaris*. Alaniæ Principe cum Chazaris pacem non ha-
„ bente, sed Imperatoris Romani amicitiam potiorem ducen-
„ te, si illi in amicitia & pace perseverare nollent, potest ille
„ ingenti Chazaros damno afficere, in viis excubando, & ex
„ improviso illos aggrediendo, dum ad Sarcel, & ad regio-
„ nes, Chersonemque proficiscuntur „. Atque hæc de iis gentibus, quæ post Simeonis Bulgariæ Regis mortem, arma in Bulgaros sumsisse dicuntur, a Græcorum utique Imperatore exstimulatis. Nam Chrobatiam quod spectat, ejus regionis Princeps [uti scribit Porphyrog. cap. 31.] „ Ab initio, idest,
„ ab Heraclii temporibus (*usque ad annum* 949.) Romano
„ Imperatori, non Bulgariæ Principi subditus erat: neque Bul-
„ garus cum Chrobatis bellum gessit, præter (*b*) Michaëlem

 „ Boro-

a Item & ab Imperatore.

b Michaële Begore Monasticum Institutum amplexo, Regnum Bulgariæ filius ejus natu major suscepit. Hunc, quod subditos ad gentilitatem revocare conaretur, pater Michaël, sumtis armis captum oculisque exutum carceri mancipavit, *Presiamum*,

„ Borosem Bulgariæ Principem, qui sumptis armis, bellum „ ipsis intulit; sed quum nihil efficeret, muneribus datis & acceptis, pacem fecit. Neque Chrobati unquam Bulgaris tributum dederunt, sed alteri alteros sæpe amicitiæ ergo donis cohonestarunt.

Ad Tamislavi tempora referri videntur, quæ Dandulus in Chronico de Petro Candiano Tertio, Venetorum Duce narrat edit. Murat. pag. 204. „ Sexto sui anno (hoc est (*a*) „ Chr. 947.) hic Dux XXXIV. naves, quas Veneti Gombarias nominant, contra Narentanos Sclavos misit, quibus „ præfuerunt Ursus Baduario & Petrus Rusolus, qui absque „ notabili profectu redierunt. Iterum namque totidem contra eosdem mittere studuit, quæ cum Sclavis renovato fœdere reversæ sunt.

XIII. Dircislavus Tamislavi Successor, primus Chrobatorum Rex appellatus, imperavit post ann. 970. Martinus, Petrus & Paulus Archiepiscopi Salonitani.

Tamislavo successisse *Dircislavum*, colligitur ex Archidiacono Spalatensi, qui cap. 13. postquam Joannem Archiepiscopum anno Chr. 914. tempore Tamislavi sedisse scripsisset, de Martino Archiepiscopo Joannis successore hæc subjungit: „ Martinus Archiepiscopus fuit anno Domini nongentesimo septuagesimo, tempore Theodosii (*b*) Imperatoris, „ & Dircisclavi (*c*) Regis. Iste Martinus fuit Spalatinus natione. Hic fecit Ecclesiæ unum calicem magnum cum sua „ patena de auro purissimo. Ab isto Dircisclavo ceteri successores

mum, filium juniorem, Regem constituens: *Presiamus* Blastimiro Serviæ Regi bellum indixit, in quo suorum cladem passus est. Presiamo successit filius *Michael Boroses*, qui non modo cum Serviis, sed etiam cum Chrobatis congressus fertur. Post Borosem, Bulgariæ Regnum tenuit *Simeon Vladimiri* filius, qui pace cum Petro Serbliæ Duce composita, arma in Turcos, & in Leonem Imp. Basilii filium an. 888. movit. Vide Georgium Monachum in Vita Leonis Sapientis num. XI. & seqq.

a *Petrus Candiano* Tertius Dux statuitur *Anno Dom.* 942. Dandul. pag. 203.

b Farlatus Tom. 1. pag. 341. & 345. „ Corrige, & in locum Theodosii substitue Joannem Zemiscem „. Hic enim ab exeunte anno 969. imperavit usque ad initium anni 976. eumque in Imperio antecessit non Theodosius, sed Nicephorus Phocas a mense Martio anni 963. usque ad 25. Decemb. anni 969. Vide quæ de hoc Archidiaconi Sphalmate dixi Tom. 1. pag. 332. circa finem.

c Farlatus hunc Dircislavum, qui anno 970. in Chrobatia regnabat, confundit cum altero Dircislavo, Cresimiri majoris filio, qui unacum patre, & fratribus Cresimiro Secundo, Svetoslavo & Gyslavo circa annum 998. imperabat. Sic enim pag. 342: Cresimirum majorem præponit Dircislavo, & Cresimirum Secundum vocat Dircislavi fratrem; quum tamen certum sit, & Dircislavum anno 970. & Tirpimirum unacum Mucimiro filio ann. 990. regnasse: falsum proinde esse quod idem Farlatus de Dircislavo scribit, eum scilicet usque ad finem sæculi decimi Regnum Chrobatiæ tenuisse.

„ sores ejus, Reges Dalmatiæ & Croatiæ appellati sunt: ca„ piebant enim Regiæ dignitatis insignia ab Imperatoribus „ Constantinopolitanis, & dicebantur eorum Eparchi sive Pa„ tricii. Habebant namque ex successione suæ originis Pa„ trum & Proavorum, dominium Regni Dalmatiæ & Croa„ tiæ. Istaque fuerunt Regni eorum confinia: ab Oriente, „ Delmina, ubi fuit civitas Delmis, in qua est quædam Ec„ clesia, quam Beatus Germanus Capuanus Episcopus con„ secravit, sicut scriptum reperitur in ea. Ab Occidente Ca„ rinthia versus Mare, usque ad oppidum Stridonis, quod „ nunc est confinium Dalmatiæ & Istriæ. Ab Aquilone vero, „ a ripa Danubii usque ad Mare Dalmaticum cum tota Maro„ nia,& Culmiæ Ducatum „. Et cap.14. post enarratum Hungarorum adventum in Pannoniam, subdit de Petro Martini Successore: „ Petrus Archiepiscopus fuit anno Domini non„ gentesimo nonagesimo, tempore Tirpimiri, & Mucimiri „ filii ejus Regum „. Ex quibus colligitur, *Dircislavi Regnum* inter annum 970. & 990. durasse. In primo Pontificum Salonitanorum & Spalatensium Catalogo, quem Farlatus Romanum vocat, Tom. I. pag. 334. de Martino & Petro hæc leguntur: „ Martinus IV. Archiepiscopus Spalatensis XXVIII. „ Præfuit ab anno 970. usque ad ann. 1000. sedentibus Joan„ ne XIII. Benedicto VI. Dono II. Benedicto VII. Bonifa„ cio VII. Joanne XIV. Joanne XV. Gregorio V. Silvestro II. „ Imperante in Oriente Joanne Zemisce, Basilio cum fratre „ Constantino: Regnante in Croatia Dircislao. Petrus IX. „ Archiepiscopus Spalatensis XXIX. Præfuit ab anno 1000. us„ que ad annum 1015. sedentibus Silvestro II. Joanne XVII. „ Joanne XVIII. Sergio IV. Benedicto VIII. Joanne XIX. Im„ perantibus simul in Oriente Basilio & Constantino fratribus: „ Regnantibus in Croatia Dircislao, Cresimiro II. Patricio, „ aliis Surigna: Duce Venetorum Petro II. Urseolo, Othone „ Urseolo „. Multiplex error. Primus in serie Romanorum Pontificum: nam si Petrus Spalatensis ab anno 1000. ad 1015. sedit, Joannis utique XIX. tempora non attigit: utpote qui Romanam Cathedram non ante annum 1024. ascendit. Secundus error in initio Archiepiscopatus Petri: qui inauguratus aut saltem sedisse dicitur a Thoma Archidiacono, usque ab an-

no 990.

no 990. Aut igitur mendum in Catalogo Romano, aut in Codice Archidiaconi. Farlatus Tom. 1. pag. 341. Archidiaconum erroris arguit, sic scribens. „ Anno igitur 970. [ut tradit „ Archidiaconus] Regnum in Chrobatis obtinebat Dircis„ lavus; atque ut Martinus Pontificatum, sic Dircislavus „ Regnum cum vita perduxit usque ad initium sæculi undeci„ mi [*idest*, *usque ad annum* 1000.] uterque enim nomina„ tur in tabulis fundationis Templi Sancti Michaëlis, prope „ Amphitheatrum Salonæ constructi anno 1000. „ Et mox de Petro Martini Successore recitat hæc Archidiaconi verba: „ De „ hoc Thomas Archidiaconus: Petrus Archiepiscopus fuit „ anno Domini 1015. tempore Basilii & Constantini Impera„ torum, & Crescimiri eorum Patricii & Regis Croatorum. „ Quo in loco Archidiaconus annum designavit, ad quem „ usque Petrus vitam & Pontificatum perduxit „. Fallitur vir egregius. Non de Petro, sed de Paulo Petri Successore, ea Archidiaconus scribit, quæ Farlatus recitat. Sic enim Archidiaconi Autographum habet Cod. Vat. MS. 7019. fol. 13. cap. 14. „ Petrus Archiepiscopus fuit anno Domini 990. tem„ pore Tirpimiri & Mucimiri filii ejus Regum. Paulus Ar„ chiepiscopus fuit anno Domini 1015. in tempore Basilii & „ Constantini Imperatorum Constantinopolitanorum, & Cre„ simiri eorum Patricii & Regis Croatorum. Pater vero ejus„ dem Archiepiscopi vocabatur Præstantius, qui eodem tem„ pore primarius erat (hoc est Rector) civitatis Spalatinæ. „ His temporibus Geicha quartus Dux Ungarorum Christianus „ effectus, cœpit gentem suam ad ritum Christianæ professio„ nis paulatim attrahere, dans libertatem Christianis ædifi„ candi Ecclesias, & nomen Christi publice prædicandi. Mor„ tuo denique Paulo Archiepiscopo, substitutus est Dabral„ dus (*a*) Archiepiscopus anno Domini 1030. temporibus „ Principum prædictorum „. Proinde verum quidem est, *Petrum usque ad annum* 1015. Pontificatum produxisse: at falsum, de Petro id ab Archidiacono scribi quod de Paulo legitur: æque etiam falsum, ex mente Archidiaconi *Petrum ab anno* 1000. *ad* 1015. *sedisse*: *nam Archidiaconus initia Petri ad an.* 990. *confert*, *finem vero in ann.* 1015. *rejicit*.

Atque

a Al. *Dabralis*, & *Drabalis*.

Atque hactenus de Salonitanis & Spalatensibus Archiepiscopis. Ad Reges vero Dalmatiæ & Croatiæ quod spectat, tum ex Archidiacono, tum ex Danduli Chronico, emendanda est Series *Ducum & Regum Chrobatiæ*, quam Farlatus Tom. I. pag. 342. tradit. Nam post *Michaëlem*, quem nos e numero Regum Dalmatiæ supra expungendum ostendimus, reliquos *Tamislavi* successores sic ipse recenset. „ XIV. Tirpimirus II. XV. Mucimirus II. Ex Dandulo. XVI. Cresimirus Senior seu major. Ex Diplomate Cresimiri III. Hactenus Duces. XVII. Dircislaus primus Rex Chrobatiæ ab anno circiter 970. usque ad finem sæculi decimi. Ex Archidiacono, & Tabulis fundationis Templi S. Michaëlis apud Salonam. XVIII. Cresimirus II. Patricius Rex Chrobatorum, & frater Dircislavi anno circiter 1015. Ex Archid. & Diplomate Cresimiri III. XIX. Stephanus Rex Chrobatorum anno circiter 1050. Ex Diplomate Cresimiri III. XX. Cresimirus III., dictus etiam Petrus, filius Stephani, nepos Cresimiri II., pronepos Cresimiri Senioris, ab anno circiter 1060. saltem usque ad annum 1073. Ex Diplomate ejusdem Cresimiri, & Privilegio Coenobii S. Mariæ Jadrensis „. Verum ex Archidiacono, scriptore Dalmaticorum omnium sequioris ævi diligentissimo, constat, Tamislavo successisse *Dircislavum* jam inde ab anno 970. deinde *Tirpimirum* una cum filio *Mucimiro* ab anno 990. mox *Mucimirum* & *Suringam*, Tirpimiro patre defuncto, ab anno 997. demum Cresimirum Seniorem, cum reliquis ejus posteris ab anno circiter 1000. quemadmodum mox patebit.

XIV. Tirpimirus hujus nominis secundus ab anno 990. ad 997. Chrobatiæ Rex: deinde Mucimirus & Suringa ejus filii. Veneti Issam Chrobatis auferunt.

Tirpimirus, hujus nominis secundus: quem auctor Catalogi Romani Præsulum Spalatensium apud Farlatum Tom. II. pag. 334. in Joanne VIII. Archiepiscopo *Cidomirum* alias dictum contendit, his verbis: *Joannes VIII. aliis Januarius* II. *Archiep. Spalatensis* XXVI.... *Ducibus in Croatia Michaële, Cidomiro, aliis Tirpimiro* II. Sed de Michaële dixi supra, eum Zachlumorum Principem fuisse: Tirpimirum autem alias *Cidomirum* (*a*) appellatum, hic auctor ex fabulosis rerum Dal-

a Cangius de Familiis Dalmaticis cap. 3. in serie altera (ut vocat) *priorum Dalmatiæ & Serviæ Regum ac Principum* num. XXVII. de *Tescimiro*, Paulimiri filio, Prin-

Dalmaticarum ſcriptoribus, nullo producto antiquo teſtimonio, affirmat. Porro hunc Tirpimirum uſque ad annum Chriſti circiter 997. Croatis imperaſſe, auctor eſt Andr. Dandulus in Chronico Cod. Vat. 5286. fol. 88. pag. 2. & Cod. Vat. 5842. fol. 109. & edit. Murator. pag. 227. „ Hoc tempore, mor-
„ tuo Tirpimiro Rege Croatorum, inter filios Mucimirum &
„ Siragiram (*a*) cupiditate regnandi orta contentio, Schiſ-
„ ma magnum in illa regione regeneravit „. Reliqua mox recitabo. Hic breviter dico, Mucimirum tandem Regnum obtinuiſſe, multaque intuliſſe damna Maritimis Dalmatiæ civitatibus: eaque de cauſa Venetos, Baſilii & Conſtantini Imperatorum, quibus Croatiæ Reges ea tempeſtate jure clientelæ obnoxii erant, nutu evocatos, civitates a Regia tyrannide iſta liberaſſe, ac tum primum ex Ducibus, Petrum Urſeolum Ducem Dalmatiæ ſe ſe inſcripſiſſe: Suriguam autem, qui a fratre depulſus fuerat, in caſtris Venetorum militaſſe, dato in obſidem filio Stephano, cui Dux filiam Hicelam in conjugem tradidit. Archidiaconus *Tirpimirum* ad annum 990. ponit. Petrus Urſeolus, hujus nominis ſecundus, qui Dandulo teſte, *anno Domini 991. Dux ſtabilitus eſt, contracta cum Italicis Principibus amicitia,* [uti idem Dandulus edit. Murat. pag. 225. ſcribit] circa annum 992. „ Cenſum ſolitum dari Sclavis pira-
„ ticam exercentibus a Venetis navigantibus per mare Adria-
„ ticum, per edictum prohibuit „. Quum autem [uti idem Dandulus pag. 226. ſubjungit] „ Croatarum Judex propter
„ denegationem cenſus, Venetis moleſtias inferre conatus eſ-
„ ſet, Dux Petrus Urſeolus miſit Baduarium Bragadino cum
„ ſex navibus bene præparatis, qui Iſſam eorum urbem bello
„ devincens, utriuſque ſexus captivos Venetias conduxit: &
„ ex hoc majoris odii cumulus inter Venetos & Sclavos repul-
„ lulavit „. Iſſæ urbis & inſulæ ſitum deſcribit Farlatus Tom. I. Illyrici Sacri pag. 41. & 198. „ Iſſa (inquit) inſula &
„ Co-

Principe a Dalmatis proclamato, ex lutulentis rerum Slavicarum fontibus hæc habet.
„ Verum huic & matri fidem ſoli fere ſervavere Trebunienſes & Raguſini; cæteris,
„ ac Raſſianis, præſertim qui ex genere Tichomili erant, proceribus ab eo deficien-
„ tibus. Huic mater, Cidomiri Croatiæ Albæ Bani filiam in uxorem dedit, ex qua
„ Predemirum & Creſcimirum, quem Croatiæ Banum deinceps fuiſſe ajunt, quod
„ ſuo loco diſcutiendum reſervamus, procreavit.

a Ita Codd. Vat. At edit. Murat. *Suriguam*, & Cod. Ambroſ. *Suriguram*.

,, Colonia Syracusiorum, e regione propemodum Hyllis pen-
,, insulæ, seu Promontorii Diomedæi, ab ora continenti
,, longius, quam cæteræ in altum exporrecta, modico euripo
,, interfluo a Pharia insula disjuncta; magnitudine quidem
,, quadruplo minor est, quam Pharia; sed rerum antiquarum
,, monumentis ac veterum literis longe illustrior. Oppida sive
,, pagos præcipuos numerat omnino quinque, qui ferme a pi-
,, scatorum familiis incoluntur. Duplici portu instructa est;
,, alterum habet a meridie satis commodum, quamquam exi-
,, guum; alterum a septentrione, eumque amplum omnino
,, ac tutum. Mille passus circiter vigintiquinque ambitu colli-
,, git. A Pharia septemdecim mille passibus in meridiem distat.
,, Appianus *Essen*, Anonymus Ravennas *Issiam*, cæteri scripto-
,, res *Issam* appellant. Cave confundas *Issam* cum *Lissa* &
,, *Lisso* nominis similitudine deceptus. Antoninus, nisi quis
,, alius sit, auctor Itinerarii Maritimi, Lissam ab Issa distin-
,, guit, itemque Plinius Lissam statuens contra Jaderam; quæ
,, quidem positio satis aperte ostendit, Lissæ vocabulum indi-
,, tum olim fuisse insulæ S. Michaëlis, cui etiam nomen est
,, Uliano. Issam vero, de qua nunc sermo est, omnes fere
,, scriptores non longe a Pharia constituunt; utramque enim
,, simul nominant. Lissus autem est oppidum pervetus ad ripam
,, sinistram Drilonis in Epiro nova ,,. Cellarius Geograph. antiq. lib. 2. cap. 8. pag. 624. & 625. productis veterum testimoniis *Issam* & ipse a *Lissa* distinguit. Lucius de Regno Dalmatiæ in eorum numero collocandus est, qui Lissam ab Issa distinguunt, dum Issam contra Tragurium constituit, ab eo milliaribus 36. dissitam, & Slavis *Wis*, Porphyrogenito *Jessam* appellatam: Porphyrogenitus enim cap. 36. de Paganis seu Narentanis loquens, quum insulas ab illis possessas (*a*) *Curcram* [idest Corcyram nigram,] (*b*) *Melitam*, *Pharam* (*c*) & *Bratzem* (*d*) enumerasset, subjungit: *Εἰσὶ δὲ καὶ ἕτεραι νῆσοι αἱ μὴ κρατούμεναι παρὰ τῶν αὐτῶν παγανῶν, νῆσος τὰ χόαρα, νῆσος ἔης, νῆσος τὸ λάστοβον* ,, Sed & aliæ præterea insulæ sunt,

a Italis *Curzola*, Slavis *Karkan*. Farlat. tom. 1. pag. 198. col. 2.
b Slavis *Mlit*, aut *Milet*: Italis *Melada*. Idem tom. 1. pag. 199. col. 2.
c *Phara*, hodie *Lesina*: Slavis *Huar*. Idem tom. 1. pag. 197. col. 1.
d Ital. *Brazza*. Lat. *Brachia*. Slav. *Brac*. Bandurius in Porphyrog. edit. Paris. pag. 122.

„ quæ ad Paganos non pertinent, puta, Choara, Jes, & „ Laſtobon. „ Anſelmus Bandurius Animadverſione in hæc Porphyrogeniti verba, edition. Pariſ. pagin. 122. *χόαρα*, „ Antonini in Itinerario, Corra dicitur. Ἰῆς, Ies, Latine „ *Iſſa*, Slave vero Wis nuncupatur. Λάστοβον, Laſtobon, „ Stephani Ladeſta, Tab. Peutinger. Ladeſtris, Latine La- „ deſtina dicitur; Slave vero Laſtovo; paretque Reipublicæ „ Raguſinæ. Hæ autem quatuor magnæ inſulæ orientales [*vi-* „ *delicet, Corcyra nigra, Melita, Pharia, & Bratze*] inquit „ Lucius, continenti Paganorum, ſeu Narentanorum proxi- „ miores, ab ipſis occupatæ, in eorumdem quoque nomen „ ſimul cum poſſeſſione tranſivere, & inter Dalmaticas (*a*) „ numerari deſiere. Iſſam autem, & Ladeſtinam cum Choara, „ ad Paganos ſeu Narentanos non pertinuiſſe Porphyrogenitus „ ait, ideo Dalmaticum nomen ſervaſſe, & ſimul cum Adria- „ tici dominio, has quoque inſulas in alto mari ſitas, Roma- „ nos retinuiſſe; harumque inſularum commoditate navigatio- „ nem Adriatici, & dominium reliquæ Dalmatiæ continuaſſe „ dicendum eſt „. Atqui ex Dandulo conſtat, Iſſam inſulam urbemque, anno circiter 992. a Venetis direptam, ad Croatos pertinuiſſe, qui Croati nempe una cum Croatia tunc temporis etiam Narentanis imperabant, uti ſupra oſtenſum eſt. Itaque dicendum, tres haſce inſulas, *Iſſam, Coaram & Laſtobon*, ætate quidem Porphyrogeniti [hoceſt, anno Chr. 950.] ad Græcorum Imperatorem ſpectaſſe: at paulo poſt, ad Chrobatorum ſeu Croatorum poteſtatem fuiſſe redactam; tum ſcilicet, quum Jo: Zimiſca ſublato, & Baſilio atque Conſtantino, Romani junioris filiis, anno 976. Imperium adeptis, Bardas Sclerus diademate reliquiſque Imperii ſignis ſumptis, ab omni ſuo exercitu eſt ſalutatus Imperator. Tunc enim Bulgaris deficientibus, Chrobati quoque videntur eas inſulas occupaſſe. Cedrenus pag. 694.. „ Simulatque diem extremum clauſit Tzi- „ miſcas Imperator (cujus obitus contigit die 10. Januar. „ ann. 976.) Bulgari defecerunt, & Imperium in ſe quatuor „ fra-

a Farlatus tamen dum Tom. 1. Illyr. Sacr. a pag. 186. ad 201. de Inſulis maris Adriatici diſſerit, eaſque diſtinguit in Japydicas, Liburnicas, & Dalmaticas, Dalmaticis accenſet quatuor iſtas magnas inſulas Orientales, quas Lucius e Dalmaticarum numero expungit.

„ fratribus commiserunt, Davido, Mosi, Aaroni & Samuelo „. & pag. *695.* „ Is Samuelus homo bellicosus ac quietis impa„ tiens, nactus licentiam, Romanis exercitibus bello adver„ sus Sclerum [*Bardam Sclerum*] occupatis, totum Occi„ dentem incursionibus vexavit, non Thraciam modo, & „ Macedoniam, ac Thessalonicæ propinqua; sed Thessaliam „ quoque, Hellada (*Græciam*) & Peloponnesum, ac multa „ cepit castella, quorum præcipuum Larissa „. Cetera de Bulgaris a Basilio, Romani junioris filio, profligatis deletisque, ac triumpho de illis acto, *Indictione secunda*, *anno ab origine Mundi* [ut scribit Cedrenus pag. *717.*] *sexies millesimo quingentesimo vigesimo septimo*, idest Chr. 1019. nam idem Cedrenus statim subjungit: „ Subacta Bulgaria, Imperatori se „ dedidit etiam contermina Chrobatorum (*a*) gens, & ejus „ Principes fratres duo: quibus Imperator honores ac opes „ amplas tribuit „. Antehac Chrobati Basilio & Constantino Imperatoribus, jure clientelæ obnoxii fuerant, uti ex sequentibus patebit.

XV. Mucimirus & Surigua Chrobatiæ Reges: hic a fratre regno pulsus, ille a Venetis Dalmatia maritima exutus anno 998. Principum Byzantinorum permissu.

Mucimirus, & Surigua, Tirpimiri filii, anno Chr. *997.* patri defuncto, in Chrobatiæ regno successerunt; sed orta inter ipsos contentione, Surigua quidem expulsus fuit; Mucimirus autem quum aliquandiu regnasset, a Venetis tota pene Dalmatia maritima exutus fuit. Rem narrat Andreas Dandulus in Chronico, Cod. MSS. Vat. *5286.* fol. 88. pag. 2. & Cod. Vatic. 5842. fol. 109. & edit. Murat. pag. 227. his verbis. „ Hoc tempore [anno scil. *997.*] mortuo Tirpimiro Rege „ Chroatorum (*b*) inter filios Mucimirum (*c*) & Siragi„ ram (*d*) cupiditate regnandi orta contentio, schisma ma„ gnum in illa regione generavit. Mucimirus tamen præva„ lens, plurimis in rebellione positis, Regnum obtinuit, da„ mna inferens maritimis civitatibus Dalmatiæ. Qua de causa „ Veneti ab illis evocati, cum permissione Basilii & Constantini „ Impp.

a In textu Cedreni: καὶ ὅμορον ἔθνη τῶν χορβατῶν „ Contermina Chorbatorum „ gens.

b Ita Codd. Vat. At edit. Murat. *Croatorum*.

c Ita Codd. MSS & impressi. *Muntimirum* vocant alii. Cangius In Famil. Dalmat. pag. 297. „ nisi Mucimirus idem fuerit, quem alii Cresimirum vocant.

d Aliis, *Siragiram*: *Suriguam*; *Suriguram*. Cod. Ambros. apud Murat. pro Mucimiro & Surigua, habet, *Murmura*, & *Surigura*.

„ Impp.Constantinop.,a quibus Reges illi Sceptrum antiquitus „ recognoverant, dominium Dalmatiæ primitus acceperunt, „ ut historia, quam reperimus in antiquis Græcorum & Venetorum Codicibus, prout sequitur, seriose declarat. Illis „ namque temporibus in Dalmatianorum confinio non plus, „ quam Jadrenses (*a*) cives Veneticorum Ducis ditioni obtemperabant: quos Croatorum ac Narentanorum Principes „ crebro affligere solebant, in tantum ut Narentani horum „ quadraginta comprehendentes, secum vinctos deportarint. „ Unde Dalmatini populi omnes simul convenientes, Petro „ Veneticorum Duci suis internunciis hæc demandaverunt: „ quod

a *Jadra*, Porphyrog. *Diadora*. cap. 29. de Dalmatia a Sclavis occupata. „ Sed „ intromissi (Sclavi) Romanos oppido expulerunt, necnon etiam laudatam urbem „ Salonam occuparunt: ibique sedibus positis, paulatim ex eo tempore incipientes „ prædari, Romanos in campis & in locis editioribus habitantes deleverunt, eorumque loca invaserunt. Cæteri vero Romani in oræ maritimæ oppidis servati sunt, „ eaque etiamnum tenent, & sunt ista: Rausium, Aspalathum, Tetragurium, Diadora, Arbe, Becla, & Opsara: eorumque habitatores in hodiernum usque diem „ Romani nuncupantur „. Ergo *Jadera* (quæ Porphyrogenito Diadora dicitur,) unacum aliis civitatibus modo enumeratis, Costantinopolitano olim parebat Imperio, jussuque Basilii Macedonis (quemadmodum Porphyrog. cap. 30. scribit) Chrobatis pendebat nomismata centum & decem, pacis causa, & Prætori exiguum aliquid ad ostendendam dumtaxat Græcis Imperatoribus & ipsorum Prætori debitam subjectionem ac servitutem. Ante Basilii tempora Ducem proprium habebat, iisdem Imperatoribus subjectum. Sic Paulus anno 806. (vel 807.) dicitur *Jaderæ Dux*, apud rerã Francicar. Scriptores. & anno 821. Fortunatus Patriarcha Gradensis, apud Ludovicum Pium accusatus, quod Liudevitum Pannoniæ Ducem ad perseverandum in defectione qua cœperat hortaretur, quum ob hoc ad Palatium ire juberetur, primo veluti jussionem impleturus, in Istriam profectus est; inde simulato reditu ad Gradum civitatem, nactus occasionem, clam navigavit; veniensque Jaderam Dalmatiæ civitatem, Joanni præfecto provinciæ, fugæ suæ causas aperuit. Qui eum statim navi impositum, Constantinopolim misit. Quandonam autem a Dominio Constantinopolitano ad Venericum devenerit, Dandulus non exprimit. A vero non abludere mihi videtur, qui dixerit, id factum paulo post annum 976. quando tum varii per id temporis Tyranni exorti, ac domesticæ seditiones, tum bella barbarica, præsertim Bulgaricum, quod plures annos tenuit, ab omni cura (ut inquit Farlatus Tom. 1. pag. 221.) & cogitatione vel Adriatici maris, vel Dalmatiæ, Basilium & Constantinum fratres Imperatores, ad res suas Orientisque provincias tuendas avertebant. Ergo plerique Dalmatici nominis populi, quum nulla ab Græcis auxilii ac præsidii spes esset, neque suis viribus ad persequendos comprimendosque, sive Saracenos, sive Narentanos prædones maritimos fiderent, ad Venetorum (ut Jaderenses) & ad Chrobatorum (ut Issenses) opem confugerunt. Venetorum Dux erat per id temporis Petrus Urseolus, hujus nominis primus, secundi pater, qui anno Chr. 976. Dux inauguratus, quum annis 2. diebus 20. Ducatum tenuisset, eo dimisso monasticum institutum in Gallia in Monasterio S. Michaelis de Cusano suscepit. Hinc a S. Petro Damiani apud eundem Dandulum edit. Murat. pag. 214. & 215. dicitur *Dalmatici Ducatus gubernasse habenas, Dalmatici Regni adeptus Principatum*. Omnium siquidem Ducum Venetorum primus Jaderam Dalmatiæ urbem obtinuit.

„ quod si ipse venire, aut exercitum mittere vellet, qui eos „ a Sclavorum severitate liberaret, (*illis enim Slavis Chrobatis usque a temporibus Basilii Macedonis vectigal persolvebant, a quibus demum in servitutem redactos se querebantur:*) ipsi, & illorum civitates perpetua stabilitate suæ „ suorumque successorum potestati subditi manerent. Hoc „ audiens Petrus Dux, nulla interposita dilatione; suorum „ consilio munitus, navalem parare expeditionem peregit. „ Septimo quoque sui Ducatus (*a*) anno Petrus Dux, nulla „ ut supra, interposita dilatione, suorum consilio munitus, na„ valem paravit expeditionem: & in Ascensionis Domini fe„ sto cum suis in sancti Petri Olivolensis Ecclesia ad Missarum „ mysteria percipienda convenire voluit, cui Dominicus ejus„ dem loci Episcopus triumphale vexillum contulit, & una „ classem conscendentes illo die Equilensem Portum intrave„ runt. Dehinc velis libratis, occiduoque vento flante, Gra„ densem applicuerunt urbem, quos Dominus Vitalis Patriar„ cha, præeunte plebe, cum Clericorum apparatu excipiens, „ digna suo Principi obsequia exhibuit, cujus quoque dexte„ ram victrici sancti Hermagoræ signo condecoravit. Inde pe„ lagi sulcando undas, Istriensem ad provinciam transeuntes, „ civitatis Parentinæ juxta insulam velis dispositis pernoctare „ disposuerunt: quibus Venerabilis Andreas Episcopus occur„ rens, famulatum Petro Duci multum impertitus est, humi„ liter rogitans, ut sancti Mauri oraculum adire non recusa„ ret: cujus petitioni acquiescens, multo milite stipatus urbem „ intravit, & expletis in sancti Mauri Ecclesia ministeriis sacris, „ arrepto exinde itinere, remigantibus nautis, apud Mona„ sterium sancti Andreæ in Insula, quæ juxta Polensem civi„ tatem manet, grata hospitia habere voluerunt. Illuc (*b*) „ Bertaldus Episcopus Polensis, eximius Episcopus, cum „ Clericorum & civium multitudine festinus advenit, & utro-

„ que

a Dandulus „ Petrus Urseolus secundus, Dux stabilitus est anno Domini 991 „ Hic juxta prophetiam Sancti genitoris sui, trigesimo ætatis suæ anno Dux creatus, „ Patriæ commoda non solum in priscum consolidando reduxit statum, verum in tan„ tum Remp. auxit, ut suis temporibus Venetia inter cæteras Provincias decore & „ opulentia sublimata diceretur „. Ducatum tenuit ann. 17. mens. 6. obiit anno Chr. 1009. ætatis 48. Farlatus tom. 1. pag. 221. Istriam & Dalmatiam ait se Venetis dedisse anno Chr. 998.

b Edit. Murat. pro *illuc*, habet, *mane*.

,, que honore eundem Ducem glorificavit. Dux deinde va-
,, ſtum velificando æquor, Auſerenſem ad urbem delati
,, ſunt, ubi non modo cives, verum omnes de finitimis tam
,, (*a*) Romanorum, quam Sclavorum caſtellis convenientes,
,, tanti hoſpitis adventum ſe præveniſſe gaudebant, & ſacra-
,, mentis ab omnibus peractis, ſub illius Principis poteſtate
,, manere decreverunt. Hoc peracto, ſacrum diem Penteco-
,, ſtes ſolemniter celebrantes, prædicto Principi laudis modu-
,, lamina decantavere. Tunc omnibus, quibus ætatis plenitu-
,, do aderat ſecum venire juſſis, & acceptis ſtipendiis, diſpo-
,, ſitum iter continuare decreverunt. Altera vero die, Ja-
,, drenſem antequam appropinquarent urbem, ejuſdem civi-
,, tatis Prior cum Epiſcopo & cæteris, ſuum Dominum rece-
,, perunt; & ingreſſi urbem, ibi illi (*b*) Regionis majores
,, confluentes, ejuſdem Principis dominationi ſubeſſe pero-
,, ptabant; inter quos Veglenſis & Arbenſis Epiſcopi, cum
,, eorum civitatum Prioribus adſuerunt, & pari voto ſuper
,, ſacra Evangeliſtarum dicta jurarunt, quod juxta illorum
,, ſcire & poſſe deinceps Domini Petri Ducis fidem obſervare
,, debuiſſent. Inſuper Epiſcopi eiſdem ſacramentis confirma-
,, verunt, quod feriatis diebus, quibus Laudis pompam in Ec-
,, cleſia depromere ſolebant, iſtius Principis nomen poſt (*c*)
,, Imperatorum, laudis præconiis glorificarent. Croatorum
,, itaque Rex [*Mucimirus*] Ducem adveniſſe, & quæ egerat
,, cognoſcens, nunciorum ſtudio eumdem placare pacificis ni-
,, ſus eſt verbis. Quod Dux omnino parvipendens, eoſdem
,, nuncios redire dimiſit; & ſic tractare cum utriuſque gen-
,, tis exercitu adorſus eſt, quomodo inimicorum aditus intra-
,, re, vel quibus argumentis illorum munitiſſima loca inde-
,, mnis capere poſſet. Dux tunc quorundam Narentanorum
,, relatione didicit, XL. Narentanorum nobilium de Apuliæ
,, partibus, peractis negotiis, ad propria velle reverti; decem
,, na-

a *Romanos* Dandulus vocat Latinos indigenas Dalmatas: Sclavos vero, advenas *Chrobatos*.

b Jadrenſes jam ſe ſubdiderant Venetis. Nunc eorundem Venetorum Dominio ſe ſubmittunt *Veglenſes*, & *Arbenſes*.

c Loco Regis Croatiæ, cui olim ſuberant, nomen Ducis Venetorum poſt nomen Imperatoris Græcorum, recitaturos ſe in ſolemnioribus anni diebus promittunt Arbenſis & Veglenſis Præſules.

„ naves hominibus oneratas, ad insulam quæ vocatur Caza „ (*a*) sub omni festinatione destinavit; quæ dum irent, facili certamine eosdem comprehendentes, ad Traguriensem „ urbem accelerare voluerunt. Dux namque utrisque & Dalmatinorum & Veneticorum militibus circumseptus, sexta „ die Jadrensem urbem relinquens, ad quamdam non longe „ a Belgradensi urbe insulam advenit, de qua talem legatio„ nem civibus mittere placuit, ut si spontaneum famulatum „ persolvere, & fidelitatem sibi jurare vellent, gratiam adi„ pisci valerent; sin autem, se certamine capiendos procul„ dubio scirent. Hoc vero audientes Sclavorum (*b*) Reges,pe„ riculum incurrere formidabant,& tantoPrincipi resistere non „ valebant: unde in utroque discrimine positi, quid agerent „ penitus ignorabant. Tandem Venetorum ditioni subesse „ eligentes, & sacramenta & obsequia persolverunt. Egressi „ vero inde Lenigradæ insulæ coloni, egregio Duci occurren„ tes, sacramenta prompte fecerunt. Quumque Dux Tragu„ riensem urbem peteret, ab Episcopo civibusque sacramen„ tis corroboratus est; ibique suos, quos ante ex Jadrensi ci„ vitate misisse diximus, victores reperit. Sclavorum etiam „ Regis frater, Surigna (*c*) nomine, aderat, qui quondam „ fraterno dolo deceptus, Regni amiserat diadema; ipse „ namque non modo sacramenti vinculo se eidem Duci asso„ ciavit, verum etiam Stephanum puerulum carissimam sobo„ lem sibi pro obside commendavit, cui Dux Hicelam filiam „ suam conjugem tradidit. Hinc ad Spalatinam nobilissimam „ & validam urbem, quæ totius Dalmatiæ Metropolis constat „ esse, prædictus Princeps advenit, quam Petrus Archiepi„ scopus sacro infulatus officio cum urbana tam Clericorum, „ quam

a *Caza*. Farlat. tom. I. pag. 221. *Chaza*, nunc *Cazzola*, non longe a Corcyra nigra.

b *Reges* vocantur nimirum Slavorum *Zupani*.

c Cangius in Famil. Dalmat. pag. 326. Mucimirum & Suriguam, Tirpimiri Dalmatiæ & Croatiæ Regis filios, perperam facit Bossinenses Banos, sic scribens num. VI. de Crescimiro II. Wemiri fratre: *Crescimirus II. Vvcmiro fratri successit*: „ quem „ quidem eundem esse licet existimare, quem Veneti scriptores Mucimirum vocant, „ quique circa anno 994. & 1015. Croatiæ Regnum obtinebat, quod Surigæ fratri, „ qui idem proinde cum Wemiro censeri debet, abstulerat „. Hoc falsum: nam Wemirus & Crescimirus, de quibus Cangius ex Orbino pag. 346. loquitur, fuere filii Stephani Bossinæ Bani. At vero Mucimirus & Surigua patrem habuere Tirpimirum Croatiæ & Dalmatiæ Regem.

„ quam Laicorum multitudine excepit, & Missarum solemnia
„ celebrans ex voto jurisjurandi fide eidem omnes placere
„ fategerunt. Narentanorum quidem princeps XL. suorum
„ captivitate mancipatos expertus est, qui suis internunciis
„ Ducem continua prece sibi illos reddi imploravit. Hoc vi-
„ delicet pacto, quod priusquam ipse Dux de illis exiret fini-
„ bus, tam ille Narentanorum princeps, quam omnes sui ma-
„ jores, sibi ad satisfaciendum pro suis votis convenirent; &
„ nec censum alias extortum aliquo modo exigere, nec quem-
„ piam itinerantem Venetias molestare deberent. Tunc Dux
„ captivos reddere jubens, sex tantum illorum, ne ipse pa-
„ cem violasset, retentos secum servavit. His definitis, Dux
„ ad alios illius regionis subjugandos gressum tendere cœpit,
„ qui apud sancti Maximi Ecclesiam hospitium habere dum vo-
„ luisset, Ciurzulæ insulæ habitatores suis recusantes parere
„ jussionibus, valida manu acquisivit, suæque potestati subju-
„ gavit. Præterea dum idem Dux quidquid cordi aderat,
„ Deo fautore, ad votum consequeretur, improbos Lesinæ
„ (*a*) insulæ habitatores aggredi conatus est, a quorum rabie
„ Venetici illa pernavigantes loca, propriis facultatibus pri-
„ vati, nudi sæpissime evasere. Erat siquidem eadem insula
„ scopulosis promontoriis circumsepta, & licet aditum intran-
„ tibus non denegarent, montium tamen sublimitate ostenta-
„ batur, ex quibus vivis murorum mœnibus, turriumque
„ ædificiis munitis, inexpugnabilis ab omnibus putabatur.
„ Dum vero prædictus Princeps multitudine navium collecta,
„ quemdam illius insulæ portum penetravit, mandat civibus,
„ ut relicta pertinacia ad se venirent, aut pugna se se peritu-
„ ros scirent. Qui timore constricti, pacifica verba protule-
„ runt. Postmodum illis injunctum fuit, ut nulla ratione pa-
„ cem a Duce consequi possent, nisi civitatem ipsi destruerent;
„ destructam vero, irreparabilem & inhabitabilem relinque-
„ rent. Quod omni nisu facere interdicentes, tanto exercitui
„ sese obsistere adorsi sunt. Tunc idem Princeps suos ad cer-
„ tamen præparare, illosque impugnare acriter jussit. Verum
„ quia arduus locus difficilem dabat appropinquantibus in-
„ gres-

Codd. Vat. *Lantesina*. Cod. Ambros. *Tadesina*.

„ gressum, jaculorum ictibus hostes aliquandiu procul virtute „ qua poterant, coërcere satagebant. Tamen Dei omnipotentis dispensatione major pars exercitus ex illo loco, unde „ nullius munitionis ostia patebant, impetum facientes, reliqua montis per devia conscendendo, turres, ubi aquarum „ vascula tuebantur, comprehenderunt, in quibus consistentes in tantum luctamine comprimebant, donec dejecti animo „ armis depositis nihil amplius, quam mortis exosum periculum evadere flexis exorabant poplitibus. Dux itaque pietatis amator omnes vivos conservare constituens, civitatem „ tantum devastare præcepit. Hoc peracto, victor Princeps „ sancti Maximi Ecclesiam (*a*) receptavit. Illuc Ragusiensis Episcopus cum suis conveniens, eidem Principi sacramenta omnes facientes, obsequia multa detulerunt. Inde „ Dux prædictas civitates repetendo remeans, pari omnium „ consensu Ducem Dalmatiæ se primitus nominavit, & ad „ Venetiam tandem cum tali triumpho regressus est.

XVI. Veneti Dalmatiæ Maritimæ civitates obtinent.

Itaque quidquid maritimæ Dalmatiæ, ab Istriæ finibus, idest ab Arsia fl., usque ad Tilurum amnem, hactenus possederant Chrobati, id totum, Duce Petro Urseolo secundo, a Venetis receptum est: nimirum, præter Jaderam quæ dudum Venetis sese dediderat, *Ausera* (*b*) sive *Absorus*, *Vegla*, (*c*) *Arbe*, *Tragurinm*, *Belgradum*, (*d*) *Lenigrada* (*e*) *Spalatum*, (*f*) *Curzula* (*g*) *Lesina* (*h*) se Duci Venetoque nomini dederunt. *Ragusini*, (*i*) denique in clientelam Venetorum sunt recepti. Farlatus ex Dandulo describens hanc

 Petri

a Codd. Vat. *reciprocavit*. *Illico Ragusiensis &c.*

b Ausara, Absorus, nunc *Ossero*.

c *Vegla*. Porphyrogenito *Becla*: Farlato, tom. 1. pag. 190. *Vegla*, *Vegia*.

d Belgradum, Bellegradum, Alba maris, Jadera vetus, olim Blandona. Farlat. tom. 1 pag. 144.

e Lenigrada, Plinio *Colentum*, nunc *Mortarium* vocant. Farlat. tom. 1. pag. 222.

f Spalatum, ex Palatio Diocletiani civitas præclara, a Salonitanis exstructa. Farlat. tom. 1. pag. 148. 488. & seqq.

g Curzula, Ciurzula, Corcyra nigra, Curcra. Farl. tom. 1. pag. 198.

h Lesina, Liesina, olim *Pharia*. Farl. tom. 1. pag. 197. At idem Farlatus ex fide Codicum Manuscriptorum pro Lesina, habet *Ladestrim*, seu *Ladestam*, quam nunc (inquit pag. 222.) *Lagustam* vocant, insulam Corcyræ a meridie subjectam.

i *Ragusium* Farl tom. 1. pag. 149. 134. 308. De Ragusinis idem Farlatus p. 222. „ Mox adfuere ab Ragusinis Legati cum suo Antistite, qui seque ac suos in fidem ac „ clientelam Venetorum tradiderunt.

Petri Urſeoli in Dalmatiam excurſionem, de receptis ab ipſo civitatibus tom. 1. pag. 222. ſic ait: „ Urſeolus ſupplemento „ navalibus copiis addito, non multo poſt ſubſecutus inſu- „ lam Chrobaticæ ditionis prope a Belgrado, urbe itidem „ Chrobatica, in deditionem recepit. Deinde Tragurium, „ Spalatum, aliaſque urbes & inſulas Orientis imperio ſubje- „ ctas adiit; quæ omnes cum finitimis populis ſe Duci Vene- „ toque nomini dederunt, ac jurarunt perpetuo ſe manſuros in „ eorum fide, quorum opem ſupplices imploraverant „. Fallitur, meo quidem judicio: non enim Orientis Imperio ſubjectæ erant eæ urbes, quas Urſeolus in deditionem accepit: alioquin, quonam pacto id totum, permiſſu Baſilii & Conſtantini Imperatorum, uti ſcribit Dandulus, factum fuiſſet? quomodo illi Imperatores permiſiſſent, civitates Tragurium, Spalatum aliaſque ſibi ſubjectas, a Venetis occupari? Nimirum, pertinuerant quidem iſtæ civitates olim ad Orientis imperium, juſſuque Baſilii Macedonis, ea demum Slavis Chrobatis pendebant, quæ olim Prætori ſive Stratego Imperiali exhibere conſueverant, exiguum aliquid eidem Stratego perſolventes, ad oſtendendam Imperatoribus ſubjectionem, quemadmodum Porphyrogenitus cap. 30. de Spalato, Tragurio, Diadora, (*a*) Opſara, Arbe, & Becla ſcribit. Verùm ſub annum circiter 976. Chrobati illas ab Orientis imperio avulſas, ſuæ ditioni ſubjecerant; uti ſupra de inſulis *Cboara*, *Iſſa*, *&* *Laſtobo* demonſtratum eſt. Hinc Veneti, cum bona Imperatorum venia, Dalmaticas illas urbes e Chrobatorum jugo ereptas, ſuæ poteſtati ſic ſubmiſerunt, ut feriatis diebus, quibus Laudis pompam in Eccleſia depromere ſolebant, earundem civitatum Antiſtites, Imperatorum nomen præmitterent, deinde Ducis Venetorum ſubjungerent, in Eccleſiaſticis ſcilicet Diptychis, ſicuti apud Dandulum Veglenſis & Arbenſis Epiſcopi profitentur. Porro in margine Codicis Ambroſiani, poſt narratum Petri Urſeoli e Dalmatica expeditione in urbem Venetiam reditum, hæc (*b*) adduntur: „ Tunc miſſi præfecti ex Venetis „ in urbes Dalmatiæ: videlicet: Otto Urſeolus Spalatum: „ alibi, Raguſium & Spalatum, ejus filius. Dominicus „ Polla-

a Slavis *Zadar*, unde Græcis ſequioris ævi *Diadora*. Latinis *Jadera* & *Jadra*.
b Murat. Ital. Hiſt. ſcript. Tom. 12. pag. 229. ad oram.

„ Pollanus Tragurium. Johannes Cornarius (a) Sicum. Vitalis Michaël Belgradum. Maffæus Justinianus Jaderam. Marinus Memus ad insulam Corcyram nigram, hodie Curzolam, & ad alias insulas.

XVII. Quando nam Principibus Venetiarum titulus *Ducis Dalmatiæ* decretus?

Tum vero Principibus Venetiarum titulus *Ducis Dalmatiæ* decretus: *parique omnium consensu* (ut scribit Dandulus) *Petrus Urseolus Ducem Dalmatiæ se primitus nominavit.* Nimirum „ unacum Dalmatia Istriaque maritima propemodum „ universa (verba hæc sunt Farlati tom. 1. pag. 222.) totius „ etiam maris dominatus ad Venetos pervenit, quem illis peperit non imperii propagandi cupiditas, sed Adriaticæ navigationis sibi aliisque tutæ præstandæ necessitas; quum hoc mare Imperatores Orientis, suis jamdudum classibus deductis, ab omni præsidio vacuum, desertum, expositumque piraticis prædis ac latrociniis reliquissent, ejusque defensionem & custodiam gravissimis bellis curisque domesticis impliciti omnino negligerent. Nec vero alii erant ea tempestate seu Principes, seu Populi, qui ejusdem maris tuendi cogitationem curamque suscipere vellent aut possent. Nam Franci quandiu quidem Imperium Occidentis cum Istria Italiaque tenuerunt, nihil opis præsidiique navalis ad piratas comprimendos & mare purgandum contulerant. Translato autem ad Germanos imperio, amissis omnibus circa idem mare urbibus ac provinciis, exercitus omnes viresque cis Alpes in Galliam revocaverant: Germani vero Imperatores, ut terrestribus plurimum valerent, opibus tamen copiisque Maritimis carebant. Ab Italicis populis, quorum opes exhauserant, & bellicam indolem ac virtutem infregerant tum clades barbaricæ, tum dominatio externarum gentium, sub quarum imperium ditionemque ante aliquot sæcula ceciderant, nihil maritimi præsidii suppetere, aut expectari poterat. Ita demum Veneti in eam, quam hodieque retinent, totius Adriatici Maris possessionem tunc vacuam & caducam, nemine repugnante, & rei communis, Italicæ præsertim Dalmaticæque, necessitate quadam cogente, venerunt.

 „ Porro

a Farlatus tom. 1. pag. 147. Ab Tragurio quarto ferme lapide in ortum disjungitur Sicum, urbs perantiqua... cujus jamdudum eversæ rudera etiamnum visuntur. A Sibenico diversum.

„ Porro tantum abfuit, ut Basilius & Constantinus Imperato-
„ res Orientis iniquo aversoque animo ferrent, Dalmatiam ab
„ suo ad imperium Venetorum translatam, ut ipsimet tum
„ Dalmatis ad Venetorum opes confugiendi, tum Venetis Dal-
„ matas in suam fidem & clientelam recipiendi potestatem
„ fecisse dicantur. Id quippe diserte traditum est in Annalibus
„ Andreæ Danduli lib. 9. cap. 1. Qua de causa Veneti ab illis
„ evocati, cum permissione Basilii & Constantini Imperatorum
„ Constantinopolitanorum, dominium Dalmatiæ primitus ac-
„ ceperunt, ut historia, quam reperimus in antiquissimis Græ-
„ corum & Venetorum Codicibus, prout sequitur, seriose
„ declarat „. Quum autem Petrus Urseolus Dalmatica expe-
ditione perfunctus, paulo post Joannem filium ex decreto Se-
natus sibi collegam cooptatum cum Othone fratre ad Constanti-
num & Basilium Imprатores Constantinopolim misisset, ab his
insigni honore excepti, magnisque sunt muneribus donati: præ-
terea Basilius Mariam sororis filiam Joanni in matrimonium tra-
didit. Rem narrat idem Dandulus lib. 9. cap. 45. „ Post Du-
„ cis reditum, (*anno* 997.) Joannem Ducem cum Ottone
„ fratre mittit Constantinopolim ad Basilium & Constantinum
„ Imperatores, qui cum honore suscipientes illum, Mariam
„ (*a*) ex sorore neptim, filiam nobilis viri Argyropolis sa-
„ tis splendide dotatam, sibi in conjugem tradidere, statuto-
„ que die nuptiarum conjuges in CapellaImperiali a Patriarcha
„ Constantinopolitano munus benedictionis, & ab Imperato-
„ ribus aurea diademata capitibus suis suscepere. Celebratis
„ itaque cum honore nuptiis, Joannes ad repatriandum dispo-
„ situs, rogatu Basilii euntis contra Bulgaros, usque ad ejus
„ reversionem in urbe cum uxore remansit. Reversus quoque
„ Basilius Joannem Ducem Patricium fecit, & supplicanti nepti
„ corpus Sanctæ Barbaræ filiæ Dioscori gratiose concessit. Qui-
„ bus obtentis Joannes cum uxore & fratre Venetias rediit, a
„ patre & Venetis cum gaudio receptus.

Sed neque displicuit Ottoni tertio, Imperatori Occiden-
tis, ut Dalmatia ad Venetorum ditionem transiret: quin po-
tius gaudens de Venetorum triumpho, Venetias adire voluit,
ut scriptum tradit Dandulus lib. 9. cap. 32. „ Interea Ottone
„ Augu-

a Codd. Vaticani & Ambros. *Mariam*.

„ Augusto in Italiam tertio nunc vento, Joannes Diaconus, „ Ducis Venetiarum nuncius, domini sui progressum, & subsequenter triumphum susceptum cum gaudio nunciavit, & „ cum eo Romam ivit, & ab eo obtinuit confirmationem, & „ per terminos declarationem finium Venetorum secus Heracliam, sicut Petrus Candianus Dux tenuit. *Et post finium designationem*: Quibus peractis, Otto de Venetorum congaudens triumpho, Ducis nuncio redeunti ait velle voti perficiendi causa clandestine Venetias accedere, & cum Duce „ sibi dilecto pariter congaudere. Quæ omnia Duci relata, sibi lætitiam attulerunt. Octavo Ducis anno (*Christi* (*a*) 998.) „ Otto de Roma Ravennam rediens, sub specie sumendæ potionis Pomposiam venit, & nocte navem intrans cum sex „ tantummodo sibi secretis & Jo: Diacono, navigando ad S. Servuli Monasterium, ignotus applicuit; & cum Duce, noctis „ tempore, ad Ecclesias Sancti Zachariæ, & beatissimi Marci „ Evangelistæ venit, & satis dignas laudes exsolvens, vota „ sua perfecit, & Ducis Palatium ascendit. Erat sane vili, ne „ agnosceretur, habitu indutus, neque fas Duci fuerat cum „ eo in die manere, ne quis ejus præsentiam posset agnosce- „ re. Ad prandium cum aliis palam conveniebat, sero unacum Cæsare dapibus & colloquiis reficiebatur. Cujus filiam „ ad vinculum perfectæ fidei Imperator de sacro levavit fonte, „ & pallium, quod pro pacti fœdere a Venetis solvebatur, „ perpetuo remisit. Et satis domesticis donis a Duce susceptis, „ Ravennam rediit, & unde venerat, omnibus propalavit. „ Dux itaque Venetorum Populum post triduum in Palatio „ con-

a Deest in Codd. Vaticanis. At colligitur tum ex supradictis de primo Ducis anno qui respondet anno Chr. 991. tum quia Otto III. Imper. anno 998. Roma Ravennam venit, uti productis documentis ostendit Muratorius in Annal. Ital. ad ann. 998. Unde tum testimoniis a Muratorio productis, tum Dandali auctoritate refellitur Pagius, qui ad ann. 998. num. 17. de Ottone sic pronunciat: „ Otto III. Imperator „ anno superiori (*hoc est* 997.) secunda vice Romam venit, nec ante initium anni „ millesimi inde digressus est „ . Rejicitur etiam Farlatus, qui tom. 1. pag. 221. Dalmaticam Petri Urseoli expeditionem figit *ad annum* 998. his verbis: „ Itaque ne „ oblata Dalmatiæ adipiscendæ occasio e manibus laberetur, haud multis post diebus, „ anno Chr. 998. vere appetente, valida ingentique classe adornata, copiis in naves „ impositis, Urseolus felici cursu in Istriam transmisit „ . Muratorius in Annal. Ital. recte quidem ad annum 997. confert Urseoli de Dalmatis reportatam victoriam, & ad annum 998. Ottonis Imperatoris in urbem Venetorum clandestinam profectionem: verum fallitur, dum inter Dalmaticas urbes ab Urseolo acquisitas, recenset *Parentium*, & *Polam*: hæ enim duæ jam antea ad Venetos pertinebant.

„ convenire indixit, cui hujusmodi gestum patefaciens, non „ minus fidem Imp., quam peritiam sui senioris collaudabant.

XVIII. Refelluntur ii, qui negant aut se ignorare affirmant ante annum Chr. 1084. Venetis obtigisse Dalmatiæ Principatum.

Quæ quum ita sint, palam fit, iis quæ hactenus narrata sunt animum non advertisse illos Scriptores, qui aut se ignorare affirmant, unde Venetis ante annum 1084. obtigerit Dalmatiæ Principatus; aut confidenter negant Venetos ante eum annum in Dalmatas potestatem ullam habuisse. Horum verba recitare juvat, antequam aperiam crassæ hujusmodi allucinationis originem. Cangius in Familiis Dalmaticis cap. 5. num. XVIII. edit. Paris. pag. 300. „ Eadem vero tempestate (inquit) hoc est circa annum Chr. 1091.) Veneti, Venetorumque Duces, Dalmatiæ Duces se inscripsere, ex „ Alexii Comneni Imperatoris Constantinopolitani, uti volunt ejusce gentis historici, concessu, & quum is cum Normannis nostris Italicis bellum gereret, in auxiliorum ab iis „ sibi præstitorum gratiam. Constat autem Ladislaum oppida dumtaxat in Croatia Mediterranea expugnasse, & pleraque ex maritimis in Venetorum fuisse possessione, quum „ tamen unde iis obtigerit, haud omnino planum sit ac exploratum. Ex quo non desunt, qui ea post Zvinimiri obitum invasisse & expugnasse contendunt, seu quod obortis „ inter Croatiæ proceres intestinis dissidiis, ea invadendi occasionem captarint; seu quod ab Hungaris excidium iis immineret, Venetorum tutelam sint amplexati. Scribunt alii „ complura in maritimis hisce Dalmatiæ regionibus jam antea „ possedisse oppida Venetos, in iisque Polam, Belgradam, „ Jaderam, Sebenicum, & Spalatum; quæ quidem a Petro „ Urseolo Duce fuerant expugnata, quum in Slavos Narentanos, qui Mare Adriaticum excursionibus suis infestabant, „ tributis a Navigantibus in eo Mari exactis, expeditionem „ suscepit. Addunt præterea complura alia de Croatorum „ Regibus, quæ nulla nituntur verisimilitudine, adeo ut hæc „ prorsus incerta existimare liceat. Id sane constat, Vitalem „ (a) Falierum, primum ex Venetorum Ducibus, Dalmatiæ Ducem se inscripsisse, ex Alexii, ut attigimus, concessione; proindeque admodum vero esse simile, ea tempestate maritima ejusmodi Dalmatiæ oppida in Venetorum „ venis-

a *Phaledrum*.

„ venisse potestatem. Ex quibus eam esse forte rationem „ conjicere est, cur Ladislaus Croatiæ dumtaxat, non vero „ Dalmatiæ Rex, inscriptus legatur, quum Calomanus Dalmatiam demum occuparit, Almo fratre, Hungariæ Regno, „ quod Ladislai patrui testamento sibi delatum fuerat, ultro „ cedente „. Hucusque Cangius: ex quo Pagius quoque sua hausit, dum ad annum Chr. 1077. num. 15. sic scribit. „ Ladislao Croatiam & Dalmatiam etiam paruisse, Zvonimiro „ sine liberis demortuo, tradunt Hungarici Scriptores. Sed „ Joannes Lucius in Histor. de Regno Dalmatiæ & Croatiæ „ lib. 3. cap. 1. & seqq. contendit, Ladislaum Croatiam tantum occupasse, & Venetos suis victoriis Dalmatici Regni „ titulum consecutos esse. Quæ controversia certis argumentis definiri non potest. Id sane constat, (inquit Ducangius in Familiis Dalmaticis & Sclavonicis cap. 5.) ex Andrea Dandulo in Chronico ad annum 1084. Vitalem Falierum, primum ex Venetorum Ducibus, Dalmatiæ Ducem „ se inscripsisse, ex Alexii Comneni Imp. concessione; proindeque admodum vero esse simile, ea tempestate maritima „ ejusmodi Dalmatiæ oppida in Venetorum potestatem venisse.

Atqui idem ipse Dandulus, quo auctore ajunt Alexium Comnenum Imperatorem anno 1084. Venetis concessisse, ut maritima Dalmatiæ in sua ditione haberent, eorumque Duces, *Dalmatiæ* quoque *Duces* appellarentur; dixerat ad annum 997. (idest, centum fere ante annis) occupatis partim armorum vi, partim spontanea civium deditione, maritimis Dalmatiæ oppidis, Ducem Dalmatiæ fuisse communi omnium consensione proclamatum Petrum Urseolum. Quare mirari subit, Cangium virum doctissimum in eam prorupisse sententiam, *haud omnino* scilicet *planum esse ac compertum*, *unde Venetis Ducibus Dalmatiæ titulus unacum possessione obtigerit*. Alexius enim Comnenus id quod antea Venetis sub Basilio & Constantino Augustis obtigerat, confirmavit; non primum concessit. Verba Danduli (*a*) lib. 3. cap. 9. accipe. „ Vitalis Phaledro Dux approbatur Anno D. N. J. C. 1084. Hic „ promissione & donis expulsionem Prædecessoris Populo „ per-

a Edit. Murat. pag. 250. Codd. Vat. 5286. fol. 97. pag. 2. Cod. 5842. fol. 119.

„ persuasit. Qui Augusti hortatione Andream Michaëlem, „ Dominicum Dandulo, & Jacobum Aurio Legatos Constantinopolim misit, ut Jurisdictiones Dalmatiæ & Croatiæ, „ sibi ab incolis traditas, obtineret, quas Constantinopolitano Imperio pertinere noverat: quia secundum Historiographos, Dalmatia, prima Provincia est Græciæ, quam in partitione (*a*) Imperii inter Carolum & Nicephorum per decretum sancitum Carolus Orientis Imperio habere permisit, & illam usque ad tempus Basilii & Constantini, Reges „ & Principes præsidentes nomine ipsius tenuerunt. Euntes „ autem Legati, ab Alexio alacriter visi, Chrysobolium (*b*) „ Dalmatiæ & Croatiæ, & Sedis Protosebastos obtinuerunt. „ Quibus postea reversis, Dux suo addidit titulo: Dalmatiæ „ atque Croatiæ, & Imperialis Protosebastos „. Itaque Vitalis Phaledro per Legatos ab Alexio Comneno obtinuit, *ut Jurisdictiones Dalmatiæ & Croatiæ, sibi ab Incolis sub Basilio & Constantino traditas*, *obtineret*, idest, jam possessas, Bulla aurea confirmaret, utque sibi titulum *Protosebasti* præterea concederet. Nam qui post Petrum Urseolum usque ad hunc Vitalem Phaledrum Venetis præfuere Duces, *Dalmatiæ* quidem *Ducis* titulo gaudebant, non tamen *Croatiæ*, neque *Protosebasti*. Utriusque hujusce tituli accessio sub eodem Vitali Phaledro facta legitur non modo in Chronico Danduli, uti vidimus; verum etiam in ipsius Phaledri Diplomate, quod ex Cod. Ambrosiano edidit Muratorius Tom. 12. pag. 251. ad oram libri, dat. *Anno ab Incarn. D. N. J. C.* 1094. *mense Decembri*, *Indictione* 3. in quo sic legitur: „ Hæc omnia nos Vitalis Faletro de divinæ gratiæ largitate Venetiæ, Dalmatiæ, „ atque Croatiæ Dux, & Imperialis Protosevaston, plurimum „ animadvertens &c. „. Reliqui post Phaledrum Duces in iis quæ ex Cod. Ambrosiano Muratorius edidit Diplomatibus, aut solo, *Venetiæ*, *Dalmatiæ & Croatiæ*, titulo usi leguntur (ut pag. 267. ad annum 1116. *Ordelaphus Phaledro D. G.* Dux

a Sub Carolo M. & Nicephoro, non facta est Imperii partitio, sed *pactum faciendæ pacis in scripto datum receptumque*. Vide Scriptores Francos apud Duchesnium ad ann. 803.

b Chrysobolium. Chrysobullam, idest, Auream Bullam. Vide Cangium in hac Voce.

Dux Veneticorum , Dalmaticorum , & Croaticorum &c. pag. 289. *Vitalis Michael Dei gratia Venetiæ , Dalmatiæ atque Croatiæ Dux* , Anno 1166. IV. Kal. Julii Ind. XIV. & pag. 323. 324. 325. 326. *Henricus Dandulus Dei gratia Venetiæ , Dalmatiæ atque Croatiæ Dux* , Anno 1201. menſe Aprili Ind. 4. & anno 1204. menſe Mart. Ind. 7.) Aut cum addito , *& Dominus quartæ partis & dimidiæ totius Imperii Romaniæ* : (ut pag. 382. in charta conventionis inter „ Dominum Jacobum „ Contarenum D. G. Venetiæ , Dalmatiæ , atque Croatiæ „ Ducem , & Dominum quartæ partis & dimidiæ totius Imperii Romaniæ , & *Commune* Venetorum ex una parte , & „ nobilem & egregium virum Dominum Johannem de Monteforti Tyri & Turonæ Dominum ex altera „ Anno Domini 1272. Ind. 5. Kalendis Julii : & pag. 483. & ſeqq. „ Petrus Gradonico D. G. Venetiarum , Dalmatiæ , atque Croatiæ Dux , Dominus quartæ partis & dimidiæ totius Imperii „ Romaniæ „ Anno 1310. die 17. Junii , & die 24. Junii , Ind. 8. Eumdemque titulum uſurpant pag. 497. *Marinus Georgio* anno 1312. die 17. Octob. Ind. XI. pag. 498. *Joannes Delphino* anno 1357. die 15. Julii Ind. X. pag. 504. 506. 508. *Raynerius Zeno* anno 1364. Ind. 8. die 8. intrante Septembri , & anno 1365. die penultimo menſis Martii .

XIX. Oſtenditur, Venetos titulo Ducis Dalmatiæ uſos ante ann. 1084.

Ceterum titulo *Dalmatiæ Ducis* , ante Vitalis Phaledri tempora , ideſt ante an. Chr. 1084. uſos fuiſſe Venetorum Duces , conſtat, tum ex verbis Danduli ad an. 997. ſub Petro Urſeolo a nobis ſupra recitatis ; tum ex ejuſdem Danduli Chronico pag. 232. de eodem Urſeolo ſic ſcribentis : „ Hic Petrus „ Dux cum Joanne filio & conſorte ſuo , Joannem Diaconum „ & Capellanum ejus , Ratiſponam ad Henricum Cæſarem „ (*a*) Nuncium miſit , & ab eo obtinuit Privilegium confirmans omnes exemptiones, libertates & immunitates , quas „ Duces , Eccleſiæ & populi Venetiæ ſoliti ſunt habere in Italico Regno , & hunc non ſolum Ducem Venetiæ, ſed etiam „ Dalmatiæ in eodem privilegio nominavit „ . Exſtat præterea apud Joannem Lucium de Regno Dalmatiæ & Croatiæ pag. 80. Inſtrumentum , *in civitate Arbe* , *Ind.* 1. *menſe*

a Quem ſupra , anno 1003. imperaſſe dixerat .

Julio, *Anno Chr.* 1018. confectum, in quo hæc verba leguntur: „ Nos quidem Majus Episcopus. Vobis Domino Othoni „ seniori nostro, Duci Veneticorum, & Dalmaticorum, & „ successoribus vestris &c. „. Otto iste Urseolus, defuncto patre Petro, Dux præesse cœpit anno Chr. 1009. (uti scribit Dandulus pag. 235.) quumque annis 17. præfuisset, eo quod Dominicum Gradonicum ætatis annum 18. agentem, electum Episcopum investire renuisset, auctore Dominico Flabanico, anno 1026. tonsa barba in exilium Constantinopolim missus fuit, ubi anno 1032. decessit, eodem Dandulo teste pag. 239. & 240. Postremo Sanctus Petrus Damiani, qui ad superos anno Chr. 1072. hoc est, duodecimo ante initum a Vitali Phaledro Ducatum anno, migravit, apud eumdem Dandulum pag. 214. & seq. in Vita Sancti Romualdi de Petro Urseolo Primo, Venetorum Duce, ac Urseoli Secundi patre, & Ottonis avo, scribens, eum ait *Dalmatici Ducatus habenas gubernasse*, *& Dalmatici Regni Principatum* fuisse adeptum: quod profecto non dixisset, nisi suo saltem ævo Duces Venetorum & Dalmatiam maritimam obtinerent, & *Venetiarum* Ducis titulo, *Dalmatiam* adjungere soliti essent.

XX. Quæ bella Veneti gesserint cum Chrobatis & Hungaris pro retinenda vel recuperanda Dalmatia.

Itaque de Dalmatiæ possessione tituloque, neque Orientis neque Occidentis Imperatores cum Venetis contendisse, certum est. Verum pro retinenda vel recuperanda Dalmatia, multa Veneti & gravia bella cum Croatiæ & Hungariæ Regibus gesserunt. „ Nono Ottonis Urseoli Ducis anno (ut scri„ bit Dandulus pag. 236. idest, anno Chr. 1017.) Crosumi„ rus (*a*) Croatorum præsidens Regno, Jadram, & alias „ maritimas civitates Dalmatiæ, quotidianis incursionibus „ inquietat. A quibus Dux requisitus, cum stolo exiit, & ci„ vitates tutavit, hostes in fugam vertit, & Cives illarum in „ sua fidelitate & obedientia solidavit. Et rediens, a Vitale „ Episcopo Veglensi, & Majo Episcopo Arbensi, & Martino „ Episcopo Ausenensi (*b*), & ab universo Clero, Priori„ bus, & Populo dictarum Insularum, de tributo sibi & Suc„ cessoribus suis annuatim in perpetuum solvendo, sponsio„ nem

a Cod. Vat. 5841. fol. 113. & Cod. Vat. 5286. *Cresmurus*. Sed legendum, *Cresimirus*.

b Cod. Vat. 5842. & 5286. *Auserensi*, recte.

„ nem suscepit „. Farlatus hoc ipsum ex Dandulo recitans, Cresimirum quidem cum Mucimiro eundem facit, epocham vero rerum gestarum perperam signat, inquiens Tom. 1. pagin. 223. col. 1. „ Nam primum quidem anno circiter 1023. „ (*hoc falsum : id enim factum anno* 1017. *aut saltem* 1016. „ *ex Dandulo patet*) Mucimirus, quem aliqui Heresimum, „ alii vero Cresimirum vocant, idque propius vero est, Rex „ Chrobatiæ, contra quam inter Petrum Urseolum & Chrobatorum Reges (*a*) convenerat, Jadrenses infestare, eorumque fines crebris incursionibus vastare cœperat : neque „ a cæteris finitimis Dalmatiæ Venetæ populis populationes „ abstinebat. Otho Urseoli filius Principatum in Venetis adeptus anno 1016. (*imo Principatum adeptus anno* 1009. *ulturus autem suorum injurias, anno* 1017. *in Dalmatiam* „ *copias transmisit*) ulturus suorum injurias, in Dalmatiam „ copias trajecit, hostesque acie congredi ausos facili negotio fudit atque in fugam avertit; deinde omnem maritimam „ Dalmatiæ, Istriæque oram, quæ patris ductu in Venetorum „ fidem tutelamque concesserat, classe circumvectus, singulas civitates & conventus adiit : Cives novo juramento adegit, ut in Venetorum fide, in quam ultro venissent, in posterum manerent; neve quemquam ex suis populis res novas moliri paterentur „. Pergit Farlatus, Reges Chrobatiæ enumerans, a quibus Dalmatia Venetica infestata sit. „ Cresimiro (inquit) in Regnum Chrobatiæ successit Stephanus, Stephano Cresimirus alter dictus Petrus, huic Slavizo, deinde Zvonimirus cognomento Demetrius, demum „ Stephanus, in quem desinit series Regum Chrobatiæ. Hos „ Reges, postquam Veneti rerum in Dalmatia potiti sunt, „ aliquas maritimas urbes in sua potestate habuisse, aut antea „ possessas, aut Venetis ereptas, veluti Nonam, Belgradum, „ Sebenicum, & idcirco Chrobatiæ pariter Dalmatiæque regio titulo usos esse, ex antiquis Dalmatiæ monumentis intelligitur „. Sed de his postea. Nunc series Regum Chrobatiæ est continuanda.

Yy 2 Igitur

a Hoc etiam titulo, idest, *Regum*, Dandulus in Petro Urseolo Secundo, Banos illos Croatorum donat, qui Venetis se suaque oppida dediderunt. Fallitur tamen Farlatus, dum putat, Regem Chrobatorum, qui tunc temporis Mucimirus erat, aut saltem Cresimirus, eo nomine fuisse designatum.

XXI. Chrobatiæ & Dalmatiæ mediterraneæ Reges post Mucimirum & Suriguam Cresimirus major, necnon Dircislavus, Cresimirus minor, Svetoslavus, & Goyslavus, ejus filii ab anno circiter 1000 ad 1024.

Igitur mortuo Tirpimiro, dum contenderent ejus filii Mucimirus & Surigua, dumque a Venetis, ut supra, Dalmatia Maritima occupata fuisset, *Cresimirus, major & proavus Cresimiri tertii* appellatus, Dalmatiæ mediterraneæ & Chrobatiæ Regno circa annum 998. potitus, illud ante annum 1000. Dircislavo filio reliquit. Filios autem habuit Cresimirus iste major *Dircislavum, Cresimirum, Svetoslavum* & *Goyslavum*.

Cresimiro Patri *Dircislavus*, hujus nominis secundus, anno 1000. successit.

Dircislavum excepit frater *Cresimirus secundus*, qui *Avus* Cresimiri tertii dicitur, quique anno 1017. in Dalmatiam, ut supra, invasit: cujus fratres Svetoslavus & Goyslavus a Basilio Imp. anno 1019. Constantinopolim abducti, ibidem amplis sunt honoribus aucti. Quid vero de alio eorum fratre Dircislavo factum sit, ignoratur.

XXII. Stephanus Cresimiri secundi filius, & Cresimirus tertius, Stephani filius, Reges Chrobatiæ & Dalmatiæ; ab anno 1024. ad 1073.

Stephanus, Cresimiri secundi filius ab anno circiter 1024. ad annum 1060.

Cresimirus tertius, Stephani filius *Petrus* appellatus, ab anno 1060. ad annum 1073.

Hæc constant ex Privilegiis a Joanne Lucio productis. Nam pag. 76. profertur Diploma *Cresimiri tertii*, qui etiam *Petrus* dicitur, *Stephani* Regis filius, *Cresimiri secundi* nepos, & *Cresimiri majoris* pronepos, ex Archivo Monasterii S. Chrysogoni Jaderensis descriptum „ Datum Anno Dom. 1067. Ind. x.
„ Regnante Domino Constantino Duce, magno Imperatore;
„ Prioratum vero Jaderæ retinente Domino Leone Imperiali
„ Protospathario, & totius Dalmatiæ Catipano, Petro S. Chry-
„ sogoni Abbate „ : Et confirmatum *Anno Domini* 1069. *Indict.* VII. *in Nonensi coenaculo* subscriptum ab eodem *Cresimiro*, & a *Stephano Jaderæ Episcopo*: quod sic habet. „ Ego
„ Cresimir, qui alio nomine vocor Petrus, Croatorum Rex
„ Dalmatinorumque .... Comperimus nunc in gestis *Proavi*
„ *Cresimiri majoris* .... Tempore ipsius, & filii ejus *Dircis-*
„ *lavi*, & eorum potentibus Banis, videlicet, Pribinæ, &
„ Godimiri. Et temporibus *Svetoslavi*, & ejus fratrum *Cre-*
„ *simiri*, & *Goyslavi*, & filii ejus Regis *Stephani* Patris mei,
„ faventibus nobilibus Banis eorum qui fuere temporis, vi-
„ delicet, Varda, Bozshare, & Stephanus Presta .... Actum

„ est

„ eſt in Nona civitate „ *& pag. 77.* „ Ideo ego *Creſimirus* „ Dei gratia Dalmatiæ & Croatiæ Rex, atque Avi mei bonæ „ memoriæ *Creſimiri* Regis, Patriſque mei Regis *Stephani* .... „ habenas Regni retinens „ . In Charta quoque fundationis Ædis S. Michaëlis ad Amphitheatrum Salonenſe ædificatæ apud eundem Lucium pag. 79. ſic legitur: „ In Chriſti no„ mine Amen. Anno Nativitatis ejuſdem D. N. J. C. 1000. „ Indict. XIII. Regnantibus DD. NN. Baſilio & Conſtantino, „ magnis Imperatoribus, in Regno Croatiæ; gubernante „ autem *Dircislavo* inclyto Rege; reſidente etiam in Sede „ B. Domnii Domino Martino Rmo Archiepiſcopo, cum Do„ mino Florino Principe Spalati, & aliis „ . Hæc authentica documenta oſtendunt, ante annum 1000. obiiſſe *Creſimirum* majorem. Anno 1000. regnaſſe ejus filium *Dircislavum*. Anno 1015. *Creſimirum* alterum, de quo ſupra ex Dandulo. Anno 1019. *Svetoslavo*, & *Goyslavo* Conſtantinopolim abductis, conceſſum a Baſilio Imperatore Regnum Croatiæ unacum Patricii dignitate eidem *Creſimiro*. Anno incerto, ſeu (ut ex Lupi Protoſpathæ verbis infra recitandis conjectari licet) anno 1024. *Stephanum* Regem Creſimiro Patri ſubrogatum. Anno denique 1060. *Creſimirum* III., Stephano Patre antea defuncto, Regni habenas jam tenuiſſe. Scylitzes & Cedrenus ad ann. Chr. 1019. Indict. 2. ſic ſcribunt: *Subacta* (a Baſilio Imperatore Conſtantini fratre) *Bulgaria*, *Imperatori ſe dedidit etiam contermina Chorbatorum* (ideſt Croatorum) *gens*, *& ejus Principes*, *fratres duo*: *quibus Imperator honores ac opes amplas tribuit*. De hiſce fratribus Principibus hæc obſervat Cangius in Famil. Dalmat. cap. 5. num. XI. „ Conjicere „ eſt, binos iſtos fratres, non alios fuiſſe a *Creſimiro*, & *Sve„ ſtislavo*, aut *Goyslavo*, quum præterea *Creſimirus* Imperia„ lis Patricius ab Archidiacono Spalatenſi appelletur, quem „ ille ait regnaſſe anno 1015. „ . Zonaras edit. Paris. pag. 227. Scylitzæ & Cedreno conſentit, ſic ſcribens: „ Bulgaria do„ mita, καὶ τὰ τῶν χραβάτων ἔθνη, etiam Chravatarum gentes, „ & Sirmium, Romano Imperio ſe ſubmiſerunt „ . Addunt enim Cedrenus & Scylitzes loc. cit. de *Sermone* Sirmii Domino: „ Solus adhuc Imperium detrectabat Σέρμων, *Sermo*, Sir„ mii Dominus, Neſtongi frater. Ad hunc Conſtantinus Dio-

„ ge-

„ genes finitimæ Provinciæ præfectus legatum mittit, interposito jurejurando affirmans, cupere se ipsum convenire, „ ac de rebus necessariis colloqui: quod si ipse insidias vereretur subesse, tribus tantum famulis stipatum se ad ripam „ profluentis ibi amnis accessurum: idem ipse quoque faceret. „ Obtemperat Sermo, atque hoc modo cum Diogene congreditur. Ibi quum jam collocuturi essent, Diogenes pugionem, quem in sinu abditum gestabat, subito in latus „ Sermonis adigit, eumque interficit: famuli fuga elabuntur. „ Diogenes vicinis exercitibus contractis, valida cum manu „ ad Sirmium proficiscitur; Viduæque exterritæ magnis insuper pollicitationibus persuadet, ut se, Sirmiumque Imperatori traderet. Ea Byzantium missa, ibi primario cuidam „ civium matrimonio copulata est. Diogenes recens captæ „ ditioni præficitur „. Lupus Protospatha (*a*) in Chronico ad ann. 1024. *Croatiam* expugnatam a Basilio Bojoanne Catapano, quem *Bugianum* vocat, describens: „ Transfretavit „ (*inquit*) Bugianus in Curbathia, (*b*) & comprehendit „ ipsam Principissam uxorem Cosmici, (*c*) & direxit illam „ Constantinopolim „. Nimirum, [uti Cangius cap. v. Famil. Dalmat. num xi. auguratur] sermo est de Principissa, uxore Cresimiri, quæ Cresimiro mortuo, & Croatis defectionem a Constantini & Basilii Imperatorum subjectione molientibus, a Bojoanne ex Apulia, ubi Catapanus erat, transfretante, iisdem Chrobatis subjugatis, capta & Constantinopolim directa est. Videtur ergo *Stephanus*, Cresimiri & ejusdem Principissæ filius, ab iisdem Augustis in solio paterno circa eundem annum 1024. collocatus: cujus proinde initia cur ad annum 1050. apud Farlatum Tom. I. pag. 342. aut ad annum 1060. apud Lucium lib. 2. cap. I. & apud Bandurium Animadvers. in lib. de Admin. Imperio edit. Paris. pag. 93. conferantur, non video: nisi dicamus, eum ab anno 1024. ad 1060. in Regno vixisse.

XXIII. Slavizus Rex Chrobatiæ.

Slavizus Rex Chrobatiæ ann. circiter 1073. *Ex Tab. Capit. Spalatensis*. Farlat. p. 342. Slavizum Cresimiro secundo (leg. ter-

a Apud Murat. Tom. v. Rer. Ital. pag. 42.
b Hoc est, *Chrobatia*, seu *Croatia*. Cod. Andr. Duc. *Corbachia*, minus recte.
c Cod. Andr. Duc. *Cisigni*: male.

tertio) in Regnum Dalmatiæ & Chrobatiæ successisse post annum 1073., docet Tabula Capituli Spalatensis : *Attigit eo tempore venire in nostris partibus Slavizo Rex &c.* Sed breve admodum ejus Regnum fuit ; nam anno 1075. captum fuisse, ac Regno depulsum, colligi videtur posse ex Autographo Archivi Monialiom SS. Cosmæ & Damiani : „ In anno 1075. ab „ Incarn. D. N. J. C. mense Novembris, & tempestate, qua „ Comes Amicus Regem Croatiæ cepit &c. „ Eodem vero anno Regno potitum esse Zuinimirum, quem alii Zuonimirum vocant, seque ipse in suis Privilegiis Demetrium appellat, satis declarat alterum Autographum ejusdem Archivi. Præterea Zuinimirus in Synodo Dalmatica habita anno 1076. Regis nomen & insignia accepit a Legatis Gregorii VII. Pontificis maximi, idque in suo ipsemet diplomate perspicue testatur : „ In „ nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Anno Dom. In„ car. 1076. Indict. 14. mens. Octobr. Ego Demetrius, qui & „ Svinimir nuncupor, D. G. Croatiæ Dalmatiæque Dux, a „ Te Domino Gebizone, ex Apostolicæ Sedis Legatione D. N. „ PP. Gregorii potestatem obtinente, in Salonitana Basilica „ S. Petri, Synodali & concordi totius Cleri & populi electio„ ne, de Croatorum Dalmatinorumque Regni regimine per „ Vexillum, Ensem, Sceptrum, & Coronam investitus &c.

XXIV. Svinimir, seu Demetrius, Rex Chrobatiæ & Dalmatiæ ab anno 1075. ad 1087.

Svinimir seu Demetrius ab anno 1075. saltem usque ad annum 1082. Ex Autographo Cœnobii SS. Cosmæ & Damiani, & duplici diplomate ejusdem Svinimiri. Idem Farlatus pag. 342. Svinimirum regnasse usque ad annum 1087. docet ejusdem Privilegium eodem anno concessum *Ecclesiæ Monialium S. Mariæ de Jadra*. Demetrium seu Svinimirum, postremum Chrobatorum Regem fuisse scribit Archidiaconus ; sed post Svinimirum regnasse apud Chrobatos Stephanum hujus nominis secundum, sive is frater Svinimiri, sive aliunde genitus fuerit, aperte declarat diploma Stephani Regis, quo confirmat, & ratum haberi jubet quidquid prædiorum *Svinimirus nuper defunctus* Cœnobio Spalatensi Virginum ex instituto S. Benedicti large liberaliterque donaverat : „ In Christi „ nomine Stephanus ego nutu Dei Croatorum & Dalmatino„ rum Rex . . . Quum igitur omnipotentis Dei me . . Patrum, „ Avorum, Proavorumque solio in Regio, omnibus Croatiæ „ & Dal-

„ & Dalmatiæ nobilibus collaudantibus, exaltaverit ... Itaque Mater & Procuratrix Sanctimonialium Spalatini Cœnobii, sancti videlicet Benedicti ... unacum quibusdam suis sororibus, quoddam scriptum a nuper defuncto Svinimiro concessum sibi, hoc ad opus sui Cœnobii de quodam territorio Regali &c. „ Et quamvis huic diplomati nulla insit nota Chronologica, unde dignosci possit annus, quo datum fuerit, tamen quum mentio facta fuerit Svinimiri paulo ante defuncti, confectum fuerit oportet, postquam Svinimirus Regno ac vita decesserat. Hæc Farlatus: cui adde, quod in Catalogo Acutheano, Ponzoniano, & in Chron. Pontificali Salonitano, necnon apud Archidiaconum, *Cœnobium illud Monialium S. Benedicti*, cui Stephanus Rex Privilegium concessit, fundatum dicitur a Laurentio Archiepiscopo sive anno 1063. uti legitur in Ponzoniano, sive anno 1069. quemadmodum habet Chronicon Pontificale, ac proinde indubie constat, Stephanum Regem Svinimiro esse posteriorem: quidquid dicant scriptores Hungarici, qui ex errore satis communi existimant, Svinimirum sine liberis extinctum, fuisse postremum Chrobatiæ Regem; & Ladislaum Regem Hungariæ ab ejus sorore vidua Svinimiri evocatum fuisse in Chrobatiam, ut auxilio sibi & præsidio esset adversus quosdam Regni proceres, quorum insidiis divexari cœperat: ac proinde censent, Regnum Chrobatiæ ad Ladislaum, sive concessu sororis, sive jure affinitatis pervenisse. Verum, ut modo dicebam, satis constat, post Svinimirum regnasse apud Chrobatos Stephanum ex stirpe Regum Chrobatiæ, quemadmodum idem ipse in laudato suo diplomate se appellat.

XXV.
Stephanus II. postremus Rex Chrobatiæ & Dalmatiæ. Hungari post ejus obitum, Regnum Chrobatiæ obtinent, circa annum 1104.

Stephanus II. Rex Chrobatorum anno circiter 1090. Ex diplomate ejusdem Stephani. Is fuit postremus Regum Chrobatiæ; nisi huic alium, cui nomen *Petro* fuerit, ex Thurocio & Dandulo adjicere libeat, cui Colomanus Rex Hungariæ sæculo XII. ineunte vitam & Regnum eripuerit. Idem Farlat. pag. 342. Itaque post obitum Stephani, quum magnæ acerrimæque contentiones de Regno exortæ essent inter Proceres Primoresque Chrobatorum, ex his a quodam, ut tradit Archidiaconus, Uladislaus, sive Ladislavus Rex Hungariæ ad Chrobatiam occupandam adscitus fuit: qui cum exercitu Alpes trans-

transgressus, aliquot ejus regionis oppida cepit, maritimis urbibus locisque intactis; nam quum ei nunciatum esset Hungariam ab Scythis ferro & igni vastari, necesse habuit discedere, suasque omnes copias ac vires ad Regnum avitum tuendum, barbarosque propulsandos convertere ac reducere. Ladislavo intra finem undecimi sæculi rebus exemto, Colomanus successit, qui Chrobatici Regni potiundi stimulante cupidine, exercitum in Dalmatiam traduxit, & vi aut deditione Chrobatorum urbes in suam potestatem redegit sæculo XII. ineunte; insulis & plerisque maritimis locis in fide ac ditione Venetorum manentibus, qui deinde pro retinenda, vel recuperanda Dalmatiæ possessione, multa & gravia bella cum Hungaris gesserunt: quæ bella idem Farlatus pag. 225. fusius refert: ab anno scil. 1104. usque ad ann. 1433. quo anno (inquit) quum bellum acre & diuturnum Venetos inter & Sigismundum Hungariæ Regem fuisset, pax ita convenit, ut Dalmatia propemodum integra, quam præter Ragusium & alia quædam loca, Veneti recuperaverant, in eorum potestate permaneret.

Thomas Archidiac. *Regum* Chrobatiæ seriem interitu Svonimiri definit, propterea quod Stephanus breve admodum gessit imperium, quemadmodum Slavizum quoque Cresimiro & Svonimiro interjectum tacitus prætermiserat. Verba ejus accipe cap. 16. „ Ordinatus est Laurentius in Sede Salonitanæ Ecclesiæ „ anno Incarn. 1060. Temporibus Michaëlis Imp.: Regum vero Stephani, Cresimiri, & Svonimiri, qui fuit ultimus, „ Rex Chrobatorum „ . Et cap. 17. „ Eo namque tempore „ Rex Svonimirus mortis debitum solvit, nullumque suæ posteritatis hæredem reliquit. Sic ergo tota regalis sanguinis „ deficiente prosapia, non fuit ulterius qui in Regno Chroatorum rite succedere debuisset. Cœpit itaque inter omnes Regni proceres magna discordia suboriri. Et quum divisim modo hic, modo ille regnandi ambitione sibi terræ dominium „ vendicaret, innumerabiles rapinæ, prædationes, cædes, „ & omnium facinorum seminaria emerserunt: alter enim alterum insequi, invadere, trucidare non cessabat. Verùm „ his temporibus extitit quidam ex magnatibus Sclavoniæ, qui „ quum a suis esset contribulibus multis lacessitus injuriis, multisque damnis attritus, non sperans se posse aliter tantis re-

„ sistere malis, in Ungariam profectus est. Tunc ad Regem
„ Uladislaum ingressus, eum alloqui cœpit, persuadens ei,
„ ut ad capiendum Croatiæ Regnum & suo dominatui subju-
„ gandum exiret, dans ei plenam fiduciam, id facile posse
„ complere. His ergo Uladislaus Rex inductus consiliis, absque
„ mora coadunato exercitu copioso, venit, & occupavit to-
„ tam terram a Dravo fluvio usque ad Alpes, quæ dicuntur
„ Ferreæ, nullo obice resistente. Post hæc transivit Alpes, &
„ cœpit impugnare munitiones & castra, multaque prælia com-
„ mittere cum gentibus Chroatiæ. Sed quum alter alteri non
„ ferret auxilium, essentque divisi ab invicem, facilem victo-
„ riam Rex potuit obtinere; nec tamen usque ad maritimas re-
„ giones pervenit: Sed audiens, quod quædam gens sui Re-
„ gni fines intraverat, in Ungariam repedavit. Fuit autem
„ Rex iste non solum armis strenuus, sed religione & sancti-
„ tate insignis. Hujus temporibus gens Scythica, multitudi-
„ ne gravi intra Ungariæ fines irrumpens, magnas hominum
„ strages fecerunt. Sed Uladislaus Rex coacto in unum sui
„ Regni exercitu in hostiles turmas insiliit irruens, divino pro-
„ tectus auxilio, majorem partem barbaricæ nationis passim
„ per campos stravit in mortem, alios vero extra Regni con-
„ finia effugavit „. Geysa Hungariæ Rege VII. Kal. Maji an-
no Chr. 1077. viam universæ carnis ingresso, Sanctus La-
dislaus frater ejus communi omnium consensu, Regni gu-
bernacula suscepit, inquit Thuroczius in Chr. Hungar. cap. 57.
Obiit autem anno Dom. 1095. IV. Kalen. Aug. anno Regni
sui XIX. eique successit Colomanus, ut habet idem Thuroczius,
necnon Archidiaconus cap. 17. „ Denique Uladislao Rege mi-
„ grante ad Dominum, Colomanus sibi in Regno successit.

Antequam ad invasam a Colomano Dalmatiam & Croatiam progrediar, juverit ea summatim referre, quæ sub Regibus Croatiæ Cresimiro II. Stephano, Cresimiro III. Stephano II. & Regibus Hungariæ Andrea, Salomone, Geyza, & Ladislao contigere.

C A-

CAPUT III.

Res gestæ in Chrobatia & Dalmatia sub Regibus Cresimiro II. Stephano, Cresimiro III. Stephano II. & Regibus Hungariæ Andrea, Salomone, Geyza, & Ladislao.

I. Cresimiro II. & Stephano ejus filio in Chrobatia regnantibus, Andreas, Salomon, & Geyza Hungariæ præfuere.

CRESIMIRO Secundo, Dircislavi fratre, & Cresimiri majoris filio, Regnum Croatiæ obtinente; Petro autem Barbolano sive Centranico (*a*) Venetorum Duce: „ Andreas Hungariæ Rex (ut scribit Dandulus in Chron. edit. „ Murator. pag. 239.) Dalmatinos continue inquietans, ali„ quos tandem ad deditionem coëgit „. Idem Dandulus pag. 241. & 244. „ Stephano Cresimiri secundi filio Croatis „ regnante, & Dominico Contareno (*b*) Andreas Rex Hun„ gariæ per senectutem inunxit filium suum Salomonem, con„ sentiente Bela fratre Regis cum filiis suis. Salomon Rex „ Hungariæ terrestria loca Dalmatiæ inquietans, Jadratinos, „ qui promissam Ducis fidelitatem huc usque servaverant, ad „ rebellionem induxit. Postea itaque orta discordia inter Sa„ monem Regem, & fratres Geyza, (*c*) & Ladislaum, „ maximis Regnum conquassatur angustiis. Tunc iste Dux sui „ Ducatus anno secundo [*idest Chr.* 1044.] hostiliter egres„ sus, quibusdam incolis faventibus, Jadram recuperavit: „ Similiter ex Dalmatinis aliqui, Ducis præsentiam cognoscen„ tes, ad exhibendam subjectionem solitam accesserunt. Salo„ mon tandem Rex a fratribus expellitur [*anno* 1074.] Geyza „ autem regnavit. Tunc populus ille, qui (*d*) fidem reliquit, „ postea rediit. Hic constituit omnia fora fieri Sabbato, & By„ zantia currere fecit „. Verùm hæc (uti observat Farlatus „ Tom. 2. pag. 223.) neque cum Principatu Centranici, neque

Zz 2 „ cum

a Dux inauguratus anno 1026. captus & abrasus anno 1031. cum monachali veste Constantinopolim missus. Dandulus in Chron. pag. 239.

b Dominicus Contarenus anno 1043. Dux assumtus, obiit anno 1071. Dandulus pag. 242. 243. 244. 246.

c In Codd. Vaticanis semper *Zeycha*.

d Male in edit. Murator. *quasi*.

„ cum ſeptimo (*a*) Contareni Ducis anno congruere poſſunt.
„ Nam Petrus Centranicus anno quarto, quam imperare cœperat, Chriſti altero & trigeſimo ſupra milleſimum, ejectus
„ eſt in exilium: Andreas vero Hungariæ Regnum adeptus
„ eſt (*b*) anno 1043. Huic ſuffectus eſt Salomon an. 1063.
„ quum Dominicus Contarenus annum ageret vigeſimum a
„ ſuſcepto Principatu. Si quid igitur ſive Andreas, ſive Salomon moliti ſunt adverſus Dalmatas, neutrius res geſtæ
„ in Dalmatia vel cum ætate Centranici, vel cum ſeptimo
„ Contareni anno cohærent. Hujuſmodi Anachroniſmus haud
„ fefellit Sabellicum, qui propterea dubitat, Salomon ne
„ Rex, an aliquis è Regibus Chrobatorum Jadrenſes ad deditionem perpulerit; & antiquus Venetus Chronologus
„ apud Hiſtoricum Dalmatam Jadertinam defectionem confert in annum 1050., ex quo fit, ut eam attribui oporteat
„ Creſimiro II., cui etiam Petro nomen fuit, quique per ea
„ tempora Regnum in Chrobatis obtinebat: idque videtur
„ confirmari poſſe teſtimonio ipſius Creſimiri, qui dona &
„ prædia Cœnobio Jadertino Sancti Chryſogoni ab ſuis deceſſoribus collata confirmans, & novis inſuper augens muneribus ac beneficiis in Diplomate ad id confecto an. 1067.
„ hæc verba interpoſuit: *Igitur quia Deus Omnipotens terra,*
„ *marique noſtrum prolongavit Regnum, decrevimus & promto animo ſtabilivimus Monaſterium Sancti Chryſogoni &c.*
„ Quippe fines Chrobatici Regni tum ultra montes protenderat, tum vero ad mare, Jadera in poteſtatem redacta,
„ amplificaverat. Præterea nemo eſt ex antiquis rerum Hungaricarum Scriptoribus, qui tradiderit ante Ladiſlaum quem-
„ piam

a Dandulus tam in MSS. Cod. Vat. quam in Muratoriana Editione habet *anno ſecundo Contareni*, non anno ſeptimo, uti perperam ſcribit Farlatus, quamquam cum Farlato dicendum eſt, hæc Salomonis Hungariæ Regis geſta neque cum ſecundo Contareni anno convenire.

b Fallitur in hoc etiam Farlatus, dum Andreæ Regis initia ad annum 1043. confert. Non anno 1043. ſed 1046. is Regnum adeptus eſt. Vide Hermannum Contractum, & Pagium ad annum 1046. num. 7. Petrus S. Stephani Hungariæ Regis filius patri in Regnum ſucceſſit anno 1038. Ab Ovone tyranno pulſus anno 1042. defenſus ab Henrico Germaniæ Rege: demum ab Andrea conſanguineo Regno & oculis privatus fuit anno 1046. Andreas cum Henrico Imp. pace facta anno 1052. Invaſa a Bela Hungaria, uxorem & Salomonem filium ad Henricum Germaniæ Regem anno 1061. quum miſiſſet, obiit. Salomon ab Henrico in Regnum reſtitutus an. 1063. A Geiſa Regno anno 1074. pulſus eſt.

„ piam ex Hungariæ Regibus arma copiasque in Dalmatiam „ intulisse. Nam quod Joannes Thuroczius scripsit Par. 2. „ Chron. Hungar. Salomonem Hungariæ Regem cum exercitu venisse in Dalmatiam, rogatu Zvonimiri sive Zalomiri „ Chrobatiæ Regis, qui ejus opem auxiliumque ad recuperandam Marchiam nescio quam Dalmatiæ, sibi a Carinthis „ ademptam, supplex postulaverat, id enimvero ab recta „ Chronologia discrepat: neque enim Regnum Hungaricum „ Salomonis cum Regno Chrobatico Zvonimiri, temporum „ nexu colligari potest. Salomon enim a Geisa & Ladislao „ patruelibus acie victus, Regnum amisit (a) anno 1072. „ quum adhuc apud Chrobatos regnaret Cresimirus Petrus, „ qui usque ad annum 1073. vitam perduxit, ut ex Tabulis „ Dalmaticis ejus nomine signatis apparet. Huic suffectus est „ Slavizo, cujus Regnum brevissimum fuit; nec vero Zvonimirus ante annum 1075. Chrobatis præesse cœpit, & anno „ 1076. a Gebizone Gregorii VII. Legato Apostolico Regis „ titulum & insignia sumpsit. Itaque quum Dominicus Contarenus Rempublicam administrabat, non Salomon Rex „ Hungariæ, sed Cresimirus II. Rex Chrobatiæ Jaderam per „ deditionem Venetis eripuerat, quam idem Contarenus, „ ut traditum est in Annalibus Venetorum, terra marique „ obsessam captamque recuperavit.

II. Dabralius Archiepiscopus Salonitanus seu Spalatensis. Cur & quando a Spalatensis Ecclesiæ jurisdictione exemti Episcopi Antibarensis, Catharensis, Olchiniensis, & Svacensis, evecto in Archiepiscopum Antistite Antibarensi seu Dioeletano.

Eodem Cresimiro II. & Stephano Croatiæ Regibus, Dabralim & Joannem Archiepiscopos Salonitanos & Spalatenses vixisse, testatur Thomas Archidiaconus cap. 14. sic scribens: „ Mortuo denique Paulo Archiepiscopo, substitutus est Dabraldus Archiepiscopus anno Domini 1030. temporibus „ Principum prædictorum „ idest, Basilii, & Constantini Imperatorum Constantinopolitanorum, & Cresimiri eorum Patricii, & Regis Croatorum: uti supra dixerat in Paulo Dabralii decessore. Quod tamen a vera Chronologia abhorret quoad Imperatores Basilium & Constantinum: quorum primus exeunte anno 1025. alter mense Novembri anno 1028. quum decesserit, neuter ad initia Pontificatus Dabralii, qui anno

a Imo *anno* 1074. Vide Pagium ad ann. 1075. ann. XII. Proinde Salomonis Regnum cum Cresimiri Petri Regno congruit, non autem cum Zvonimiri Regno colligari potest; quum Zvonimirus non ante ann. 1075. Regnum inierit.

anno 1030. inauguratus dicitur, pervenit. Hinc Catalogus Romanus de Dabralii Pontificatu habet apud Farlat. Tom. 1. pag. 334. „ Dabralis Archiep. Spalatensis XXXI. Præfuit ab „ anno 1030. usque ad 1050. sedentibus (*a*) Joanne XX. „ Benedicto IX. Gregorio VI. Clemente II. Leone IX. Impe- „ rantibus (*b*) Michaële Paphlagone, Michaële Calephate, „ Constantino Monomacho: In Croatia regnante Stephano: „ Ducibus Venetorum (*c*) Petro Salomonio, Urso Urseolo „ qui & Patriarcha Gradensis, Dominico Flabanico, Domini- „ co Contareno „. Pergit Archidiaconus cap. 15. de rebus in Dalmatia gestis sub Dabralio Archiepiscopo. „ Factum est „ autem, ut illis diebus convocarentur omnes Suffraganei „ Dalmatiæ ad Provincialem Synodum, quæ celebranda erat „ in Ecclesia Spalatensi. Episcopis autem superioris Dalma- „ tiæ in usu est, quod commodius suum possent iter peragere, „ si omnes uno navilio ducerentur. Tunc præparata navi, „ ex condicto accesserunt ad portum: & imponentes quæ erant „ navigantibus necessaria, omnes fere Episcopi eamdem na- „ vem conscenderunt: videlicet, Catharensis, Antibarensis, „ Dolciensis, & Svacensis. Quum autem circa insulas ventis „ implerentur non multum adversis, ecce subito tempestatis „ turbo mediis fluctibus toto se fragore immersit „. Cetera, quæ ex eodem Archidiacono Farlatus sic narrat Tom. 1. pagin. 308. „ Intra finem decimi sæculi, vel ineunte undeci- „ mo

a Est Joan: XIX. dictus XX. qui sedit ab an. 1024. ad 1033. Post Clementem II. deest Damasus II. qui Sedem tenuit diebus XXIII.

b Desideratur Romanus Argyrus, qui imperavit ab anno exeunte 1028. usque ad Aprilem anni 1034.

c Dandulus lib. 9. cap. 3. Petrus Barbolano, sive Centranico, Dux decernitur Anno Dom. 1026. Hic expulso prædecessore præficitur. (Nimirum, expulso Othone Urseolo) Et part. 3. Denique a Ducis exordio elapsis annis 4., Venetorum Populus Ottonem reassumere statuit, & hunc (*Petrum scilicet*) captum & abrasum cum monachali veste Constantinopolim mittunt. Idem cap. 4. Ursus Urseolus Patriarcha, Ducatum tenuit ann. D. N. J. C. 1031. Et part. 2. Tunc hic, qui vices ejus (nimirum fratris sui Ottonis Urseoli) tenebat, finito anno 1. mensibus 2. relicta Ducali Sede ad suam rediit Ecclesiam. Cap. 5. Dominicus Urseolo Dux sedem invasit anno Dom. 1032. Cap. 6. Dominicus Flabanico Dux sancitur eodem anno: nam expulso prædecessore, qui auctores fuerant, reditum ejus timentes, hunc exulem Ducem collaudant, & redeuntem in sede collocant. Cap. 7. Dominicus Contarenus Dux assumptus est anno D. N. J. C. 1043. Et par. 22. Completis itaque in suo Ducatu annis 27. mensibus 9. dies suos feliciter terminavit &c. Cap. 8. Dominicus Sylvo Dux constituitur anno D. N. J. C. 1071. Cap. 9. Vitalis Phaledro anno 1084. Cap. 10. Vitalis Michael anno 1096. Cap. 11. Joannes Ordelaphi Phaledro ann. 1102.

,, mo, (*a*) Provincia Spalatensis, detractione quatuor Epi-
,, scopatuum ab regione Orientis diminui cœpit. Quum enim
,, Episcopi Antibarensis, Catharensis, Olchiniensis, & Sva-
,, censis ad Concilium Provinciale itinere maritimo Spalatum
,, profecti ex naufragio interiissent, civitates illæ missis Ro-
,, mam Legatis petierunt impetraruntque ab Romano Ponti-
,, fice, ut pars hæc Dalmatiæ, quæ ultra Ragusium ad Solem
,, Orientem vergit, cum quatuor illis Ecclesiis jurisdictioni
,, Metropolitæ Spalatensis eximeretur, ne videlicet earum
,, Episcopi, quibus vel ad Synodos celebrandas, vel aliis de
,, causis, sæpe ac necessario adeunda erat Metropolis Spala-
,, tensis, in hujusmodi pericula vitæque discrimen se commit-
,, terent. Itaque Pontifex jure ac titulo Archiepiscopi Anti-
,, stitem Antibarensem donavit, qui post Diocleam excisam,
,, urbem mediterraneam olim nobilem in primis atque opu-
,, lentam, inde dem Antibarim in urbem maritimam Sedem
,, Episcopalem transtulerat, eique tres illos Episcopos subesse
,, jussit, Catharensem, Olchiniensem, & Svacensem, quibus
,, alii atque alii adjecti sunt, quos Alexander II. in suis literis
,, anno 1062. datis ad Petrum Archiepiscopum Diocliensis
,, atque Antibarensis Ecclesiæ nominatim enumerat. Rem nar-
,, rat Archidiaconus Hist. Salon. cap. 15. Tunc Cives urbium
,, prædictarum missa relatione ad Summum Pontificem nun-
,, ciaverunt de naufragio Episcoporum suorum, suppliciter
,, postulantes eximi a subjectione Ecclesiæ Spalatensis, satis
,, probabilem prætendentes occasionem, quia periculosum
,, illis erat tam remotam Ecclesiam visitare. Quamobrem Ro-
,, manus Pontifex annuit petitioni eorum, omnesque Episco-
,, pos a Ragusio superius absolvit a vinculo, quo tenebantur
,, antiquæ Metropolitanæ, statuitque novam Metropolim in
,, civitate Antibarensi, & omnes Episcopatus prædictos ei
,, subjecit.

III. Salonitano seu Spalatensi Metropolitano subjecti Episcopatus enumerantur.

Hactenus ex Archidiacono Farlatus. ,, Pergit Archidia-
,, conus (*b*) cap. 15. Inferior vero Dalmatia habuit Episco-
,, patus suos more antiquo suæ Metropoli. Salonitanæ Eccle-
,, siæ

---

a Hoc factum post annum 1050. sub Dabralii Pontificatu: adeoque non intra finem decimi sæculi, sed medio fere sæculo undecimo.

b Cod. MSS. Vat. 7019. fol. 13. p. 2.

„ siæ subditos: videlicet, ab Apsarensi Episcopatu usque ad „ Traguriensem. Veglensis, Absorensis, & Arbensis Episcopatus habuerunt Parochias suas in Insulis suis. Sed Veglensis obtinebat majorem partem Parochiarum, quas (*a*) nunc „ habet Signiensis Ecclesia, quæ non erat tunc Episcopalis „ Sedes. Omnes enim civitates prædictæ ad Regnum Croatiæ pertinebant. Jadrensis Episcopatus non magnam habuit „ Parochiam propter vicinitatem Nonensis, & Belgradensis „ Episcopatuum. Quum autem Belgradensis civitas (*b*) destructa fuisset a Venetis, mutavit Sedem suam in Scardonam. Traguriensis Episcopatus, quia suæ Metropoli vicinior erat, majorem Diœcesim sortitus est, videlicet castrum Sebenicense cum tota sua ripa: protendebatur enim „ fere usque ad fluvium Cetinensem. Fuit etiam Episcopalis „ Sedes apud Mucharum, eratque sua Parochia a confinio „ Craynæ usque Stagnum. In Stagno nihilominus fuit Episcopatus, suaque Parochia erat in Comitatu Chulmiæ. Voluerunt etiam Croatorum Reges quasi specialem habendi „ Pontificem, petieruntque ab Archiepiscopo Spalatensi, & „ fecerunt Episcopum, qui Croatensis appellabatur, posueruntque Sedem ejus in Campo in Ecclesia Sanctæ Mariæ „ Virginis juxta castrum Tiniense. Hic multas obtinuit Parochias, habuitque prædia & possessiones per totum pene Regnum Croatiæ, quia Regalis erat Episcopus, & Regis Curiam sequebatur: eratque unus ex Principibus aulæ, & sua „ jurisdictio usque ad Dravum fluvium extendebatur. Ecclesia nempe Metropolitana has sibi voluit Parochias retinere: „ Comitatum Cetine, Clune, Clise, Massarum, Almisium, „ & Corbaviam, & ultra Alpes ferreas usque ad confinia Zagrabie totamque Maroniam „. Farlatus Tom. I. pag. 309. „ In Concilio Provinciali, quod Petrus XI. Archiepiscopus „ Spalatensis coëgit anno 1185. & Sedes Apostolica approbavit, definitæ sunt nominatim regiones, in quas Archiepi- „ scopus

---

a Scribebat Archidiaconus post annum 1266. uti constat ex cap. ult.

b Farlatus Tom. I. pag. 144. 2. „ Hic ubi fuit Blandona, aut hinc non longe, „ posterioribus ætatibus condita est civitas Bellegradum, sive Alba maris, quam a „ Venetis, quod infesta esset Jadertinis, eversam ferunt „. In textu Archidiaconi post ea verba, in Scardonam, subjungitur: „ Nota, quod Veneti destruxerunt Belgradum prope Jadram Civitatem.

„ ſcopus Spalatenſis juriſdictionem Epiſcopalem exerceret. „ Definivimus pari voto & communi voluntate eorumdem „ Suffraganeorum, ut Archiepiſcopus Spalatenſis has habeat „ Parochias: Cliſſam, Scalle, Zminam, Zetinam, totam „ Cleunam, totum Maſſarum, & totam Politiam uſque ad „ Vurullam,& ubicumque ſunt Terræ S. Domnii, debent dare „ decimam S. Domnio. Inſuper habeat has Eccleſias, S. Mar- „ tham, S. Petrum de Clobucho, S. Mariam, S. Stephanum, „ S. Moyſen, S. Bartholomæum „. Nunc vero ad jus Epiſco- „ pale Spalatenſis Eccleſiæ pertinent, Spalatum cum toto ter- „ ritorio ſuo, videlicet, inſula Soltæ, inſula Buæ uſque ad „ confines Tragurii: Salona olim civitas & Sedes Archiepi- „ ſcopalis, nunc vicus perexiguus cum territorio ſuo: oppi- „ dum Almiſii cum toto territorio ſuo uſque ad Paſſam Vurul- „ lam: caſtrum Cliſſri cum toto territorio ſuo: Comitatus „ Cetinæ: Comitatus Cleunæ: territorium Sminæ: Comitatus „ Politii: Comitatus Radobigliæ: Scopulus Sancti Andreæ „ de Pelago.

IV. Synodus Spalatenſis in cauſa Dabralii Archiepiſcopi.

Sed a Diœceſibus Dalmatiæ redeo ad Dabralium Archie- piſcopum. Archidiaconus loc. cit.. „ Hic quum eſſet potens „ & nobilis, nec foret aliquis auſus ipſius acta reprehendere, „ quidquid ſibi placebat, hoc licere putabat. Habebat nam- „ que mulierem & filios quaſi laicus: quos ſecum in Archie- „ piſcopali Palatio tenebat. Totum vero Epiſcopium nonniſi „ vagitibus parvulorum & ancillarum tumultibus erat plenum: „ negotiis quippe ſecularibus implicitus, modicum ſpiritualia „ procurabat. Quum autem tam enormis vita Pontificis Sum- „ mo fuiſſet Pontifici munciata, ſtatim miſit quemdam lega- „ tum, Joannem nomine, virum valde providum & diſcre- „ tum: qui ad partes illas accedens, congregata Synodo, „ inquiſitionem cœpit facere in capite & in membris. Et „ quum crimen Dabralis Archiepiſcopi eſſet notorium, cœpit „ ſe frivolis allegationibus excuſare: dicebat enim, prædi- „ ctam mulierem ſibi fore legitimam, quam ex conſuetudine „ (a) Orientalis Eccleſiæ ſecum poterat licite retinere. Sed

a Memoria Acutheana: in Catalogo Archiepiſcopor. Salonitanæ Eccleſiæ. „ LXXIII. Dabralis etiam iſte fuit Spalaren. & fuit depoſitus, quia habebat uxorem „ & filios in domo Archiepiſcopali „. Cod. Vat. 7019. fol. 75. Ibid. „ LXXIV. „ Joannes, & iſte fuit Spalat. & ædificavit Eccleſiam S. Felicis de Rivo.

„ Legatus excusationem Dabralis nullius fore momenti con- „ siderans, autoritate Apostolica sententialiter removit eum „ in perpetuum ab administratione Ecclesiæ Spalatensis.

De hac Spalatensi Synodo, in qua Dabralius Archiepiscopus ab omni Pontificio munere fuit amotus, intelligenda videntur bina illa Alexandri II. Papæ decreta, quæ Tom. XII. Concil. Labb. edit. Venet. pag. 109. recitantur. Primum nempe ex *Can.* 16. *dist.* 11. „ Episcopis & Regi (a) Dalma- „ tiarum. De Episcopo, Presbytero, Diacono feminam ac- „ cipientibus & retinentibus. Siquis amodo Episcopus, Pres- „ byter, Diaconus, feminam acceperit, vel acceptam reti- „ nuerit, proprio gradu decidat, usque ad satisfactionem, „ nec in Choro psallentium maneat, nec aliquam portionem „ de rebus Ecclesiasticis habeat „. Alterum ibid. *Iisdem* [Regi nimirum, & Episcopis Dalmatiarum,] *Ex Ivone par.* 4. *cap.* 139. „ De auctoritate Mainardi Episcopi, & Joannis Ar- „ chiepiscopi. Notificamus, omnia capitula, quæ per con- „ fratres nostros venerabiles, Mainardum scilicet collatera- „ lem Episcopum nostrum, & Joannem Archipræsulem no- „ strum, in Spalato, aliisque civitatibus sunt statuta, eadem „ in Romana Synodo seriatim ea referente, a beatæ me- „ moriæ prædecessore nostro Nicolao, Apostolica auctoritate, „ roborata, & sub anathematis interpositione roborata „. Nicolaus II. Romanam Synodum celebravit anno Chr. 1059. vide Tom. XII. Concil. Labb. edit. Venet. pag. 44. Adeoque Alexander II. innuit, eam Spalatensem Synodum, cujus Acta in Romano Concilio fuerunt a Nicolao Papa confirmata, factam vel eodem anno 1059. vel antecedenti. Ex quo consequitur, *Joannem*, & *Lampridium*, quibus ab anno 1040. ad 1059. undeviginti Pontificatus anni tribuuntur, vix biennio sedisse: nisi dicamus, Mainardum quidem & Joannem Episcopos Sedis Apostolicæ Legatos ante annum 1040. sententiam depositionis in Dabralium tulisse; eorum vero Decreta quum in dubium a nonnullis Dalmatinis [in gratiam scilicet Dabralii, viri

---

a Haud dubium, quin is fuerit Stephanus pater Cresimiri III. qui ut supra dixi, ab anno 1024. ad 1060. Regnum Croatiæ & Dalmatiæ tenuit: aut ipse Cresimirus, qui Stephano patri successus, ab anno 1060. ad 1073. regnavit.

viri nobilis ac potentis) revocata essent, in Romana tandem Synodo anno 1059. fuisse a Nicolao Pontifice roborata: dum interim Spalatensi Cathedræ Lampridius primum, deinde Joannes præfuissent. Sed hunc ego nodum Farlato viro Dalmaticarum rerum peritissimo solvendum relinquo.

V. Lampridius, Joannes & Laurentius Archiepiscopi Spalatenses.

Archidiaconus narrata Dabralii dejectione subjungit: „ Denique post Dabralem fuit quidam Joannes Archiepiscopus „ Spalatensis. Ipse ædificavit Ecclesiam S. Felicis super ri- „ vum. Et quum præ senectute iam factus esset inutilis, ces- „ sit ab onere Pastorali, & in eadem Ecclesia non longo tem- „ pore degens, ibidem mortis debitum solvit „. Catalogus Romanus, Dabrali & Joanni interjicit Lampridium, sic: „ Lam- „ pridius Archiep. Spalaten. XXXII. Joannes IX. Archiep. „ Spalaten. XXXIII. Præfuit ab anno 1050., usque ad ann. „ 1059. Sedentibus (*a*) Victore II. Stephano IX. Nico- „ lao II. Imperantibus in oriente Constantino Monomacho, „ Theodora, Michaële VI. Regnante in Croatia Cresimi- „ ro III. Duce Venetorum Dominico Contareno. „ De Lam- „ pridio hæc habet Farlatus Tom. I. pag. 341. „ Hunc a cæ- „ teris Catalogis prætermissum fuisse, docet membrana anti- „ qua Cœnobii Spalatensis Virginum S. Raynerii titulo insi- „ gnis: quam vide in notis ad Catalogum (*b*) Acutheanum „ sub Dabrali Archiepiscopo. Is autem quum Ecclesiæ Spala- „ tensi præfuisse anno 1040. dicatur in eadem membrana, „ annos amplius decem Dabrali, ob ejus depravatos mores

a Addere debuerat, in Catalogo quidem Romanor. Pontificum, *Leonem IX.* qui obiit anno 1054. XIII. Kal. Maji. In Imperatorum autem, post Michaëlem VI. seu Stratioticum, *Isaacum Comnenum*, quo abdicante & in Monasterium secedente anno 1059. *Constantinus Ducas* in Imperio Constantinopolitano successit.

b Farlat. Tom. I. pag. 325. „ Drabali Catalogus Romanus Lampridium ab re- „ liquis prætermissum subnexuit. Historicus Dalmata Lampridium inter Martinum „ & Drabalem collocavit, hac nota ad hunc locum Catalogi Acutheani apposita: „ Lampridium quemdam fuisse Archiepiscopum Spalati, testatur Membrana antiqua „ Monasterii Monialium S. Raynerii, cujus initium tale. In nomine S. & individuæ „ Trinitatis. Anno quoque Dom. Incar. MXL. per Ind. I. Regnante D. N. perpe- „ tuo ac piissimo Aug Michaële magno Imp. Residente videlicet Lampredius Archiep. „ unacum Nikiforio Priore &c. Hujus tamen Lampredii nulla mentio apud Ar- „ chidiaconum, vel alium scriptorem reperitur, qui inter Martinum num. 72. & „ Drabalem 73. ponendus est „. Hæc Historicus Dalmata. Videtur, ejecto Drabale, hic Lampridius auctoritate Apostolica suffectus, vicaria veluti potestate Ecclesiam Spalatensem usque ad ejusdem Drabalis obitum administrasse.

„ auctoritate Apostolica Episcopali regimine amoto, detrahas, „ & Lampridio (*a*) attribuas oportet.

In locum Joannis, sponte cedentis, electus est Archiepiscopus Laurentius, de quo hæc Catalogus Romanus: „ Laurentius I. Archiep. Spalaten. XXXIV. Præfuit ab anno 1059. „ usque ad ann. 1099. Sedentibus Nicolao II. Alexandro II. „ Gregorio VII. Victore III. Urbano II. Paschale II. Imperantibus in oriente Constantino Duca, Romano Diogene, „ Michaële Paripanace, Nicephoro Botoniate, Alexio I. „ Comneno: Regnantibus in Croatia Cresimiro III. Slavizzo, „ Svinimiro, & Stephano II. Ducibus Venetorum Dominico „ Contareno, Dominico Silvio, Vitali Falerio, Vitali Michaële I. „ Catalogus Acutheanus: „ Laurentius sedit annis XL. Iste tempore suo fecit Monasterium S. Benedicti, „ & fecit candelabra magna argentea, & multa alia bona. „ Obiit VIII. die mense Julio, tumulatus in Capella S. Matthæi in Tumulo superiori „ Catalogus Ponzonianus apud Farlat. Tom. I. pag. 328. „ Laurentius an. 1060. Fundavit Monasterium S. Benedicti anno 1063. Huic concessit Privilegium Zvonimer Rex Croatiæ anno 1067.

Archidiaconus cap. 16. de promotione Laurentii Archiepiscopi. „ Ea tempestate quidam Apostolicæ Sedis Legatus „ ad Ecclesiam Spalatensem accedens, Provincialem Synodum (*b*) congregavit. Ubi quum omnes Spalatensis Metropolis Episcopi convenissent, antequam dimitteretur „ Concilium, tractatum est de electione Metropolitani, quia „ Spalatensis Ecclesia tunc vacabat. Et factum est divina gra- „ tia

a Cave, hunc Lamprium Spalatensem confundas cum Lampridio Jadertino, de quo hæc Farlatus Tom. I. pag. 308. Sæculo XII. provincia Spalatensis ab occasu fines suos contraxit, quum Lampridius Episcopus Jadertinus, concessu & auctoritate Anastasii IV. Pontificis maximi (qui sedit ab ann. 1153. ad 1154.) titulum Archiepiscopalem sumpsit, tresque insulares Episcopatus a Metropoli Spalatensi avulsos, Arbensem, Absarensem, & Vegliensem, in suam ditionem ac potestatem recepit anno ejusdem sæculi quinquagesimo quarto.

b Nicolaus II. postquam anno 1059. Sutriense primum, deinde Romanum Concilium habuisset, quorum Tom. XII. Concil. Labb. edit. Venet. pag. 44. fit mentio, ut ejusdem Romani Concilii decreta in Dalmatia promulgarentur, Legatum Apostolicum misit, qui teste Archidiacono Synodum Provincialem celebravit, in qua Laurentius Archiepiscopus est electus. Hæc Synodus addenda est laudato Conciliorum Tomo post Beneventanam mense Aug. anni 1059. celebratam pag. 53. Eandem Synodum videtur indicare Alexander II. in suis *ad Episcopos & Regem Dalmatiarum literis*, de quibus supra dixi in Dabralio Archiepiscopo.

„ tia inſpirante, ut omnium mentes & vota in perſonam Ven. „ Viri Laurentii Apſarenſis Epiſcopi, qui cum ceteris Suffra- „ ganeis ad Synodum venerat, concordarent, ipſum in Pa- „ trem & Archiepiſcopum unanimiter proclamantes. Miſſa „ ergo relatione ad Romanam Curiam, Poſtulationem de „ ipſo factam Domino Papæ præſentarunt. Et quia teſtimo- „ nium habebat bonum ab omnibus, facile admiſſa eſt petitio „ eorum. Deditque ei Summus Pontifex licentiam tranſeun- „ di, mittens ei Pallium dignitatis cum confirmatione privi- „ legiorum Metropolicæ dignitatis. Fuit autem Laurentius „ iſte Dalmatinus origine, ſtatura quidem puſillus, ſed ſapien- „ tia magnus „. Res ejus geſtas ex eodem Archidiacono po- ſtea referam: qui de anno electionis ſic ſcribit: „ Ordinatus „ eſt in Sede Salonitanæ Eccleſiæ Anno Incarn. 1060. Tempo- „ ribus Michaelis Imperatoris: Regum vero Stephani, Creſi- „ miri, & Svonimiri, qui fuit ultimus Rex Croatorum „. Ubi Archidiaconus dum Stephanum, Creſimirum, & Svoni- mirum Reges nominat, non de anno electionis Laurentii lo- quitur, ſed tempus Sedis ejus deſignat: nam Laurentium ab anno 1060. uſque ad annum circiter 1099. ſediſſe, idem Ar- chidiaconus affirmat, inquiens: *Præſuit autem Laurentius Sa- lonitanæ Metropoli annis circiter quadraginta*: quo quidem temporis intervallo regnabant in Croatia, uti ſupra dixi, *Ste- phanus* uſque ad ann. 1060. *Creſimirus III.* ad annum 1073. *Slavizus* ad ann. 1075. *Svonimirus* ad annum 1090. *Stepha- nus II.* uſque ad ann. circit. 1097. quo Colomanus Hungariæ Rex traducto in Dalmatiam exercitu, Chrobatiam omnem imperio ſuo vel armis vel deditione adjunxit.

VI. Duæ in Regno Dalmatiæ & Croatiæ olim Metropoles, Salonitana & Antibarenſis. Literæ Alexandri II. Papæ ad Petrum Dioclenſem & Antibarenſem Archiep. Quænam Diœceſes ſub Salonitano & quænam ſub Antibarenſi Archiepiſcopo.

Stephano igitur defuncto, dum Creſimirus III. ejus filius Croatiam teneret, [verba hæc ſunt Pagii ad annum 1062. num. VI.] „ duæ erant in Regno Dalmatiæ & Croatiæ Metro- „ poles, ut oſtendit Lucius in lib. 2. de Regno Dalmatiæ „ & Croat. cap. 2. & ſeqq. ante annum milleſimum inſtitutæ, „ nempe *Salonitana*, quæ *Spalatum* jamdiu translata fuerat, „ cujus Suffraganei erant in Dalmatia Epiſcopi Abſarenſis, Be- „ glenſis, Arbenſis, Jadrenſis, Tragurienſis, & (*a*) Ragu- „ ſinus,

a Quandonam Raguſina Eccleſia Metropoliticis juribus aucta ſit, vide me Tom. I. a pag. 345.

„ ſinus, in Croatia vero Nonenſis, Belgradenſis, & Tinienſis. „ Altera Metropolis *Diocletana* primum appellata, ſed Dio- „ clea deſtructa, Sedes *Antibarim* translata, ubi quum Me- „ tropolita reſideret, Antibarenſis ſæpius vocabatur „. Id factum poſt annum 1030. ex Archidiacono cap. 15. ſupra obſervavi, quando ſcilicet inſtituta Metropolis *Antibarenſis*, eique tres Epiſcopatus ſubjecti, *Catharenſis*, *Olchinienſis*, & *Suacenſis*, quibus alii atque alii poſtea adjecti ſunt, quos Alexander II. Papa in ſuis literis anno 1062. datis Romæ xv. Kalen. April. Ind. xv. anno Pontificatus Alexandri PP. II. ad *Petrum Archiepiſcopum Dioclenſis atque Antibarenſis Eccleſiæ*, nominatim enumerat, Concil. Labb. edit. Venet. Tom. XII. pag. 74. his verbis: „ Apoſtolica auctoritate decernimus, ut „ per hujus Privilegii noſtri paginam ſic ſanctiſſimam *Dioclen*- „ *ſem* Eccleſiam cum omnibus ſuis pertinentiis, *Antibarenſem* „ Eccleſiam cum omnibus ſuis pertinentiis, *Ecaterenſem* Ec- „ cleſiam cum omnibus ſuis pertinentiis, *Palechienſem* (*a*) Ec- „ cleſiam cum omnibus ſuis pertinentiis, *Svatinenſem* Eccleſiam „ cum omnibus ſuis pertinentiis, *Scodrienſem* Eccleſiam cum „ omnibus ſuis pertinentiis, *Drivaſtinenſem* Eccleſiam cum „ omnibus ſuis pertinentiis, *Polatinenſem* Eccleſiam cum „ omnibus ſuis pertinentiis, *Serbienſem* Eccleſiam cum ſuis „ pertinentiis, *Boſonienſem* (*b*) Eccleſiam cum ſuis perti- „ nentiis, *Tribunienſem* Eccleſiam cum ſuis pertinentiis. „ Monaſteria quoque tam Latinorum, quam Græcorum, ſive „ Slavorum cures: ut ſcias, & hæc omnia unam Eccleſiam „ eſſe, teque omnibus prædictis locis Epiſcopali regimine præ- „ eſſe „. In iiſdem literis Alexander Pontifex ſubjungit „ „ Pallium autem Fraternitati tuæ ex more ad Miſſarum ſole- „ mnia celebranda, ſicut Anteceſſoribus tuis conceſſum eſt, „ concedimus. *Et poſt pauca*. Crux etiam ante Te, ſicut ante „ prædeceſsores tuos, per Dalmatiam & Slavoniam ubique „ geratur: Archiepiſcopatum quoque Eccleſiæ tuæ juxta for- „ mam

---

a pag. 346. ad pag. 356. nimirum circa ann. 1145. quo & Jaderenſis Antiſtes Pallium ab Eugenio III. obtinuit.

a Leg. *Olchinienſem*. Tam hanc, quam *Catarenſem* omittit Quienus Tom. 2. Orient. Chriſtian. pag. 278.

b Perperam apud Quien. in Oriente Chriſtiano Tom. 2. pag. 278. pro *Boſonienſem*, legitur, *Budumenſem*: & pro Tribunien. *Tibunienſem*.

„ mam sanctorum prædecessorum nostrorum, a quorum auto-
„ ritate non debes aberrare, concedimus & confirmamus „.
Ex quibus verbis intelligitur, primo quidem, Archiepiscopatum Antibarensem non anno 1062. [uti perperam asserunt Viri cæteroqui doctissimi Baronius, Pagius & Quienus] sed dudum antea, fuisse institutum: undecimo nempe sæculo ineunte: id enim sibi volunt ea verba „ sicut antecessoribus tuis concessum est, ita & Tibi concedimus „ Deinde eidem Metropolitano subjectos fuisse non modo Episcopos *Catarensem*, *Olchiniensem*, *Scodrensem*, *Drivastinensem*, *Polatinensem*, *&* *Tribuniensem*; sed etiam *Serbiensem*, & *Bosoniensem*: adeoque *Serviam*, & *Bosniam* olim ad Metropolim *Diocleensem & Antibarensem* pertinuisse. Quienus, vir cæteroquin acutissimus, literarum Alexandri Papæ sensum videtur non intellexisse, dum Tom. 1. Orient. Christ. pag. 279. de Ecclesia *Dioclea* & *Antibaris* sic scribit: „ His in literis hoc observatione dignum
„ in primis apparet, quod quum Petro Ecclesiam Diocleæ &
„ Antibaris assignet cum omnibus pertinentiis earum, alias
„ quoque novem addit cum pertinentiis perinde ipsarum,
„ necnon Monasteria, ex quibus Ecclesia una confletur, ipse-
„ que in omnibus illis prædictis locis Episcopali, non Metro-
„ politico dumtaxat regimine præsit, adeoque ipse tot Se-
„ dium unus tum Metropolita, tum Episcopus sit renunciatus.
Verum titulus ipse epistolæ Alexandri Papæ, perspicuum facit, eas Episcopales Ecclesias ibi enumeratas non jure Episcopali, sed Metropolitico subjectas esse Antibarensi Metropolitanæ. Sic enim habet, Tom. XII. Concil. Labb. pag. 74. „ Alexan-
„ der servus servorum Dei, Petro Ven. Archiepiscopo Dio-
„ cliensis atque Antibarensis Ecclesiæ, salutem perpetuam in
„ Christo „. Pallium quoque eidem Petro transmissum, & Crux per Dalmatiam & Slavoniam ante eundem ubique deferenda, necnon cura Monasteriorum tam Latinorum, quam Græcorum & Slavorum ipsi commissa, demonstrant Archiepiscopalem ejus dignitatem in Ecclesiis quidem Diocletana & Antibarensi affixam esse; potestatem vero uti ad Monasteria, ita ad Episcopatus ejus provinciæ extensam. Neque obstant ea verba „ ut scias hæc omnia unam Ecclesiam esse, teque omni-
„ bus prædictis locis Episcopali regimine præesse „: Formula enim

enim hæc eſt in antiquis Romanorum Pontificum Literis uſurpata ad ſignificandum Provinciam Metropolitanam, in qua Diœceſes omnes Epiſcopales tamquam una ſub Eccleſia, videlicet Metropolitana, contineantur: quemadmodum editores hujus Alexandrinæ Epiſtolæ ad marginem ſic notant: *nonnulla emendavimus ex epiſtola* 11. *Leonis VII. ex qua multa in hanc tranſcripta ſunt*.

VII. Geſta Laurentii Salonitani Archiepiſcopi. Adam Pariſienſis. Jo: Epiſc. Traguricnſis.

Sedente in Spalatenſi Cathedra Laurentio, enituere in eandem Eccleſiam non modo Regum & Principum Slavoniæ benefacta, ſed ipſius etiam Archiepiſcopi. Archidiaconus cit. cap. 16. „ Cœpit ergo ſua vigilanti induſtria [Laurentius] „ Eccleſiam in temporalibus & ſpiritualibus ſublevare, per „ totam provinciam prædicando diſcurrere: & ſicut bonus Paſtor, ſuper gregis ſui cuſtodia, tota ſollicitudine inſiſtere. „ Et quia talis erat vir, in magna reverentia habebatur a Regibus & Principibus Sclavoniæ, tribuebantque Eccleſiæ „ S.Domnii villas & prædia multa, facientes confirmationes & „ privilegia ſuper novis collationibus & antiquis. Ipſe autem „ Ven. Laurentius non ſibi, aut carnalibus erat proximis intentus acquirere, ſed omnia ad proprietatem Eccleſiæ aſcribebat: tantum enim ſtudioſus extitit ad ampliandum atque „ decorandum Eccleſiæ theſaurum, ut quemdam proprium „ ſervum in Antiochiam ad diſcenda fabrilia opera auri & argenti dirigeret: qui quum jam bene inſtructus rediſſet, fecit venerandus Pontifex excudi ab ipſo candelabra magna „ de argento, & alia candelabra manualia. Fecit etiam urceum magnum & alium parvum, & ciminile manicatum: „ calicem, & capſam, uncum paſtoralem, & crucem, & alia „ quædam: quæ omnia perfecit opere Sculptorio, artis ingenio Antiochenæ. His temporibus Adam (*a*) quidam Pariſienſis optime in artibus elimatus, pergendo Athenas ad „ Græcorum ſtudia, devenit Spalatum: & quum fuiſſet a Laurentio Antiſtite honorifice ſuſceptus, rogatus eſt ab eodem, „ ut Paſſiones Beatorum martyrum Domnii & Anaſtaſii, quæ „ inculto fuerant antiquitus ſermone conſcriptæ, luculenta „ face-

a De hoc Adamo vide Geſnerum in Biblioth. pag. 6. ubi hæc habet: „ Adamus „ de S. Victore, Pariſienſis: ſcripſit ſequentias Rithmicas de tempore, & ſanctis, de „ quibus Jodocus Clichtoveus in Elucidario Eccleſiaſtico.

„ faceret compositione nitere. Quod ille gratanti corde consentit: Sumptoque themate a veteribus historiis, Legendas „ utriusque Martyris lepido satis dictamine innovavit. Hymnos etiam composuit, & quidquid de B. Domnio musice „ canitur, metrico sermone conscripsit. Per idem tempus „ vacante Ecclesia Traguriensi, electus est quidam Joannes, „ natione Italicus, & præsentatus Laurentio Archiepiscopo, „ munus ab eo Consecrationis accepit. Hic præ cæteris Episcopis apud Laurentium majori dilectionis & familiaritatis „ prærogativa gaudebat, quia erat vir literatus & bonus. Pro „ amore siquidem cælestis patriæ, cuncta carnis blandimenta „ contemnens, asperrimam vitam ducebat. Et sicut asserunt, „ ad tantam virtutum gratiam excrevit, ut quædam in eo sanctitatis insignia eniterent. Unde & in vita, & post mortem, in magna veneratione habitus est a civibus suis.

VIII. Demetrius Zuonimirus coronatus Rex Croatiæ & Dalmatiæ a Gebizone Legato S. Gregorii Papæ VII. Idem Rex in Synodo Nonensi quasdam Ecclesias restituit Cathedrali Spalatensi.

Hoc ipsum de Laurentio ex Archidiacono exscribit *auctor Chronici Pontificalis Salonitani & Spalatensis* apud Farlatum Tom. I. pag. 349. „ Additque ex eodem Archidiacono, „ eum floruisse tempore (*a*) Michaëlis Imp. Constantinopolitani, sub Regibus Stephano, Cresimiro, & Demetrio Suonimiro, qui unctus & coronatus in Regem Croatiæ & Dalmatiæ in Salona a Gebizone Apocrisario Domini Papæ Gregorii VII. anno 1076., ut in Registris dicti Gregorii & in „ Chronica Capit. Spalat. legitur (*b*) cap. 24. qui & fuit ultimus Croatorum Rex „. Synodum quoque memorat, sub eodem Laurentio Archiepiscopo celebratam: „ Tempore „ etiam hujus Laurentii celebrata fuit Synodus in civitate Nonensi, sub Joanne Cardinale Apostolicæ Sedis Legato, „ ubi proclamationem faciente Laurentio Archiepiscopo, illustris vir Demetrius cognomento Zuonimir Rex Croatorum, restituit Ecclesiæ S. Domnii Ecclesias S. Stephani de „ Pinis, & S. Mariæ in Salona, cum omnibus eorum bonis.

a Non solius Michaëlis, sed aliorum etiam Imperatorum, quorum nomina in Catalogo Romano recensentur.

b Farlatus pag. 353. „ Hæc narrat Archidiaconus cap. XIV. non 24. Itaque nisi „ hæc nota arithmetica mendo subsit, Chronica illa Capituli Spalatensis diversa est „ ab Historia Archidiaconi „. Non diversa est historia; sed diversæ sunt unius ejusdemque historiæ divisiones: quum Archidiaconus historiam suam in capitula non diviserit, sed titulos apposuerit absque capitum enumeratione.

„ Has ſiquidem Eccleſias ædificavit (a) Helena Regina, donans eas Spalatinæ Sedi jure perpetuo poſſidendas, quæ ob „ reverentiam regalium ſepulcrorum conceſſæ fuerant quibuſdam Regularibus ad tempus, qui aſſidue in eis officiorum miniſteria exercebant: ibi namque magnificus vir Creſimirus Rex, in atrio videlicet Baſilicæ S. Stephani, tumulatus eſt (b) ſecundum Chronicam cap. 22. „ Hæc totidem verbis leguntur apud Archidiaconum cap. 16. ex quibus intelligitur, Hiſtoriam Archidiaconi, quæ in Cod. Vat. 7019. in capita 52. dividitur, in aliis exemplaribus aliter fuiſſe diviſam.

IX. Synodus Spalatenſis ſub Joanne Salonitano Laurentii deceſſore, & Maynardo Sedis Apoſtolicæ legato: in qua interdictus Slavicæ linguæ in divinis celebrandis uſus. Narratio de Wulfo Presbytero, & Cededa Pſeudo Epiſcopo: & quomodo in altera Spalatina Synodo ſub Joanne S.A.L. damnati ſunt.

Verum mirari ſubit, Auctorem Chronici Pontificalis, quum diſertam hujus ſecundæ Synodi mentionem feciſſet, de alia antecedente Synodo ſiluiſſe, quæ & longe celebrior fuit, & in qua de rebus gravioris momenti agitata quæſtio. Archidiaconi verba recitare juverit. „ Temporibus Domini Laurentii (*inquit cap. 16.*) Archiepiſcopi, quædam execrandi „ Schiſmatis fuit ſuborta contentio in Dalmatiæ & Chorvatiæ „ Regno. Fuerat ſiquidem tempore Domini Alexandri Papæ „ & Joannis Deceſſoris Laurentii ſupradicti, a domino Maynardo quondam Pompoſiano Abbate & poſtea Epiſcopo Cardinali, quædam Synodus omnium Prælatorum Dalmatiæ & Chroatiæ multum ſolemniter celebrata, in qua multa fuerunt conſcripta capitula: inter quæ ſiquidem hoc firmatum & ſtatutum, ut nullus de cetero in lingua Sclavonica præſumeret „ divina myſteria celebrare, niſi tantum in Latina & Græca, „ nec aliquis ejuſdem linguæ promoveretur ad ſacros. Dicebant enim, Gothicas literas a quodam Methodio hæretico „ fuiſſe repertas, qui multa contra Catholicæ fidei normam „ in eadem Sclavonica lingua mανendo conſcripſit. Quamobrem divino judicio repentina morte fuiſſet damnatus. Denique quum hoc ſtatutum Synodali fuiſſet ſententia promulgatum, & Apoſtolica auctoritate firmatum; omnes Sacerdotes Sclavorum magno ſunt mœrore confecti: omnes quippe eorum Eccleſiæ clauſæ fuerunt: ipſi a conſuetis officiis ſiluerunt. Factum eſt autem, ut quidam Sacerdos advena, „ Wulfus

a Archid. cap. 16. *Quædam Helena Regina*.
b Archid. poſt, *tumulatus eſt*, addit: *cum pluribus aliis Regibus & Reginis*.

„ Wulfus nomine, ad Chroatiæ partes accederet, speciem pie-
„ tatis vultu præferens, sed venenum suæ fallaciæ corde pre-
„ mens. Abiit ergo susurrando per populum, simulans se a
„ Summo Pontifice destinatum: Et quasi eorum infirmitati
„ compatiens, consilium se eis dare utile promittebat, di-
„ cens: Scitote, quod Dominus meus Pontifex Summus mul-
„ tum condoluit, audiendo, quia Ecclesiæ vobis clausæ sunt,
„ vestrisque Sacerdotibus divina officia interdicta. Nunc ergo
„ ad Dominum meum Legationem dirigite, scientes, quia
„ quidquid volueritis, poteritis obtinere. Congregatis siqui-
„ dem senioribus, ac celebrato consilio, eundem Wulfum Pre-
„ sbyterum cum suis munusculis Romam mittunt. Mox Pre-
„ sbyter arrepto itinere, Romam venit, munuscula Chroato-
„ rum cum eorum petitionibus ad pedes Domini Papæ detu-
„ lit, eumque suppliciter rogavit, ut statum Ecclesiarum &
„ Clericorum in Regno Sclavonico in morem pristinum revo-
„ caret. Tunc Summus Pontifex ei respondit, quia non erat
„ justum,ut contra Statuta LegatorumApostolicæ Sedis aliquid
„ facili consilio ageretur. Tu autem receptis nostris apicibus
„ ad Archiepiscopum & Regem, & ad cæteros Prælatos illius
„ provinciæ perfer, ut duo Episcopi pro his negotiis ad Nos
„ accedant, quia utpote te ignotum super his exaudire mini-
„ me possimus. Malignus ergo Presbyter Papalia scripta non
„ quibus missa erant detulit, sed ad Gothos, qui eum mise-
„ rant, reverti ocius properavit. Tunc percontantibus eum,
„ quid de suis petitionibus apud Sedem Apostolicam actum es-
„ set, respondit dicens: Ecce per Dei gratiam quidquid
„ voluistis, a Domino Papa impetravi: nam Ecclesiæ ve-
„ stræ apertæ sunt, Sacerdotibus vestris officia restituta
„ sunt: insuper etiam hoc vobis obtinui, ut de gente vestra
„ vobis Pontificem eligatis, mecumque ad eundem Papam
„ cum aliquibus muneribus consecrandum mittatis. Quod au-
„ dientes Gothi, multum læti effecti sunt, & illico quemdam
„ Senem rudem, nomine Ceddedam, Episcopum elegerunt,
„ eumque cum quodam Abbate, Potepa nomine, & cum
„ ipso Vulfo Presbytero totius magistro nequitiæ, Romam
„ properanter miserunt. Qui quum ante præsentiam Summi
„ Pontificis accessissent, percontatus est eos ipse, quinam es-

 „ sent.

„ ſent. Nefandus Presbyter reſpondit: Ex Dalmatiæ partibus ſumus, veſtraque poteſt reminiſci Paternitas, me dudum ad veſtram acceſſiſſe benevolentiam: Et iſtis ad pedes Veſtræ Sanctitatis venire placuit, ut genti ſuæ, ſicut omnibus, gratiam faciatis: nimirum & iſte nobiliſſimus Gothorum vir ad hoc venit, ut per vos plenius inſtitutus, veritatis normam valeat liberius prædicare. Et rurſus Dominus Papa: quo honore, inquit, fungitur? Reſponſum eſt: quia dudum in ſua litera Presbyter fuerit. Ad hæc Papa: & cur barbam radere ſecundum Catholicæ Eccleſiæ morem renuit? Sceleratus Presbyter inquit: Ideo, Domine, ad veſtram venit præſentiam, ut amodo veſtram faciat obedientiam. Illico autem venerandus Pontifex propria manu paucos pilos de barba illius præcidit; & mox aſtantibus, ut eum Eccleſiaſtico more raderent, juſſit. Ad Presbyterum vero ait: Non ego juſſeram tibi hos viros, ſed Pontifices pro tanto negotio ad me vocare. Presbyter ad hæc: Voluere, inquit, Domine, ſed minime potuerunt. Igitur Dominus Papa conſilio habito taliter eis reſpondit: Scitote, Filii, quia hæc, quæ petere Gothi ſtudent, ſæpenumero audiſſe me recolo: Sed propter Arianos inventores literaturæ hujuſmodi, dare eis licentiam in ſua lingua tractare divina, ſicut prædeceſſores mei, ſic & ego nullatenus audeo. Nunc vero euntes, gentem illam obſervare facite omnia, quæ a Ven. Fratre noſtro Maynardo Sanctæ Rufinæ Epiſcopo Cardinali Synodaliter ſtatuta ſunt, quoadufque Legati noſtri illinc accedant. His auditis, ab aſpectu Domini Papæ ſeſe gradu concito ſubmoverunt, ad ſuam provinciam regredi properantes. Tunc Ceddeda Vulſum Presbyterum requiſivit, dicens: Dic mihi, quid utilitatis nobis contulit Domini Papæ adeſſe præſentiam? Cui Vulſus reſpondit: Quod ardenti animo deſideraſti, me laborante adeptus es. Ad hæc Ceddeda: Quid, inquit? Vulſus dixit: Quia te Papa Pontificem ordinavit. Ceddeda ait: Quomodo? Vulſus reſpondit: Tantæ poteſtatis eſt Dominus Papa, ut cuicumque aliquos pilos de barba manu ſua dempſerit, continuo Epiſcopus fiat. Hoc audiens fatuus Senex, magno repletus eſt gaudio. Et mox Virgam Paſtoralem comparavit, & Anu-

„ lum.

„ lum. Denique ingredientibus eis fines Chroatiæ, compatriotæ audito eorum adventu, læti obviaverunt suo Pontifici, eumque cum magno tripudio susceperunt. Et quia non Pastor verus erat, sed lupus rapax sub ovina pelle latebat, nimium a suis erat fructibus cognoscendus. Etenim primo impetu Veglensem Episcopum cum omni celeritate de sua sede fugavit, eamque sibi quasi auctoritate Apostolica usurpavit. Tunc, proh pudor! fantasticus Pontifex cœpit in consecrandis Ecclesiis, in ordinandis Clericis, & aliis Episcopalibus ministeriis exercendis, divina officia profanare. Sed omnipotentis virtus non diu passa est fraudem diabolicæ ludificationis animas decipere infelices. Statim namque quum hæc impia gesta Summi fuissent Pontificis auribus intimata, gravi mœrore confectus, absque omni mora quemdam Legatum Joannem Cardinalem mittere festinavit, ad extirpandum nefandi Schismatis fomitem de partibus Sclavoniæ. Itaque Cardinalis ad illas pates adveniens, multitudinem populi & Cleri coadunari jussit, ipsumque Pseudo Episcopum coram suis Gothis de tantæ temeritatis nequitia durissime increpavit, denuncians omnibus, quia nullum sacri mysterii ordinem a Summo Pontifice datum ei fuisset. Quam ob rem ipsum Ceddedam, & Potepam cum suis sequacibus perpetui anathematis mucrone a fidelium communione deturbavit. Vulfum vero tanti sceleris inventorem, tantique satorem erroris, usque Spalatum adduci jussit: ubi congregata Synodo, eundem iniquum Presbyterum ab omni ordine Clericali deposuit: multisque affectum verberibus, attonso capite, adusta stigmate fronte, sicut Papa jusserat, perpetuo carcere detrudi fecit. Sed quum malesanus Ceddeda ab incepta temeritate nullatenus resipisceret, multaque scandali materia propter ipsum in toto Regno fuisset exorta, præceptum est a Summo Pontifice, ut tam in Romana, quam in Spalatina Ecclesia, & per cunctam provinciam, solemnis anathematis ratio fieret super eum. Quod quum Romæ bis, & in Spalatina Synodo tribus vicibus factum fuisset, ecce repente divina ultio in ipsum manifestata est. Nam quum nihil languoris, nihilque doloris in corpore pateretur, secessum petiit ex consueta necessitate naturæ; ibique subitaneo dolore cor-

„ reptus,

„ reptus, evulsis a corpore visceribus, omnia intestina in secessum effudit. Et sic homo impius Arianam imitatus perfidiam, „ justo Dei judicio, ignominiosa Arii morte damnatus est. His „ ita gestis, Dominus Alexander Papa de hac luce migravit. „ Cui substitutus est Dominus Gregorius Septimus „. Proinde quæ hactenus ab Archidiacono narrata sunt, contigerint, oportet, saltem ante mensem Majum anni Christi 1073. nam Alexander II. Papa exiit e vita anno 1073. XI. Kal. Majas, & die sequenti ejusdem anni Gregorius Septimus in ejus locum Summus Pontifex est inauguratus.

X. Animadversiones in Archidiaconi narratiunculam de utraque Spalatensi Synodo in causa Slavorum. Et primum, de Maynardo S. A. Legato.

Verum in hac narratione sunt multa, quæ a veritate abhorrent. Nam primo dicitur „ Maynardus ex Abbate Pomposiano „ Episcopus Cardinalis Synodum illam, in qua usus Slavicæ „ linguæ in divinis officiis interdictus sit, celebrasse tempore „ Alexandri Papæ, & Joannis decessoris Laurentii Archie„ piscopi „. Atqui tam Catalogi a Farlato laudati, quam Archidiaconus Spalatensis, asserunt, Laurentium non ante annum Christi 1060. ad Spalatensem Cathedram assumtum; Joannem vero ejus decessorem ab anno 1050. ad 1059. Episcopatum gessisse. Non igitur ætas Joannis Archiepiscopi cum Alexandro Papa conjungi potuit, quum Alexander, non ante Kal. Octobris anni 1061. ad Romanam Cathedram evectus sit. Quid? quod Maynardus (a) sive Presbyter primo Cardinalis a Leone IX., teste Panvinio; deinde, ex Ciaconio, Episcopus Sylvæ Candidæ ab Alexandro II.; sive, ut alii scribunt, ex Monacho & Abbate Pomposiano ab Alexandro Episcopus Cardinalis creatus, non tamen in Episcopali dignitate constitutus, sed simplex Monachus & Abbas Stephani IX. Papæ legatione functus perhibetur apud Oldoinum Tom. I. pag. 803. in hæc verba: „ Stephanus IX. quem alii X. nominant, cum „ Desiderio montis Casini Abbate Legatum Constantinopolim „ misit: at audita Pontificis morte in itinere, Beneventum „ cum sociis petiit, indeque Senas „. Confirmat Leo Ostiensis in Chron. Casin. lib. 3. cap. 9. sic scribens de Stephano Papa, qui antea Fridericus Abbas Casinensis fuerat, & Pontifex factus, Casinensem præfecturam sibi retinuerat: „ Et quoniam „ dum

---

a Vide Ciacon. in vit. Pontif. ex Addit. Oldoini Tom. I. pag. 802. num. XVI. ubi tamen pro *Pomposiano Abbate*, perperam dicitur *Monachus Casinas*.

„ dum ipse [*Stephanus Papa*] adviveret, nulli se mortalium
„ eandem Abbatiam traditurum decreverat; Desiderium ve-
„ ro ad Costantinopolitanum Imperatorem jam dudum Ro-
„ manæ Sedis Apocrisiarium facere dispofuerat, constituit,
„ ut si idem Desiderius, se superstite, reverteretur, ipse illi
„ vellet Abbatiam contradere; si vero ante illius reversio-
„ nem defunctus fuisset, redeuntem illum absque aliqua con-
„ tradictione in Abbatem congregatio universa reciperet.
„ Stephanum itaque Cardinalem, & Mainardum, postmo-
„ dum Silvæ Candidæ Episcopum, illi [*Desiderio*] socios iti-
„ neris donans, & in epistolis, quas Imperatori mandabat,
„ Casinensis Abbatiæ illum electum commemorans, emisit a
„ se, præcipiens, ut, expleta Legatione, reverti quam posset
„ citius festinaret „. Prosequitur enarrans, quomodo tres isti Pontificii Legati ob temporis intemperiem apud Barim morari coacti, ipso Palmarum Dominico die anni 1058. nuncios a Casinensibus directos acceperint de Stephani Papæ obitu: reversique ipso Paschali sabbato ad civitatem S. Germani, Dominica sequente „ Capitulum Fratrum ingressi, præsidentibus
„ Humberto Sanctæ Rufinæ, & Petro Tusculanensi Episcopis,
„ & Stephano Cardinali, ac Mainardo Desiderii Sociis, eun-
„ dem Desiderium in Sede Abbatis honorifice locaverint, uni-
„ versis tum pro solemnitate Paschali, tum pro ipsius ordina-
„ tione, immensa lætitia & jucunditate repletis, Anno sci-
„ licet Dom. Incarn. 1058. „ Nondum igitur Mainardus usque ad annum 1058. Cardinalitiam dignitatem obtinuerat, multoque minus Episcopus S. Rufinæ seu Silvæ Candidæ fuerat, [vivente nempe adhuc Humberto ejus Ecclesiæ Episcopo] neque etiam Legatione ad Dalmatas functus fuerat. Ac proinde falluntur Panvinius & Oldoinus, dum Maynardum a Stephano Papa creatum Presbyterum Cardinalem affirmant. Porro in Additionibus ad Ciaconium Tom. 1. pag. 794. Humbertus Silvæ Candidæ Episcopus, Maynardi decessor, perhibetur *ad superos translatus tertio nonas Maji aliquot menses post Alexandri II. obitum*: idest post annum 1073. Sed auctor earum Additionum sibi ipse repugnat, dum pag. 803. de Maynardo Humberti proximo successore scribit: „ Sub Alexan-
„ dro II. S. R. E. Bibliothecarii & Vicecancellarii munus
„ exer-

,, exercuit . Unacum Joanne Presbytero Cardinali , juſſu ,, ejuſdem Pontificis, Legationem ſubiit ad Mediolanenſes, ,, ut diſſenſiones, quæ Simoniacorum opera Eccleſiam illam ,, devaſtabant, penitus exſtirparet. Leges Mediolanenſibus ,, ad bene vivendum præſcripſit, eaſdemque manu propria ,, firmavit : plenus meritis fato conceſſit ſub eodem Ale- ,, xandro II. Maynardi cum laude meminit Leo Oſtienſis : ejuſ- ,, demque mentionem faciunt liber MSS. Bibliothecæ Vati- ,, canæ, & Diplomata Alexandri II. Eccleſiarum Florentinæ ,, & Piſanæ, in quorum uno, dato Alexandri juſſu ad Ge- ,, rardum Piſanæ Eccleſiæ Canonicum, hæc in fine legimus : ,, ,, Datum Lucæ per manus Maynardi S. Eccleſiæ Sylvæ Can- ,, didæ Cardinalis, Apoſtolicæ Sedis Bibliothecarii, Anno Dom. Incarn. MLXIII. Arnulphus hiſtor. Mediolan. lib. 3. cap. 19. diſertam mentionem facit Maynardi ab Alexandro II. ad Mediolanenſes ablegati: Sic enim habet apud Murat. Tom. 4. Script. Rer. Ital. pag. 31. ,, Ad quod ſedandum litigium contigit tunc temporis Maginardum (a) Epiſcopum Sylvæ ,, Candidæ , & Minutum (b) Cardinalem Presbyterum, ,, Romanos Legatos veniſſe Mediolanum. Qui dum Apoſto- ,, lico præcepto pacem evangelizarent omnibus , conſulte ,, ſatis provident de nece Arialdi fœdus componere: deinde ,, inter Clerum judicantes & Populum, eleganti ſcripto con- ,, ſtituunt, quid fieri debeat in poſterum ,, . His poſtremis verbis deſignantur Conſtitutiones, quas Maynardus & Minutus Legati Sedis Apoſtolicæ Mediolanenſibus obſervandas præſcripſere . Eas idem Muratorius Tom. cit. pag. 32. ex Harduini Collectione exhibet. Sic autem incipiunt : ,, In no- ,, mine Sanctæ & individuæ Trinitatis . Anno ab Incarn. ,, D. N. J. C. MLXVII. Pontificatus vero Domini Alexandri II. ,, Papæ ſexto, Indict. v. die 1. Menſis Auguſti. Actum feli- ,, citer Mediolani . Quum conſtet fratres chariſſimi &c. *Sub-* ,, *ſcriptio in fine*. Ego Mainardus Dei gratia Sylvæ Candidæ ,, dictæ Epiſcopus, Apoſtolicæ Sedis Legatus, huic Conſti- ,, tutionis paginæ a me factæ ſubſcripſi. Ego Joannes S. R. E. ,, Car-

a Al. *Mainardum*.

b Inter Cardinales ab Alex. II. cooptatos num. IX. eſt *Joannes Minutus Preſb, Card. S. Mariæ Trans-Tyberim*. Ciacon. Tom. 1. pag. 839.

„ Cardinalis Presbyter, atque ejusdem Legatus, huic Con„ stitutioni subscripsi „ : In Bullis (*a*) Nicolai II. Ecclesiarum Pisanæ & Florentinæ subscriptus legitur „ Maynardus, „ Monachus Casinas, vice Humberti Sanctæ Ecclesiæ Sylvæ „ Candidæ Episcopi & Apostolicæ Sedis Bibliothecarii „ . Idem Maynardus (*b*) „ Sanctæ Ecclesiæ Sylvę Candidæ Episcopus & Apostolicæ Sedis Bibliothecarius Anno Alexan„ dri II. Papæ secundo „ . Ex quibus constat, Humbertum quidem ante annum secundum Alexandri II. obiisse; Maynardum autem non ante eundem annum ad Episcopatum Sylvæ Candidæ promotum fuisse. De ejus igitur ad Dalmatas Legatione quamquam nemo, præter Archidiaconum Spalatensem, mentionem faciat, ex ipsius tamen Legationis Actis colligitur, eam non tempore Joannis Archiepiscopi, sed Laurentii ejus successoris contigisse, idque [ut videtur] postquam Maynardus Mediolanensi Legatione perfunctus fuisset: idest post annum 1067. & ante annum 1073. Scio, a nonnullis Legationem Apostolicam Maynardi ad ann. Chr. 1062. figi. Verum allata a nobis argumenta invicte, ut opinor, ostendunt, eam non ante annum 1067. fuisse peractam.

XI. Slavicæ literæ a Gothicis prorsus diversæ.

Atque hic, ut supra dixi, primus est Archidiaconi error, dum Maynardum Episcopum Sylvæ Candidæ scribit sub Joanne Archiepiscopo Legationem Alexandri II. ad Dalmatas obiisse. Alter ejusdem error est, dum Slavicas literas cum Gothicis confundit, gentemque Slavorum Gothicam vocat. Quis enim nescit, Gothos a Slavis diversos fuisse, Gothicasque literas non alias esse ac Theotiscas antiquas? Slavi tamen Dalmatæ, Illyriique Neoterici (*c*) communi errore Gothos pro Slavis accipiunt, Slavicamque linguam, quæ nunc apud ipsos in usu est, eandem esse volunt, ac Gothicam. Quo errore nihil turpius excogitari potest.

XII. Sanctus Methodius per summam inju-

Tertius, idemque gravissimus error, quum de Metho-

 dio,

a Ciacon. Tom. 1. pag. 830.
b Idem Tom. 1. pag. 846.
c In hunc errorem turpiter impingit F. Sebastianus Delci a Ragusio Ord. Minor. in libello de Illyricæ linguæ vetustate & amplitudine nuper impresso Venetiis apud Franciscum Storti anno 1754. qui unam eandemque gentem facit Slavos, ac *Gothos*, *Vandalos*, & *Hunnos*: Gothis etiam *Illyricam* seu *Slavonicam* fuisse linguam, persuadere conatur.

riam Arianismi accusatus.

dio, Sanctissimo viro, Slavorumque Apostolo, quem Sancta Romana Ecclesia veneratur, sic scribit: „ Dicebant enim, „ Gothicas literas a quodam Methodio hæretico fuisse repertas, qui multa contra Catholicæ fidei normam in eadem „ Slavonica lingua manendo conscripsit. Quamobrem divino „ judicio repentina morte fuisset damnatus „. Quis Slavus, sive Latini sive Græci Ritus homo ad hanc Sancto Methodio impactam calumniam non exhorrescat? Quis etiam credat, Alexandrum II. Papam, rogatum a Croatis, ut Slavonicæ linguæ usum in divinis officiis sibi permitteret, Præsulemque ejusdem linguæ daret, respondisse: „ Scitote, filii, quia hæc quæ „ petere Gothi student, sæpenumero audisse me recolo; sed „ propter Arianos inventores literaturæ hujusmodi, dare eis „ licentiam in sua lingua tractare divina, sicut Prædecessores „ mei, sic & ego nullatenus audeo „. Anne quicquam potuit Alexandro Papæ tribui ineptius, quam ut Slavos cum Arianis Gothis confunderet, inuentasque a Wulphila Gothicas literas easdem esse assereret, ac Slavonicas, quarum Cyrillus auctor fuit? Nonne Joannes VIII. Papa post diligentem inquisitionem, Methodii doctrinam ab errore immunem probaverat, eique usum Slavici Sermonis in Liturgia divinisque Officiis concesserat? Nonne idem Joannes Papa non Methodium, sed Cyrillum Slavicarum literarum inventorem disertim affirmarat? Quid vero Gothis commune est cum Slavis? Quid Vulphilæ Gothicarum literarum inventori cum Cyrillo Slavicarum? Quid denique Gothis Arianis cum Slavis orthodoxis? Ac præsertim Dalmatis & Croatis? Anne Presbyteri Slavi in Dalmatia & Croatia, jam inde ab anno 997. sub Venetorum ditione constituti, reputandi sunt in rebus divinis fuisse adeo ignari, ut pro Episcopali consecratione sufficere existimarent, quod Romanus Pontifex aliquos pilos de barba electi manu sua demeret: quemadmodum auctor istius fabulæ de Ceddeda fatuo sene & Vulfo vaferrimo Presbytero comminiscitur? Aut qui fieri potest, ut Ceddeda tam crassæ ignorantiæ accusetur, qui postea dicitur Ecclesias consecrasse, Clericos ordinasse, & alia Episcopalia Ministeria exercuisse?

XIII. Quid sentiendum de Synodo illa Spalatensi?

Itaque a primo ad ultimum, in hac Archidiaconi narratione cæteroquin fabulosissima, illud unum veritate niti existimo,

mo, missum nempe ab Alexandro II. Papa Episcopum Maynardum ad corrigendos Dalmatiæ & Croatiæ abusus, in Synodo Spalatensi decretum illud inter cætera capitula edidisse, ut nullus de cætero in lingua Slavonica præsumeret divina officia celebrare, nisi tantum in Latina & Græca: Latini scilicet in Latina, & Græci in Græca: Ab hoc decreto appellasse eos, qui Slavonice celebrabant, perque legatos adiisse Romanum Pontificem, eumque rogasse, ut statum Ecclesiarum & Clericorum in Regno Slavonico juxta morem pristinum esse permitteret. Pontifice id recusante, reversos Legatos, dictitasse mendaciter Slavis suis, quidquid petierant, a Domino Papa se impetrasse, & Ceddedam quemdam, amoto Veglensi legitimo Episcopo Latino, in illam Diœcesim intrusisse. Quo audito, missum ab eodem Pontifice alterum Legatum Joannem Cardinalem, a quo Ceddeda depositus sit, & Veglensis ille Episcopus in suam sedem repositus. Id quippe tam in Spalatina, quam in Veglensi Diœcesi pronum erat a Legato Pontificio executioni demandari: quum im Venetorum ditione [uti supra ex Dandulo ad ann. 997. narratum est] eæ regiones essent. Secus in mediterraneis locis, ubi Reges Croatiæ dominabantur. Hinc factum est, ut non obstante Spalatensi Synodo, Slavi Episcopi, Presbyteri, & Clerici a patrio sermone ad Latinum admittendum induci nequiverint. Quidquid secus de Slavis illis refertur, a Dalmatis Latinæ linguæ cultoribus confictum esse crediderim.

XIV. Quid Card. Bona sentiat de Slavicæ linguæ usu, deque illa Spalatensi Synodo?

Eminentissimus Bona Rer. Liturgicar. lib. I. cap. IX. *De variis Ritibus Ecclesiæ Orientalis* §. IV. *Quæ gentes lingua Illyrica Missas agant*, postquam (*a*) ,, Roxolanos seu Mo- ,, sco-

a Asserit Card. Bona. ,, Roxolanos seu Moscovitas, Episcopi Græci & Schis- ,, matici prædicatione a cultu Idolorum ad Christi fidem conversos fuisse ,,. Hoc manifeste falsum. Ab Episcopo Græco Orthodoxo Russi fidem Christi acceperunt, non a Schismatico: uti supra ostensum est: & ostendit Pagius ad ann. 987. num. 9. & Papebrochius in Præfat. ad Ephemerides Græco-Moschas Tom. I Maji num. XI. In hunc errorem Cardinalem Bonam fortasse induxit Ant. Possevinus, qui in suo de Rebus Moscoviticis ad Religionem spectantibus Commentario existimavit, Russos a Græcis Schismaticis Christianam fidem accepisse. Alter, sed veniabilis est error Cardinalis Bonæ, qui sermonem, quo Russi Moscovitæ sacra celebrant, *Illyricum* vocat. Slavonicus is est, non Illyricus. Ab iis tamen Illyriis, qui eodem sermone utuntur, dictus est Illyricus, sicuti a Russis dici potest Russicus, a Moscovitis Moscoviticus, a Bohemis, Polonis, Moravis &c. Moravicus, Polonicus, Bohemicus &c.

„ ſcovitas, eoſque qui circa Tauricam Cherſoneſem, apud „ Circaſſos, & quaſdam Ponticas nationes, itemque in Ser- „ via, Myſia, Boſnia, Bulgaria, Ruſſia minori Regi Poloniæ „ ſubjecta, in Volhinia, Podolia, & parte quadam Lithuaniæ, „ & in aliis finitimis regionibus, Græcorum ritus accepiſſe & „ adhuc retinere ſermone Illyrico „ hæc memoraſſet de Slavis Dalmatiæ & Croatiæ ſubjicit: „ In Iſtria vero, in Li- „ burnia, & in Dalmatia litorali, Miſſa & alia Officia, lingua „ quoque Sclavonica celebrantur, ſed Ritus Romanus eſt. „ Cœpit autem hæc lingua in ſacris Eccleſiæ functionibus au- „ diri ſæculo nono, quo Moſcovitas Chriſtianæ Religioni no- „ men dediſſe ſub imperio Baſilii Macedonis oſtendit Baro- „ nius in Append. Tom. VII. de Ruthenis a Sede Apoſtolica „ receptis: licet alii id ſerius contigiſſe putent prope finem „ ſæculi decimi, imperantibus Baſilio juniore & Conſtantino. „ Eodem ſæculo nono S. Methodius Moraviæ Apoſtolus vi- „ xit, qui literis Sclavonicis a Conſtantino quodam Philoſo- „ pho repertis eam gentem inſtruxit, Deique laudes decan- „ tare docuit: tum Joan. VIII. Romanus Pontifex epiſt. 247. „ ad Sfentopulcrum Moraviæ Comitem ſcripta anno 880. „ Miſſas in ea Provincia, lingua Sclavonica cantari permiſit, „ dummodo Evangelium prius Latine, deinde Sclavonice le- „ geretur. Narrat Thomas (*a*) Archidiacomus Spalatenſis „ in hiſtoria Epiſcoporum Salonitanorum edita a Joanne Lu- „ cio cap. 16. tempore Alexandri II. a Legato Apoſtolicæ Se- „ dis coactam Synodum omnium Prælatorum Dalmatiæ & „ Croatiæ, in qua ſtatutum eſt, ne quis de cætero in lingua „ Sclavonica præſumeret Divina myſteria celebrare, niſi tan- „ tum in Latina & Græca. Idem ſtatuit Gregorius VII. Ale- „ xandri Succeſſor lib. 7. Epiſt. 11. ad Uratislaum Bohemiæ „ Ducem ſic ſcribens „ Quia nobilitas tua poſtulavit, quod „ ſecundum Sclavonicam linguam apud vos divinum celebra- „ ri annueremus Officium; ſcias, nos huic petitioni tuæ ne- „ quaquam poſſe favere „. *Et paulo poſt*: „ Unde ne id „ fiat,

a Hoc ipſum ex Archid. exſcribit de Marca lib. v. de Concord. Sacerd. & Imper. cap. 47. num. 7. his verbis: „ Alexandri II. Pontificatu quum Sclavi maxime „ cuperent fieri ſibi poteſtatem Divina celebrandi in lingua Slavonica, quod prohi- „ bitum in Synodo fuerat a Maynardo Sedis Apoſtolicæ Legato, idem Alexander ne- „ gavit, jubens interim, ut decreta Maynardi ſervarentur.

„ fiat, auctoritate B. Petri inhibemus, Teque ad honorem „ omnipotentis Dei, huic vanæ temeritati viribus totis resi- „ stere præcipimus „ In provinciis tamen supra nominatis du- „ dum recepta consuetudo prævaluit.

XV. Bohemis & Polonis, non Dalmatis & Illyriis interdictus Slavo-latinus ritus.

Hæc Cardinalis Bona: cujus tamen postrema verba, nimirum, *in Provinciis supra nominatis dudum recepta consuetudo prævaluit*, intelligenda sunt, non quidem *de Bohemis*, de quibus mentio præcesserat, sed de *Russis Moschis*, deque Christianis „ in Taurica Chersoneso, in Circassia, in Servia, „ Mysia, Bosnia, Valachia, Bulgaria, Russia minore, Vol- „ hinia, Podolia, Lithuania, nec non in Istria, Dalmatia, Li- „ burnia & Croatia „. Nam *Bohemis* (teste Cosma Pragensi) præceperat Joannes XIII. Papa usque ab anno 967. (dum Episcopum eis concessit) ut Episcopum eligerent, „ Non secun- „ dum ritus aut sectam Bulgaricæ gentis, vel Russiæ, aut Scla- „ vonicæ linguæ; sed magis sequentem constituta & decreta „ Apostolica, Latinis apprime literis eruditum „. Quamobrem tam Bohemis, quam Polonis, qui statim post susceptam Christianam Fidem, acceptosque a Sede Apostolica Latinos Episcopos, Latinum ritum sermonemque in sacris celebrandis amplexi fuerant, Apostolica Sedes semper denegavit Slavicæ linguæ usum. Secus Slavis in Dalmatia & Croatia habitantibus, qui concessum Moravis à Joanne VIII. Papa usque ab anno 880. privilegium, Missas scilicet & divina Officia sermone Sclavonico celebrandi, non obstante laudato Spalatinæ Synodi Decreto, ad hanc diem retinuere: de his enim, Dalmatis nempe & Croatis, concludit Card. Bona: *In Provinciis supra nominatis dudum recepta consuetudo prævaluit*.

XVI. Cardinalis Hosii sententia de usu linguę Vernaculę.

Placet hic verba doctissimi Card. Stanislai Hosii, Varmiensis Episcopi, ex (*a*) Dialogo *De sacro Vernacule legendo*, recitare. Ex his enim constat, quomodo, quum Vernaculæ linguæ, idest Sclavonicæ, usus Polonis & Bohemis sit interdictus, ex concessione tamen Romanorum Pontificum, apud Dalmatas & Croatos, Latini ritus homines, non secus atque

a „ Dialogus, de eo, num calicem laicis, & uxores Sacerdotibus permitti, ac „ Divina Officia vulgari lingua peragi fas sit. Auctore Stanislao Hosio, Episcopo „ Varmiensi „. E Typographia Sebastiani Mayer, anno 1558. Idem opus inter alia Hosii scripta, Tom. I. pag. 644. Coloniæ apud Maternum Cholinum an. 1584. ubi Dialogus iste de Sacro Vernacule legendo incipit pag. 661.

atque apud Russos aliosque Græci ritus, usque ad ipsius Hosii ætatem viguerit. In eo igitur Dialogo *Arator* objicienti sibi verba Pauli (*a*) Apostoli *Harpago*, sic respondet: „ Deinde „ vero qua nos aliqua precandi formula magis uti fas est, nisi „ quam nobis Christus ipse præscripsit, quæ propter hanc „ etiam causam Oratio Dominica vocatur? Habemus eam in „ linguam Vernaculam conversam. Quam multos autem in- „ veniri putas, qui vel tertium illius verbum, saltem ad lite- „ ram, intelligant? Certe ex imperita multitudine vix cen- „ tesimum quemque, ut interim de sensu taceam, quem ne „ ii quidem assequuntur omnes, qui sibi cati præ cæteris esse „ videntur. Apud Russos neque Græcæ, neque Latinæ lin- „ guæ in sacris usus est. Numquid autem quæ pronunciat Sa- „ cerdos, è populo quivis intelligit? Pleraque ne Sacerdo- „ tes quidem ipsi: nemo tamen apud eos quiritatur, Officia „ divina, lingua non intellecta, decantari. Sexcenti jam & „ amplius anni intercesserunt, quum Cyrullus & (*b*) Metho- „ dius a Sede Apostolica impetrarunt, ut eis rem divinam fa- „ cientibus, lingua Sclavorum uti liceret. Ac ne nunc quidem „ fortasse desunt, qui meminisse queant, etiam in Templo „ S. Crucis, quod est in Clepardia, Sclavorum lingua Sacerdo- „ tes sacris operantes usos fuisse: sed verisimile est, quod plu- „ res fuerint, qui Latinam, quam qui Sclavorum linguam intel- „ ligerent. Itaque cum ob eam rem, tum aliis ex causis fa- „ ctum est, ut ea lingua, rem divinam facientes, uti desinerent. „ Constat autem in Moravorum gratiam id potissimum impe- „ trasse Cyrullum & Methodium, quod ea gens ipsis autho- „ ribus in Christum credere cœpisset. Sed nec apud Mora- „ vos, quorum tamen lingua propius ad Sclavorum dialecton „ accedit, nec apud nos diu mos ille duravit, quod plus ad- „ ferre detrimenti, quam emolumenti visus est. Quamobrem „ & apud Moravos etiam illos, qui Catholicæ sunt Commu- „ nionis, eadem, qua apud nos, hoc est, Latina, lingua, „ rem divinam facientes, utuntur „. Cur apud Polonos in

a 1. Cor. 14. ut Vernacula cujusque gentis potius, quam peregrina lingua precationes in Templis fiant.

b Solus Methodius id impetravit: Cyrillo fratre dudum mortuo, uti alibi ostensum est.

in templo S. Crucis in Clepardia, & apud Moravos mos ille Slavonico Sermone in divinis utendi non duraverit, non ea videtur fuiſſe cauſa, quam Hoſius affert, *Quod ſcil. plus adferre detrimenti, quam emolumenti viſus eſſet*: alioquin etiam apud Dalmatas & Croatos, imo apud Ruſſos quoque mos ille abrogatus fuiſset; neque Latinæ linguæ Slavonica literalis in Clepardia poſtpoſita fuiſset, quum plures ibi eſſent, qui Polonicum vulgarem Sermonem, quam qui Latinum intelligerent: non ea igitur videtur fuiſſe cauſa; ſed quia a Romano Pontifice, iis in locis, nonniſi Latinæ linguæ homines ad Sacerdotium & Epiſcopatum promoveri juſsi fuerint: & quia poſt extinctum Moravorum Regnum, Duces Bohemiæ, ubi Latinam linguam in rebus divinis Epiſcopi & Sacerdotes uſurpabant, Moraviam obtinentes, eundem illuc morem invexerunt: id quod perſpicue apparet ex Epiſcoporum (*a*) Olomucenſium ſerie, quando (ut ſcribit Coſmas Pragenſis) „ Severus, ſextus Pragenſis Epiſcopus, qui fere omni tempore ſui Præſulatus ſine aliqua refragatione & ſine omni contradictione, Bohemiæ & Moraviæ quaſi unum & individuum Epiſcopium rexerat, rexiſset etiam uſque ad vitæ finem, niſi poſt obitum Spingei (*b*) nimia devictus efflagitatione Wratislai Ducis, conſenſiſset promoveri Joannem Epiſcopum in Moravia „: Anno nempe Chr. 1063. Redeo ad Hoſium de Slavonica lingua ſic diſserentem. „ Ac vix eſt ulla lingua (*c*) ſub ſole, quæ latius, quam noſtra (*ideſt Slavica*) pateat, quum plus etiam, quam quartam Europæ partem complecti videatur. Hac enim utuntur & Bohemi, & Moravi, & Caſsubi, & Ruſſi, & Moſchi, & unde nos originem duxiſse putamus, Sclavi, Svetii, Dalmatæ, Boznenſes, Croatæ, Bulgari, Raſciani, Serbi, & aliæ gentes nonnullæ. Cæterum ſic inter ſe nationes hæ dialectis variant, ut minus etiam Sclavum, aut Dalmatam „ Polo-

---

a Hanc ſeriem vide apud Auguſtinum Olomucen. & Brunnen. Præpoſitum ad Stanislaum Epiſcop. Olomucen.

b Obiit Spigneus Bohemiæ Dux v. Kal. Febr. Anno ſui Ducatus VI. Anno Dom. Incarn. 1051. ex Coſma Pragenſi.

c Latius patet Arabica, uti perſpicuum eſt. Non enim a Chriſtianis tantummodo adhibetur, qui Arabiam, Syriam, Ægyptum incolunt; ſed ab omnibus Mahometicæ ſectæ cultoribus in Africa, Aſia, & magna Europæ parte.

„ Polonus intelligat, quam Holandum, aut Burgundum, „ Svevum, aut Helvetium. Quamlibet autem nos ipsos amemus, tamen illud fateamur necesse est, Sclavorum, aut „ Dalmatarum linguam esse multo elegantiorem, quam sit „ nostra (*Polonica*) ita ut si precationes & sacras lectiones in „ vernaculam transferre linguam oportet, in eam potissimum „ transferendæ sint, a qua nostra duxit originem, quæ præstat etiam cæteris elegantia. Quum præsertim Dalmatica „ lingua Sacros libros Hieronymum (*a*) vertisse constet, „ ut in ejus usu minus esse periculi videatur. Quum autem & „ illud manifestum sit, quod in divinis officiis usus illius aliquando fuerit, quis est, qui dubitare queat, non sine causa eum non apud nos magis, quam apud ipsos etiam Bohemos & Moravos, qui modo Catholici sint, intermissum „ fuisse? *Harpagus*. Quid autem impediret, quo minus sua „ quæque gens dialecto uteretur in ejusmodi Sacris Lectionibus & Precationibus convertendis? *Arator*. Atqui hoc nec „ Russi faciunt, quos tanta constat esse religione in divinis „ officiis ea dialecto peragendis, quam a majoribus suis traditam acceperunt: ut siquid ab illa variarent, grandi se „ piaculo obstrictos iri persuasum haberent. Nunc tu vide, „ Harpage, dum nimio plus de eo sollicitus es, ut omnes „ omnia intelligant, si forte concessum tibi sit quod optas, „ ne qui capiti mederi potissimum debebas, non sine magno „ capitis discrimine, rediviam tantum curare videaris. Caput enim est, ut verum divinarum scripturarum sensum retineamus, quod ita multis & variis translationibus vix recte provideri poterit. Quis enim præstabit, si sua quæque „ gens dialecto sacras precationes & lectiones versas habuerit, „ nullus & error in vertendo committatur? Atqui nusquam „ erratur, quam in hac parte periculosius, & est usu compertum, versiones istas literarum sanctarum in linguam „ gentis alicujus Vernaculam, multum Ecclesiæ Dei incommodi attulisse „. Et post pauca, quum in versionibus sacræ scripturæ a novatoribus Germanice factis non paucos errores irrepsisse docuisset, subjungit. *Harpagus*. „ Atqui in „ Late-

(*a*) Id non modo non constat, sed potius contrarium est omni evidentia evidentius: quemadmodum suo loco demonstrabitur.

„ Lateranensi concilio decretum fuit, ut sua cuique genti
„ lingua, divina officia celebrentur: qui fit, quod tam salu-
„ bri decreto non paretur? *Arator*. Quid, si, quod in Late-
„ ranensi Concilio decretum est, tu non intelligis? verba de-
„ creti sunt hæc cap. 9.. Quoniam in plerisque partibus intra
„ eandem civitatem atque diœcesim permixti sunt populi di-
„ versarum linguarum, habentes sub una fide varios Ritus &
„ mores; districte præcipimus, ut Pontifices hujusmodi civi-
„ tatum sive diœceseon, sibi provideant viros idoneos, qui
„ secundum diversitatem linguarum & Rituum, divina illis
„ officia celebrent, & Ecclesiastica Sacramenta ministrent,
„ instruendo eos verbo pariter & exemplo. Prohibemus autem
„ omnino, ne una eademque civitas seu diœcesis diversos
„ Pontifices habeat. Quæso te, nunquid sancitum hic aliquid
„ est de ritibus novandis, & non de conservandis potius qui
„ recepti sunt? Non est dubium, quin Græca lingua multo
„ ante, quam Latina, divina officia, in orientali præsertim
„ Ecclesia, peragi cæpta fuerint, qua Scripturas omnes Ca-
„ nonicas novi Testamenti, præter unum Matthæi Evange-
„ lium, traditas nobis esse non ignoramus, ita ut a Græcis
„ ad Latinos Christiana fides fuerit propagata. Quin & illud
„ jam docuimus, trecentis annis ante decretum hoc latum,
„ Sclavis permissum fuisse, vernacula lingua sua rem divinam
„ facere. Quod autem (ex quo tempore Hispaniæ, Galliæ,
„ Germaniæ, cæteræque Provinciæ, Christi fidem recepe-
„ runt) fuerit unquam apud has vel alias Occidentis, aut Se-
„ ptentrionis Ecclesias in divinis officiis vernaculæ linguæ usus,
„ a quoquam doceri posse non puto. Hoc igitur statutum est
„ in Concilio Lateranensi, ut ne civitas, aut diœcesis una
„ duos Episcopos habeat, sed unum tantum, qui secundum
„ diversitates Rituum & linguarum, provideat de viris ido-
„ neis unicuique populo. Verbi gratia: Venetiis, quæ est
„ ampla & copiosa civitas, ac orbis totius Christiani florentis-
„ simum Emporium, sicut varii ritus, variæ linguæ, mores
„ quoque diversi sunt. Sunt Græci, & hi quidem Catholici
„ (nam & inter Græcos, Catholicos adhuc reperire licet)
„ qui suo ritu & lingua: sunt & Sclavi, qui sua; sunt reliqui
„ populi Occidentales, qui Latina lingua rem divinam fa-
 „ cien-

„ cientes in templis. Decretum eſt igitur in Concilio Latera-
„ nenſi, quocumque ritu, aut lingua celebrata fuerint officia
„ divina, ne ſe quiſquam ad ea ingerat, cui non fuerit ab
„ Epiſcopo civitatis aut diœceſis proviſum. Ut autem Sacer-
„ dotibus rem divinam facientibus, præterquam ubi vetus
„ jam obtinuit conſuetudo, vernacula uti cujuſque gentis lin-
„ gua liceat, de eo verbum extat nullum. *Harpagus*. Nonne
„ verba decreti ſunt, ut provideant Pontifices viros idoneos,
„ qui ſecundum diverſitatem linguarum, & rituum diverſo-
„ rum populorum, divina illis officia celebrent? Quid autem
„ aliud his verbis, quam illud ſancitum eſſe videtur, ut ſua
„ cuique genti patria lingua, divina officia celebrarentur?
„ *Arator*. Erras Harpage. Non ea fuit mens Patrum, qui
„ fuerunt in Concilio Lateranenſi congregati. Nam ſi hoc illi
„ ſenſiſſent, quod tu vis, jam inde a trecentis & quinqua-
„ ginta annis (ſub hoc enim tempus Concilium illud eſt ha-
„ bitum) & in Germania, & in Anglia, & in Hungaria, Po-
„ lonia, Bohemia, Dania, Scotia, Svecia, Norvegia, & in
„ reliquis omnibus orbis Chriſtiani Regnis, uſus Latinæ lin-
„ guæ in divinis officiis intermiſſus, vel potius abolitus pror-
„ ſus fuiſſet, quem tamen citra cujuſquam interpellationem,
„ ſicut ab initio, ex quo tempore Chriſti fides in iis terris re-
„ cepta eſt, ita poſt Concilium hoc Lateranenſe retentum, &
„ ad noſtram hanc ætatem uſque tranſmiſſum ac propagatum
„ eſſe videmus. Sed ſi quis temporum rationem diligenter
„ expendat, facile, quæ cauſa fuerit hujus decreti ferendi,
„ cognoſcet; qua cognita, quæ fuerit in eo ferendo Patrum
„ intentio, planum fiet. Concilium, cujus hoc decretum pro-
„ fertur, habitum fuit ſub Innocentio tertio: quo tempore
„ & Conſtantinopolitana civitas in Latinorum poteſtatem per-
„ venerat. Itaque præſentes in eo tum Conſtantinopolitanus,
„ & Hieroſolymitanus Patriarchæ adfuerunt, quod Græci tum
„ ad obedientiam Apoſtolicæ Sedis reverſi fuerant, quorum
„ mores & ritus, quantum cum Deo poſſent, ſuſtinendos eſſe
„ Patres decreverunt. Quamobrem non erat viſum Patribus,
„ ut impedirent Græcos, quo minus, quemadmodum ſua
„ lingua ſuoque ritu Latini, ſic illi quoque, quamvis ſub La-
„ tinorum poteſtatem redacti, ſua & ipſi lingua, ſuoque ritu
„ rem

„ rem divinam facientes uterentur: Sed hoc tantum ut constitueretur, necessarium esse putaverunt, ne propter diversas linguas & ritus, duos aut plures Episcopos una civitas aut dioecesis haberet. Nam capta per Latinos Constantinopoli, Francorum & Venetorum opera, sic inter Francos & Venetos convenerat, ut si designatus esset ex Francis Imperator, Veneti darent Antistitem, ne penes unam gentem utraque esset dignitas. Ac designatus tum erat Imperator Balduinus Flandrensis Comes: Antistitem vero sive Patriarcham dederant Veneti Thomam Maurocenum: neque dubium est, quin suæ quoque gentis suique ritus & linguæ Patriarcham, & Episcopum habere Græci cupiverint, quibus ut sua lingua suoque ritu uterentur, facile concessum est; duos autem ut haberet Episcopos una civitas & dioecesis, concessum non est.

XVII. Etiam in aliquibus Poloniæ locis usurpatus aliquandiu Slavicæ linguæ in divinis usus.

Hactenus Eminentissimus Hosius. Cujus testimonio constat, Primo quidem, *Polonos* quoque aliquandiu, & in aliquibus locis, Slavica lingua in rebus divinis usos fuisse, *in Templo* scilicet *Sanctæ Crucis in Clepardia*: idque, ut opinor, eo factum, quia, exciso circa initium sæculi decimi Moravorum Slavico sermone divina celebrantium Regno, nonnullos ejusdem Regni tum Sacerdotes & Clericos, tum Laicos, in Poloniam sese recepisse, verosimile est, scribente Constantino Porphyrogenito Admin. Imp. cap. 41. „ Post hujus Sphendoplochi mortem,anno uno in pace exacto, orto deinde dissidio & bello civili, invadentes Turci (*idest Hungari*) funditus eos (*Moravos nempe*) exstirparunt, regionemque eorum occuparunt, quam in hodiernum usque diem (*idest, usque ad annum circiter* 950.) incolunt: quæque supererat multitudo, dissipata confugit ad finitimas gentes, nimirum ad Bulgaros, Turcos, Chrobatos, & ad reliquas nationes „. Hoc est, ad Bohemos, qui tunc temporis Christiana sacra amplectebantur, & ad Polonos, qui postea fidem Christianam suscepere tum, quum Dambrowka Boleslai Bohemiæ Ducis filia, Gnesnam (uti narrat Cromerus lib. 3. cap. 2.) splendido comitatu advecta, Miezlaum Sponsum, Poloniæ Principem induxit, ut Baptismo initiaretur anno Christi 965.

XVIII. Cur Polonis & Bohemis denega-

Constat præterea, tam Bohemos, quam Polonos, acce-

 ptis

tus in divinis celebrandis Slavicæ linguæ usus.

ptis a Romano Pontifice Latinis Episcopis, Latinum quoque ritum unacum lingua, Slavico Sermone prætermisso, amplexos fuisse. Id quod etiam de Bohemis testatur Dubravius, a nobis citatus Tom. 3. pag. 112. his verbis „ Cæterum non intra multos annos mos ille vernacula lingua (*idest Slavonica*) „ inter sacra cantandi (*in Bohemia*) viguit, abolente illum „ rursus Pontifice Romano, quum daret Bojemis Antistitem: „ nam diu satis Bojemi a privatis Sacerdotibus (*a Moraviæ* „ *Archiepiscopo ad illos missis*) Sacrorum religionisque disciplinam percipiebant „. Quamobrem Gregorius VII. Pontifex lib. 7. epist. 2. ad Uratislaum Bohemiæ Ducem, Slavicæ linguæ in divinis usum, jam olim in Bohemia abolitum iterum interdicit, sic scribens: „ Quia nobilitas tua postulavit, quod „ secundum Sclavonicam linguam apud vos divinum annuerēmus celebrari officium, scias, nos huic petitioni tuæ ne„ quaquam posse favere „. Quæ tamen Summi Pontificis verba, quemadmodum Bulgaros, Serblos, Valachos, Russos, Moschos aliosque Græci ritus homines Slavonico Sermone utentes, non afficiunt; ita neque de Dalmatis Croatisque Slavicam linguam usurpantibus intelliguntur. Hi enim facultate Moravis olim a Joanne VIII. Papa concessa perrexerunt usque in hodiernum diem gaudere: quemadmodum mox patebit, quum de lingua Slavonica sermo erit: ubi demonstrabitur, a Dalmatis Illyriisque Latinis non solum propter receptam dudum consuetudinem Slavico sermone in hodiernum usque diem sacra celebrari, sed etiam propter expressam Summorum Pontificum approbationem, cujus authentica documenta suo loco proferentur.

XIX.

De Normannis & Roberto atque Rogerio ejus filio. De que Græcis & Venetis, necnon Bodino Russiæ domino, & Colomano Hungariæ Rege.

Dum Chroatis Cresimirus tertius, & Venetis Dalmatisque Dominicus Sylvo (*a*) Dux imperarent „ Normanni Dal„ matinorum fines invadunt, & destruunt. Dux igitur egres„ sus, eos abire coëgit, & ab incolis solidam fidelitatem cum „ promissione non adducendi Normannos in Dalmatiam susce„ pit. Bessi Hungaris infestissimi, spoliata Ungaria fugiebant; „ sed ab Ungaris ita oppressi dicuntur, ut ne unus quidem ef„ fuge-

a Dominicus Sylvo anno 1071. Dux creatus, Venetis exosus propter excidium Stoli contra Robertum missi, anno 1084. repudiatur & de sede expellitur. Dandol. pag. 247. 249.

„ fugerit. Nicephorus Botaniates cum terrestri apparatu Ale-
„ xium Megidomesticum mittit, Venetorum petit auxilium.
„ Dux illico cum stolo potenter egressus, cum Normannis se-
„ cus Durachium bellum iniit, illosque tandem conflictos
„ abire coëgit, & Durachium ab obsidione liberatum victua-
„ libus muniit. Sumpto Imperio Alexius cum ingenti militia
„ & Venetorum classe, contra Robertum, qui jam ad Im-
„ perii damna redierat, egressus, circa Durachium bellum
„ commisit, in quo ex suis, & Venetis multis occisis & ca-
„ ptis, succumbens fugam arripuit. Michael, qui hæres di-
„ cebatur Imperii, in prima acie interemptus est, & Rober-
„ tus post hæc Durachium & vicina loca capit, & undique Im-
„ perium conquassavit „. In Codicis Ambrosiani margine:
„ Alibi est legere, Silvio Duce Alexium a Venetis impetrasse
„ classem onerariarum 36. triremium 14. Galeotarum 9. con-
„ tra Robertum Normannum, qui pacem tunc maluit cum
„ Alexio. Itaque Veneti ab Alexio domum remissi, ingentia
„ dona, inter quæ Corpora Sanctorum & alias Sanctas Reli-
„ quias, necnon & longum Chrysobolium ab Imperatore Græ-
„ co cum gratitudine reportarunt „. De Chrysobolio sive
aurea Bulla, quæ anno 1084. Sub Vitali (*a*) Phaledro, Venetorum Duce, ab Alexio Imp. concessa est, ut nempe suo titulo adderet, *Dux Dalmatiæ atque Croatiæ*, *& Imperialis Protosebastos*, dixi supra. „ Rogatu Alexii (*b*) Dux con-
„ tra Robertum Stolum mittit, qui unacum Græcis a Rober-
„ to apud Sasinum superatus, confusus rediit. Robertus Gui-
„ scardi post immensas victorias apud Casiopam insulam mori-
„ tur. Huic Rogerius filius successit, qui Amalphiæ juramen-
„ tum fidelitatis præstitit Urbano Papæ super terras Apuliæ,
„ & se hominem ligium Ecclesiæ confessus est; & hoc etiam
„ sub vexillo nunc Bodinus Raxiæ Durachium accepit, & po-
„ stea pace cum Imperatore Constantinopolitano composita,
„ illi urbem resignavit. Post Ladislaum Colomanus, Geyzæ
„ genitus, Hungaricum tenuit Regnum.

XX. Alia Spalatensis Synodus anno 1075.

Nunc ad Laurentium Spalatinum Archiepiscopum regredior.

a Vitalis Phaledro Dux inauguratus anno 1084. obiit anno 1096. Dandul. pag. 249. 255.
b Dandul. pag. 251. 252.

Celebrata sub Gerardo S. Gregorii VII. Papæ Legato.

dior. Postquam ea Synodus habita fuit, atque intrusus ille Slavorum Episcopus dira, ut supra narratum est, morte sublatus interiit, Gregorio Septimo Sanctissimo Pontifice ad Romanam Cathedram evecto, hæc in Dalmatia contigisse, pergit enarrans Thomas Archidiaconus Spalatensis. „ Hic ergo „ (Pontifex scilicet Gregorius) misit Legatum ad partes Dal- „ matiæ Venerabilem virum Gerardum Archiepiscopum Si- „ pontinum. Qui Spalatum accedens, cum magno gaudio & „ honore a Laurentio Archiepiscopo susceptus est. Misit ergo, „ & convocavit Suffraganeos Salonitanæ Metropolis univer- „ sos: qui quum convenissent, Provincialem cum eis Syno- „ dum apud Salonam debita maturitate celebravit. Interfue- „ runt autem isti Suffraganei Ecclesiæ Spalatensis, Primo Lau- „ rentius Archiepiscopus. Secundus post eum Stephanus Epi- „ scopus Jadrensis: Joannes Traguriensis: Forminus Nonen- „ sis: Gregorius Arbensis: Theodosius Belgradensis: Gre- „ gorius Croatensis: Basilius Absorensis: & alii quidam. In „ hac Synodo restauratus est Episcopatus Nonensis, cujus Epi- „ scopus Gregorius multas olim molestias Joannem Spalaten- „ sem Archiepiscopum sustinere fecit, debitam ei subtrahen- „ do obedientiam, & sibi jus Metropolicum indebite vendi- „ cando. Interea Ven. Gerardus Legatus Spalati positus, „ invenit ibi supramemoratum Vulfum Presbyterum, cui (*a*) „ Golfgangus (*Wolfgangus*) agnomen erat, ab annis jam duo- „ decim (*b*) Papali jussu gravissimis compedibus alligatum „ propter Schismatis nefarium scelus, quod cum Ceddeda „ exercuerat in regionibus Dalmatiæ atque Croatiæ. Hunc „ ergo fecit absolvi dicens: quia Dominus Alexander felicis „ memoriæ in suo decessu præcepit, universos suo jussu in- „ carceratos absolvi. Prius tamen fecit eum super Evange- „ lium, & corpus Beati Domnii subire corporaliter juramen- „ tum, ut in abjuratam hæresim nunquam relabi deberet, & „ de

a Apud Ughell. tom. 7. pag. 382. perperam *Golfaneus* pro *Wolfgangus*, & *Renda*, pro *Cededa*.

b *Ab annis jam duodecim*. Maynardi Legationem Dalmaticam obeuntis *Cardinalitia & Episcopalis dignitas* evincit, pro, *ab annis jam* XII. omnino legendum esse, *ab annis jam* VII. Facilis quippe est literæ X in V. mutatio. Sic autem ab Archidiacono scriptum fuisse, aut saltem scribi debuisse colligitur ex anno habitæ a Maynardo Synodi Spalatinæ: de quo supra dixi. Nimirum, Chr. 1068. non 1062. uti nonnullis est visum.

„ de his partibus egrediens, nunquam rediret, ſed cum eo „ Romam adiens, Apoſtolico ſe conſpectui promitteret exhi„ bere.

Ughellus Tom. VII. Ital. Sacr. pag. 823. edit. Venetæ anni 1721. diſertam facit Apoſtolicæ hujuſce Gerardi Archiepiſcopi Sipontini Legationis mentionem, quæ Legatio in noviſſima Conciliorum Labbei Veneta editione tom. XII. p. 591. ad annum Chriſti 1075. confertur, & ex ipſo Ughellio recitatur, ſubjunctis hiſce verbis: „ Porro Gerardum Legatum „ Gregorii VII. in Dalmatia fuiſſe anno 1075., conſtat ex Pri„ vilegio Monaſterii S. Chryſogoni Jadrenſis, Benedictini „ Cœnobii, in Synodo Spalatenſi edito in hunc modum „ In „ anno 1075. ab Incarn. D. N. J. C. menſe Novembris, ea „ tempeſtate, qua Comes Amicus (*a*) Regem Croatiæ ce„ pit. Ego Girardus S. R. E. Apocriſarius, Sipontinæque Se„ dis gratia Dei Archipræſul, miſſus a Dom. Gregorio Papa „ in partes iſtas, ſtatui Sanctam Synodum in Spalatina urbe, „ ſedens cum univerſo cœtu, firmans vera, execrans illicita, „ reſpuens falſa. Tum in hora Petrus Ven: Abbas S. Chryſo„ goni conqueſtus eſt de Cella S. Joannis, quæ vulgo Tilagus „ nominatur, quod ſuus Epiſcopus, videlicet Stephanus, „ illam ſibi abſtulerat. Unde Abbas nobis chartulam porrexit, „ in qua invenimus, quod Corbina, qui olim ſupradictam „ Cellam ſua ſponte donarat, poſt ſuggerente ſibi inimico ſtu„ debat auferre. Hoc geſtum eſt tempore Acuzonis Legati „ D. Nicolai Papæ. Sed dictus Apocriſarius videns hoc arte dia„ bolica machinari; audax, ut Scriptura teſtatur, juſtus confi„ dit ut leo; inveſtivit Abbatem per baculum quem geſtabat „ manu, eodem Priore concedente cum ſuo populo, & inſu„ per æternas maledictiones futuris uſurpatoribus dedit. Ego „ autem videns ſibi juſte fieri, & omne Concilium mecum, „ rurſum præcipimus ſuo Præſuli, inveſtire Abbatem ſuo illo „ cœno-

---

a Farlat. Illyric. Sacr. Tom. I. pag. 342 *Slavizum* Regem Croatiæ intelligit: cujus breve admodum regnum fuit: „ Nam anno 1075. captum fuiſſe, ac Regno depul„ ſum, colligi videtur ex Autographo Archivi Monialium SS. Coſmæ & Damiani, „ *In anno 1075. ab Incarn. D. N. J. C. menſe Novemb. ea tempeſtate, qua Comes* „ *Amicus Regem Croatiæ cepit &c.* Eodem vero anno Regni potitum eſſe Svinimirum „ quem alii Zvonimirum vocant, ſeque ipſe in ſuis Privilegiis Demetrium appel„ lat, ſatis declarat alterum Autographum ejuſdem Archivi.

„ cœnobio per pedum, quod manu portabat; contradicentibus vero nostra verba hæc, & auferre volentibus post noxia verba illius Missi prioris, collaudamus, & nostra insuper ponimus. Laurentius Archipræsul collaudat & roborat, Joannes Tragurinus Episcopus collaudavit. Prementius Castilanus (*a*) Episcopus collaudavit: & omnis Synodus collaudat & roborat.

XXI. Crescentius Spalatensis post Laurentium Archiepiscopus. Colomanus Hungariæ Rex Spalatum, Tragurium & Jaderam suo sub jicit dominio.

Quum Laurentius Salonitanæ Metropoli annis circiter quadraginta, idest, ab anno 1060. usque ad annum 1099. præfuisset; suffectus ei fuit *Crescentius*. Archidiaconus cap. 16. „ Quo [Laurentio] quiescente in Domino, de subrogandi electione non potuerunt esse concordes. Quamobrem voluntas omnium extitit, ad Dominum Papam legationem mittere, suppliciter postulando, ut Spalatensi Ecclesiæ de Pastore idoneo provideret. Tandem eorum petitionibus Summus Pontifex acquievit, dans eis Præsulem, Crescentium nomine Romanum, virum valde egregium, & omni præditum bonitate „. Catalogus Romanus apud Farlat. Tom. 1. pag. 335. „ Crescentius Patritius Romanus, Archiescopus Spalatensis xxxv. Præfuit ab anno 1099. usque ad annum 1112. Sedentibus Pasquale II. Gelasio II. Imperante in Oriente Alexio I. Comneno: Regnante in Croatia, pro priorum Regum loco Colomano Hungariæ Rege: Ducibus Venetorum Vitale Michaële, Ordelapho Phalerio „. Chronicon Pontificale Salonitanum & Spalatense: „ Crescentius Archiep. Spalatensis, natione Romanus, vir valde egregius, successor Laurentii. Vide Chron. 27. Hic anno 1103. aperuit arcam, in qua Salonæ conditum est Corpus S. Domnii primi Archiepiscopi urbis Salonitanæ, & a Salona translatum est Spalatum in eadem Arca.... Iste Dominus Crescentius Archiep. missus a Spalatensibus ad Regem Colomanum Hungarorum, ut peteret pacem, quam facile obtinuit Anno Dom. 1103. Chron. 29. Obiit Spalati, & sepultus est in Arca marmorea, ante fores Cathedralis Ecclesiæ S. Domnii, ex parte boreali, cum hac inscriptione .. „. Quam legesis apud eund. Farlat. Tom. citat. pag. 349. Quod vero in Chron. Saloni-

a Fort. *Castellanus*. Dandulus apud Murat. Tom. 12. Rer. Ital. pag. 965. „ Vitalis Michaël Castellanus Episcopus.

lonitano dicitur de Crescentio, *missus a Spalatensibus ad Regem Colomanum Hungarorum*, hoc ex Archidiacono Spalatensi desumtum, cujus hæc sunt verba, *qualiter Ungari ceperunt dominium Dalmatiæ & Croatiæ* cap. 17. „ Denique Uladislao „ Rege (*a*) migrante ad Dominum, Colomanus sibi in Re- „ gno successit. Hic quum esset vir ferocis animi, proposuit „ totam terram usque ad mare Dalmaticum suo Dominio sub- „ jugare. Venit ergo cum multo armorum apparatu, & obti- „ nuit ceteram partem Sclavoniæ, quæ a Uladislao fuerat præ- „ termissa. Itaque ad mare usque pervenit, ut civitates ma- „ ritimas occuparet. Tunc ad Spalatensem civitatem primo „ accessit, petens pacifice, ut sua se sponte dominatui ejus sub- „ jicerentur, nec omnino permitterent destrui se & sua. At „ vero Spalatenses obfirmatis bene portis per murorum circui- „ tum cum armis diffusi, non acquiescebant Regi, metuentes „ dominium gentis ignotæ & extraneæ experiri. Quippe ne- „ scientes quid Rex de civitate, vel de civibus cogitaret. „ Tum Rex & ejus Principes indigne ferentes, & se quasi „ contemptos a Spalatensibus arbitrantes, cœperunt multa „ civibus comminari. Et positis castris non longe a civitate, „ devastabant campos, prædasque quas poterant faciebant. „ Unde factum est, ut Spalatenses obdurato animo cuncta pro- „ ponerent sustinere pericula & damna potius, quam jugum „ susciperent Hungarorum. Quum ergo sic aliquantum tem- „ poris pertransisset, intellexerunt tandem per internuncios, „ homines esse Christianos, & quod Rex vellet cum eis be- „ nigne agere, si se ejus ditioni adhuc pacifice subjugarent.

a Obiit Ladislaus anno Regni sui xix. Incarn. 1095. tertio Kal. Augusti feria prima: inquit Thuroczius in Chron. Hungaror. sed legendum xv. *Kal. Aug.* in quem diem anno 1095. Dominica incidit. Successit ei Colomannus, filius Geysæ, fratris Ladislai. Vide Pagium ad ann. 1095. num. 21. Farlatus Tom. 1 pag. 224. „ Annus „ erat fere centesimus, ex quo Dalmatia maritima imperium Venetorum subierat, „ quum universæ Chrobatiæ cis ultraque montes occupandæ, ejusque fines usque ad „ mare proferendi cupiditas incessit Colomanum Geisæ f. quem Hungari anno 1096. „ coactis comitiis Regem salutaverant „. Et infra pag. 225. Anno Christi 1104. „ Ordelaphus Faledrus Dux Venetor. classem centum vel 80. navium ad sacram expe- „ ditionem in Syriam duxerat. Interea Colomanus ex absentia Venetæ classis, oc- „ casionem Dalmatiæ totius occupandæ sumpsit, oblitusque fœderis, quod cum Ve- „ netis pepigerat, bellique socialis adversus Normannos gesti, Dalmatiam mariti- „ mam Venetæ ditionis invasit, ac primo Jadrenses, deinde Spalatenses, & omne fe- „ re Dalmaticum nomen in deditionem accepit. Atque ut populorum animos a Ve- „ neto alienaret imperio, Dalmatas multis beneficiis atque immunitatibus donavit,

„ Tunc Spalatenses inter se facto consilio, miserunt Crescen„ tium Archiepiscopum ad Regem Colomanum, pacem po„ stulantes ab eo. Quem ille benigne suscipiens, annuit omni„ bus petitionibus quas Spalatenses fecerant pro pacis fœde„ re componendo. Facta igitur conscriptione omnium, quæ „ hinc inde fuerant ex beneplacito stabilita, juravit Rex cum „ suis Principibus omnia firmiter observare. Postera vero die „ juraverunt Spalatenses, primo quidem majores, deinde ju„ niores: postea vulgus omne, ut Colomano Regi, & ejus „ posteris, ac Regno Hungariæ subjecti & fideles omni tem„ pore permanerent. Tunc Rex civitatem ingressus, valde „ honorifice a Clero, & Populo susceptus est: & ea die pro„ curatione affluenter a Communi suscepta, confectis ac tradi„ tis Communitatis Privilegiis, profectus est. Inde autem „ pertransiens, venit Tragurium, & deinde Jadram, a qui„ bus civitatibus simili exemplo susceptus, fecit eis, liberta„ tis Privilegium: & sic in Hungariam est regressus anno Do„ mini 1103.

XXII. Occupatas a Colomano Hungariæ Rege urbes Dalmatiæ, Veneti recipiunt.

Andreas Dandulus in Chron. cap. x. Part. xi. de rebus a Colomano in Dalmatia gestis, quo tempore Venetorum Dux erat Vitalis Michaël [nimirum inter annum Chr. 1096. quo is electus dicitur, & inter annum 1101. quo decessit] sic scribit: „ Hoc tempore Calomanus Rex Hungariæ misit exercitum in „ Dalmatiam, & occidi fecit Regem Petrum: & per Legatos „ suos cum Venetorum Duce fœdus iniit contra Normannos, „ & pariter exercitum in Apuliam ad eorum damna mittere „ statuit. Parata autem classe per Venetos, Regius apparatus „ in Apuliam navigans, Brundusium & Monopolim obtinet, „ & tribus mensibus Apuliam vastant & redeunt „. Et cap. xi. Par. xv. ad annum Chr. 1111. Ordelapho Phaledro Venetorum Duce stolum fere navigiorum 100. in Syriam mittente: „ Interea Calomanus Ungarorum Rex, multis jam barbarorum „ gentibus occupatis, ad majora procedens, Pannoniam hosti„ liter egressus, omnia oppida montana Dalmatiæ accepit; & „ postea Spalatum obsidendo obtinuit: deinde ultra proce„ dens, Jadratinam urbem regionis eminentiorem obsedit, & „ intrinsecus machinis & aliis ædificiis impugnare non distulit. „ Illi autem promissæ fidelitatis memores, Regiis insultibus „ viri-

„ viriliter resistebant, & meritis etiam B. Joannis Episcopi „ Tragurini eis assistentis, conservabantur illæsi. Rex vero „ dum belligere suum non posse obtinere intentum perpende- „ ret, cogitavit illicitis promissionibus cives allicere: & sic „ effectualiter Jadræ dominium Calomano traditum est. Hac „ igitur occupata, reliqui Dalmatini terrore commoti, per „ nuncios suos civitates Regis voluntati obtulere, qui apud „ Jadram Curiam tenens, Dalmatinos in suis libertatibus & „ consuetudinibus conservare promisit, & Spalatinæ, Jadren- „ si, & Arbensi Ecclesiis pro unaquaque Crucem unam contu- „ lit, & in Pannoniam rediit: & post pusillum improvisa mor- „ te (*a*) sublatus est: quod divino judicio ex fœdere Ve- „ netis abrupto creditur contigisse „. Pergit enarrans Parte XVII. ea quæ a Venetis pro recuperanda Dalmatia sub eodem Duce Ordelapho, qui anno 1102. inauguratus, anno 1117. obiit, in hæc verba. „ Dux igitur Anno decimo [id „ est Chr. 1112.] ad Dalmatiam recuperandam intendens, „ Patriarcham Constantinopolim cum XIV. galeis Alexio Im- „ peratori legatum mittit, & Regalem invasionem promissi „ fœderis oblitam exponi fecit, & subsidium opportunum ab „ eo sibi exhiberi postulavit, maxime quia opera comproba- „ verat, sui Imperii Venetos fuisse intimos Zelatores „. Et Part. XIX. „ Ordelaphus anno XIII. [*idest Chr.* 1115.] in „ mense Augusti, cum magno exercitu navali Dalmatiam ag- „ gressus est, & cepit Jadram, excepto (*b*) castro, & Bel- „ gradum, quas muniit, ne Hungari custodientes Jadræ ca- „ strum, subsidium obtinerent: & acceptis obsidibus rediit „. Et Part. XXI. „ Dux autem in proximo mense Maji [*an-* „ *ni* 1116.] suo undique collecto exercitu, & Henrici Impe- „ ratoris, atque Alexii Constantinopolitani adjutus præsidiis „ contra Hungaros, qui ad subveniendum castrum Jadræ re- „ dierant, Dalmatiam aggressus est, & in die S. Pauli, vide- „ licet secundo Kal. Julii, Dux cum Hungaris campestre bel- „ lum peragens, Bannum in fugam vertit, multos nobiles „ Hungarorum cepit, & victoriam consecutus est, cui custo- „ des castri Jadræ, de subsidio desperati, se cum castro libere

a Decessit Colomanus Hungariæ Rex anno 1114.
b Male apud Murat. Tom. XII. Rer. Ital. pag. 266, *excepto Castor.*

„ tradiderunt. Ultra Dux procedens, inexpugnabile castrum „ Sebenici obtinuit, & diruit. Spalatum quoque, & Tragu- „ rium per deditionem accepit: & sic Dalmatiæ recuperato „ dominio, acceptis obsidibus, cum præda captivorum Vene- „ tias rediit „. Atque hic in margine Codicis Ambrosiani hæc adnotantur: „ Alibi legitur, tunc tres Oratores, Vitalis Pha- „ ledro Ducis filius, Ursus Justinianus, & Marinus Mauroce- „ no, una cum Cancellario Venetiæ, missi ad Regem, indu- „ cias cum eo inierunt per quinquennium.

XXIII. Chronologia occupatæ ab Hungaris, & receptæ a Venetis Dalmatiæ texitur.

Ex his colligitur, mediterraneam quidem Dalmatiam, hoc est Croatiam, Petro ejus Rege in Petergozdensibus montibus interfecto, anno circiter 1101. a Calomanno Hungariæ Rege captam fuisse: At maritimam Dalmatiam, idest Spalatum, Jaderam & alias maritimas urbes, non anno 1103. uti Archidiaconus scribit, neque 1104. quemadmodum Farlatus Tom. 1. pag. 225. narrat, sed anno 1111. ab eodem Colomano, initis pactis, occupatas juxta laudatum Danduli Chronicon: falsum esse proinde, quod Farlatus loc. cit. subjungit: „ Undecim fere annos Dalmatia universa Hungarorum domi- „ natum pertulerat, quum Calomano in Hungariam regresso, „ & anno 1114. è vivis exempto, Ordelaphus Provinciæ re- „ cuperandæ occasionem oblatam minime prætermittendam „ ratus, auxiliaribus copiis tum ab Henrico V. Occidentis, „ tum ab Alexio Orientis Imp. adscitis, ingentique adornata „ classe, anno tertiodecimo Pontificatus, Christi 1115. in „ Dalmatiam transmisit „. Non *undecim annos*, sed *quatuor* dumtaxat in Hungarorum potestate Dalmatiam mansisse, Dandulus testatur. Cangius vero in Fam. Dalmat. cap. V. numer. XIX. scribit „ Colomanum, cæso Petro Dalmatiæ Re- „ ge, missis ad Croatos Legatis, Hungarorum amicitiam „ suamque illis obtulisse protectionem: quod illi amplexati „ fuerint, iis ex pacto invicem inito Regi sese dedentibus. „ Tum vero [*inquit*] solemni ritu Croatiæ & Dalmatiæ Rex „ in Belgradensi ad mare oppido coronatus est Calomanus, „ cujus quidem Dalmaticam expeditionem ac inaugurationem „ ad annum 1102. videtur referre vetus diploma. (Nam „ Ladislaus Calomani decessor Croatiæ dumtaxat, non vero „ Dalmatiæ Rex, inscriptus legitur „.) Subjungit idem Cangius:

gius: „ Jaderam deditione accepit anno 1105. ut docet vetus
„ Inſcriptio ad Deiparæ Jadrenſis Monaſterii Campanarium,
„ & aliquot ejuſce ævi Tabulę. Ex aliis colligimus Caloma-
„ num in Dalmatia moram exegiſſe anno 1108. & 1111. qui-
„ bus Traguriensis oppidi incolarum, & Arbenſis Eccleſiæ
„ privilegia rata habuit & confirmavit „. Quidquid tamen
ſit de anno occupatæ a Calomano Dalmatiæ, certum eſt illam
a Venetis anno 1115. & ſequenti fuiſſe recuperatam. Horum
quippe Dux Ordelaphus Falierus (uti idem Cangius proſequi-
tur num. xx.) inito cum Alexio Comneno Imp. fœdere, ſub
menſem Auguſtum an. 1115. in Dalmatiam deſcendit, Jade-
ram, præter arcem, & Belgradum cepit: & ſub menſem Ma-
jum ſubſequentem, Joanne (lege Alexio) Comneno, & Hen-
rico Imperatoribus adjuvantibus, Jaderenſem arcem, Spala-
tum, & Tragurium per deditionem accepit. (Quæ ſunt ex
Dandulo exſcripta) Diſcimus præterea ex tabulis anni ejuſ-
dem 1116. Belgradenſe oppidum in Venetorum veniſſe pote-
ſtatem, ut ex aliis anni 1118. Arbenſem urbem (Lucio teſte
pag. 119.) „ Iterum deinde ac ſæpius (verbis utor cl. Farlati
„ tom. 1. pag. 225.) pro Dalmatia cum Hungaris nunc ſe-
„ cundo, nunc adverſo marte pugnatum eſt, & provincia
„ alias amiſſa, alias recepta: quæ hic perſequi neceſſe non
„ eſt. Illud ſolum animadverti velim, Venetos ſemper exi-
„ ſtimaſſe in id potiſſimum ſibi vires omnes conatuſque impen-
„ dendos, ut Dalmatiam vel retinerent, vel recuperarent;
„ propterea quod hujus provinciæ poſſeſſionem ad maris im-
„ perium tuendum, juſque Adriaticæ navigationis uſurpan-
„ dum vel plurimi intereſſe intelligebant. Tandem anno
„ (*ut ſupra notavi*) 1433., poſtquam bellum acre, &
„ diuturnum Venetos inter & Sigiſmundum Hungariæ Re-
„ gem fuiſſet, pax ita convenit, ut Dalmatia propemodum
„ integra, quam, præter Raguſium & alia quædam loca, Ve-
„ neti recuperaverant, in eorum poteſtate permaneret. Pax
„ deinde & quies ab Hungaris fuit; niſi quod interdum ali-
„ quid in Dalmatia turbatum eſt ab illis, ad quos Regnum
„ Hungariæ pervenit, & Venetæ ditionis fines aliqua ex par-
„ te contracti ſunt.

XXIV. Dalmatiæ hodiernæ partitio civilis

Hæc (ad Dalmatiæ Illyricique poſſeſſores quod ſpectat)
dicta

& Ecclesiastica, ex cl. Farlato.

dicta sufficiant: non enim propositum mihi est, Annales ejus Regni conscribere. Farlatus, scriptor diligentissimus, id se facturum pollicetur, suis quæque locis ac temporibus describenda reservans. Idem quoque Dalmaticam & Illyricam Ecclesiam illustrandam suscepit, seriem eorum Antistitum ab Apostolicis temporibus usque ad nostram ætatem perducturus: Divisionem autem Dalmatiæ hodiernæ tam Civilem, quam Ecclesiasticam, his verbis tradit pag. 133. „ Duplex adhuc super-
„ est, quam paucis expediam, divisio Dalmatiæ hodiernæ;
„ altera Civilis, altera Ecclesiastica. Utraque est quadripar-
„ tita, sed alia aliis limitibus ac regionibus definitur. Quum
„ enim nunc universa Dalmatia partim Austriacorum Princi-
„ cipum, partim Venetorum, partim Ragusinorum, partim
„ Turcarum imperio subsit; ex Civili quadam descriptione,
„ alia Austriaca, alia Veneta, alia Ragusina, alia Turcica rite
„ appellari potest. Prima pars Dalmatiæ, seu vetus Japydia
„ ad Sinum Flanaticum, exceptis insulis, fere tota Archidu-
„ cibus Austriæ paret. Partem alteram multo maximam, quę
„ Liburniam, Dalmatiam antiquam, & Illyrici proprii por-
„ tionem haud exiguam complectitur, cum omnibus fere in-
„ sulis, Veneti obtinent; nisi quod Venetorum ditionem in-
„ tersecat Respublica Ragusina, tertiam Dalmatiæ partem in-
„ ter Naronem ac Rhizonicum sinum, paucasque præterea
„ è regione insulas jamdudum adepta. Quarta eademque po-
„ strema pars Dalmatiæ, quæ nunc dicitur etiam pars Alba-
„ niæ, infra Butuam Venetorum urbem initium ducens, &
„ usque ad Drilonem antiquum Dalmatiæ terminum novam-
„ que Epirum producta, obtemperat dominio Turcarum,
„ quod quidem ex ora maritima, quo magis recedit, hoc la-
„ tius in locis montanis protenditur. Principio atque institu-
„ ta fuit Salonæ Sedes Pontificia, unus erat Episcopus, cujus
„ ditione ac potestate Metropolitica continebatur universa
„ Dalmatia. Huic posterioribus sæculis tres deinceps adjecti
„ sunt, qui Ecclesiæ Dalmaticæ administrationem curamque
„ Metropoliticam inter se partiuntur, eamque aliqui ex illis,
„ etiam ultra Dalmatiam, extendunt. Hinc quadripartita ex-
„ stitit Ecclesiastica divisio Dalmatiæ hodiernæ; quippe quum
„ Ecclesia omnis Dalmatica conflata sit ex provinciis omnino

„ qua-

„ quatuor, totidemque civitatibus Metropolibus five Ar-
„ chiepiſcopalibus conſtet; una eſt *Jadrenſis*, altera *Salonitana*, nunc *Spalatenſis*, tertia *Raguſina*, quarta *Diocletana*, quæ poſt excidium Diocleæ urbis olim nobiliſſimæ tranſlata eſt *Antibarim*. Metropolitæ Jadrenſi tres ſubſunt Epiſcopi, *Arbenſis*, *Veglènſis*, *Abſarenſis*. Salonitana ſive Spalatenſis, undecim ipſius ſubjectos habet Epiſcopos, *Segnienſem*, *Modruſſienſem* ſive *Corbavienſem* unitos, *Nonenſem*, *Scardonenſem*, *Tinienſem*, *Pharenſem*, *Traguri enſem*, *Sebinicenſem*, *Boſnenſem*, cujus Sedes Epiſcopalis eſt *Diacovi* in urbe Slavoniæ extra Savum, *Maccarenſem* & *Dumnenſem*. Metropolitæ Raguſino ſex Epiſcopi parent; *Stagnenſis*, *Tribunienſis*, *Narentinus*, *Bractienſis*, *Rhizinienſis*, *Curzolenſis*. Demum Diocletana ſive Antibarenſis provincia compoſita eſt ex decem Epiſcopatibus, *Scodrenſi*, *Polatenſi*, *Drivaſtenſi*, *Olchinienſi*, *Sappatenſi & Sardonenſi* conjunctis, *Buduenſi*: quibus adde tres in Serblia conſtitutos, *Priſrenenſem*, *Semandrienſem*, *Belgradenſem*. Huc accedit alia quædam tripartita diviſio, itidem Eccleſiaſtica, Dalmatiæ. Hujus ſiquidem pars prima intra Titium, ſive provincia Jadertina, ad jus Primatiale pertinet Patriarchæ Gradenſis. Pars extrema ad Orientem, Metropolitæ ac Primati Antibarenſi ſubeſt. Pars intermedia, ideſt Spalatenſis, & Raguſina provincia, imperio Primatiali ſubjecta eſt Metropolitæ Spalatenſi, qui Primus Dalmatiæ idem & Chrobatiæ habetur ac dicitur.

CAPUT IV.

De Slavicæ Linguæ Literalis, non Vulgaris permiſſo Dalmatis & Illyricis in Divinis celebrandis uſu: deque eorumdem libris Eccleſiaſticis Slavo-Latinis.

DE Latinis Dalmatiæ & Illyrici incolis loquitur Farlatus; de iis nempe, qui Romanum Ritum ſive Latino, ſive Slavico ſermone colunt. Quod enim Joannes VIII. Papa Moravis conceſſerat, hoc Slavi omnes in Dalmatia & Illyrico, Latinum Ritum obſervantes, ab illo uſque tempore uſurparunt, I. Dalmatæ & Illyrii poſt Joannis VIII. tempora Slavo-Latinum ritum coluere, & adhuc colunt.

runt, & adhuc usurpant: nulla habita Synodi Spalatensis (in qua Slavicus sermo in Divinis celebrandis vetitus fuerat) ratione, uti supra observavi. Sed neque ii populi (Dalmatæ scilicet atque Illyrii) ad se spectare existimarunt id, quod S. Gregorius VII. Pontifex Maximus in contrarium decrevit lib. VII. Epist. 2. ad Uratislaum Bohemiæ Ducem sic scribens: „ Quia nobilitas tua postulavit, quod secundum Sclavonicam „ linguam apud vos divinum annuerêmus celebrari officium; „ scias, nos huic petitioni tuæ nequaquam posse favere „. Et jure quidem, meritoque: nam Slavi in Svedia, Dania, Saxonia, Germania, Polonia, Bohemia, Hungaria, aliisve regionibus, ubi Episcopos Latinos a Sede Apostolica acceperunt, Latina quoque lingua jussi sunt Divinum celebrare officium, celebrantque usque in præsentem diem, quemadmodum ex doctissimo Hosio Cardinali (*a*) supra adnotatum est. Solis in Dalmatia & Illyrico Slavis concessum ab Jo: VIII. Papa Privilegium integrum inviolatumque mansisse, iidem ipsi Romani Pontifices decrevere. Innocentius IV. lib. 5. Epist. 753. apud Raynaldum in Annal. Ecclesiast. ad ann. 1248. num. LII. *Scemensi Episcopo* permittit, ut in Divinis Officiis, libris Slavonico charactere exaratis uteretur: „ Porrecta nobis [in- „ quiens] tua petitio continebat, quod in Slavonia est litera „ specialis, quam illius terræ Clerici se habere a B. Hierony- „ mo (*b*) asserentes, eam observant in Divinis Officiis ce- „ lebrandis „. En Slavi Dalmatæ, testante Pontifice, pergebant

a Verba Hosii repetere juverit. *Interrogatio*. Nonne verba Decreti Concilii Lateranensis sunt, ut provideant Pontifices viros idoneos, qui secundum diversitatem linguarum & Rituum diversorum populorum, divina illis officia celebrent? *Responsio*. Non ea fuit mens Patrum, qui fuerunt in Concilio Lateranensi congregati. Nam si hoc illi sensissent, jam inde a trecentis & quinquaginta annis (sub hoc enim tempus Concilium illud est habitum) & in Germania, & in Anglia, & in Hungaria, Polonia, Bohemia, Dania, Scotia, Svecia, Norvegia, & in reliquis omnibus Orbis Christiani Regnis usus Latinæ linguæ in divinis officiis intermissus, vel potius abolitus prorsus fuisset, quem tamen citra cujusquam interpellationem, sicut ab initio, ex quo tempore Christi fides in iis terris recepta est; ita post Concilium hoc Lateranense retentum, & ad nostram hanc ætatem usque transmissum ac propagatum esse videmus.

b Falsa hæc Slavorum traditio, inde orta, quod S. Hieronymus Dalmata fuerit, & quod in Dalmatiam advenientes Slavi, fidemque Christianam amplexi, privilegium a Romanis Pontificibus obtinuere, ut Slavice Divina Officia celebrarent. Ceterum literas Slavicas excogitasse Cyrillum, non Hieronymum, res est certo certior.

bant Slavice Officia Divina celebrare. Prosequitur porro Innocentius Quartus: „ Unde ut illis efficiaris conformis, &
„ terræ consuetudinem, in qua existis Episcopus, imiteris,
„ celebrandi Divina secundum dictam literam a Nobis suppli-
„ citer licentiam postulasti. Nos igitur attendentes, quod
„ sermo rei, & non res est sermoni subjecta, licentiam tibi in
„ illis dumtaxat partibus, ubi de consuetudine observantur
„ præmissa, dummodo sententia ex ipsius varietate literæ
„ non lædatur, auctoritate præsentium concedimus postula-
„ tam. Datum Lugduni IV. Kal. Aprilis anno V., *idest Chri-*
„ *sti* 1248.

Matthæus Caramanus Archiepiscopus Jadertinus, in pererudita Dissertatione (*a*) *de lingua Slavica Literali in divinis celebrandis adhibenda*, num. XXXIII. hanc Jordani Traguriensis Episcopi sententiam recitat de permisso Dalmatis in rebus divinis Slavici Sermonis usu: „ Quid vero sit de hac Gregorii (Pa-
„ pæ septimi) negatione, certe apud nos in Dalmatia concessio
„ Joannis VIII. est in viridi observantia: & ubi more Romano
„ divina celebrantur officia, Epistola & Evangelium Illyrico
„ idiomate populo interpretantur omnibus Dominicis diebus
„ & Festivis; nec non in Quadragesima, Vigiliis, & quatuor
„ Temporibus: alibi vero tota Missa & Officia præfato idiomate
„ celebrantur, prout & in multis aliis regionibus.

Franciscus Barbarus Patriarcha Aquilejensis, in Concilio Provinciali (*b*) anno 1596. celebrato, nitebatur pro viribus, usum linguæ Slavicæ in divinis celebrandis abolere: sic statuens: „ Qui Illyricam oram colunt Episcopi, in qua Bre-
„ viarium & Missale lingua Illyrica in usu habetur, curent,
„ ut illa diligenter adhibitis doctis & piis viris, qui Linguam
„ illam calleant, revideantur & emendentur. Optandum
„ tamen esset, ut Episcoporum Illyricorum diligentia sensim
„ Breviarii Romani usus cum Missali item Romano, & Ri-
„ tuali Sacramentorum induceretur: quod efficere pro eorum

a Exstat MSS. anno 1753., hoc titulo prænotata: „ Identità della Lingua Let-
„ terale Slava, e necessità di conservarla ne' Libri sacri. Considerazioni, che si umi-
„ liano alla Santità di N. S. PP. BENEDETTO XIV. da Matteo Caraman Arcivescovo
„ di Zara sopra l' Annotazione del Sacerdote N. N. in ordine alla versione Slava del
„ Messale stampato in Roma l' anno 1741.

b Concil. Labb. Tom. XV. num. 4.

„ pietate ac prudentia non erit ſummopere difficile, ſi junio-
„ res Clericos, & ex Seminarii Scholis ſelectos, qui ſtudio &
„ ingenio magis proficiunt, exercere ſenſim cœperint, & ad
„ opus hoc pium ſtudioſe promoverint.

At vero optatis ejus neque Dalmatæ, neque Romani Pontifices obſecundarunt. Matthæi Caramani verba recito, qui num. XXXI. Liturgiam, aliaque divina Officia Slavico ſermone in *Liburnia* celebrari, teſtimonio Orbini de Regno Slavorum pag. 46. demonſtrat: „ I cui Sacerdoti (*inquit Orbinus*)
„ maſſime degli Slavi della Liburnia, che ſono ſottopoſti
„ all' Arciduca de' Norici, ancor'oggi celebrano la Meſ-
„ ſa, & altri divini offici nella lor lingua nativa, non avendo
„ alcuna cognizione della Latina „ *Et num.* XXXII. idem ipſum in Provincia & Dioceſi Aquilejæ factitatum ſcribit:
„ La Meſſa ſteſſa conſervata nelle quattro Dioceſi dell' Iſtria,
„ Capo d' Iſtria, Città nova, e Parenzo, hanno Conventi
„ del Terzo Ordine di S. Franceſco, li quali con altri della
„ Dalmatia formano una Provincia, che celebra li divini of-
„ ficii in lingua Slava. L'Abbate Paſtrizi numerava nella
„ Dioceſi di *Parenzo*, diecinove Parochie. Ed il Sinodo di
„ quella Chieſa l'anno 1733. pag. 10. coſtituiſce ſette eſami-
„ natori periti per la lingua Illirica. Nella Diœceſi di *Pola*,
„ li Beziachi (*a*) litorali del Seno Flanatico, e nominata-
„ mente Berſez, Muſchienize, Lovrana, Kaſtua, Vepinaz,
„ conſervano la ſteſſa officiatura. Li Veſcovi di *Segna*, e di
„ *Modruſſa*, ſono ſtati il più forte ſoſtegno del Clero Illirico.
„ Nella Catedrale di Segna ſi celebrano li divini offici nella
„ ſudetta lingua „. *Et num.* XXXIII. hunc ipſum ritum in diœceſibus *Nonæ*, *Sebenici*, *Tragurii*, *Spalati*, *Macarſcæ*, *Obſari*, *Vegliæ*, & *Arbæ*, vigere aſſerit: „ L' Abbate Pa-
„ ſtrizi nell' accennato MSS. numera in quella Diœceſi (*di*
„ *Spalatro*) dieci frà Capitoli, e Collegiate, oltre le trenta
„ Parochie della ſteſſa lingua. Nella Dioceſi di *Nona* tutte le
„ Parochie ſono Illiriche, toltene quelle, ove li Parochi ſo-
„ no Regolari. Nella Dioceſi di *Sibenico* ſuſſiſtono due Con-
„ venti del Terzo Ordine di S. Franceſco. Nella Dioceſi di
„ *Za-*

a Dialectus Beziatica, propria eſt Slavorum Hungariæ conterminorum. Theſaurus Polyglottus Hieronymi Megiſeri Tab. V.

„ *Zara*, e nelle tre suffraganee d'*Arbe*, *Ossero*, e *Veglia*, tutti sono Illirici, toltene le Catedrali, e le due Collegiate „ di *Pago*, e di *Cherso*. Vi sono pure otto Conventi del Terzo Ordine „. Anselmus Bandurius Animadversionibus in librum Constantini Porphyrogeniti de Admin. Imp. edit. Paris. pag. 99. exhibet „ Descriptionem status religionis Catholicæ, idest Slavorum Latini ritus, qualiter nimirum in „ Europæ partibus sub Turcorum Dominio habetur, & præsertim in Regnis Serviæ, Bosniæ, Bulgariæ, & in Ducatu „ Sancti Sabæ, Italico idiomate, quo conscripta fuit a Matthæo Gondola Patricio Ragusino, qui primum legatione „ pro patria fuerat Constantinopoli perfunctus, deinde Romæ „: Et pag. 106. subjungit nonnulla adnotata ab Urbano Cerro Sacræ Congreg. de Prop. Fide Secretario circa Slavos hujusmodi in Bosnia, Servia, & Bulgaria habitantes: qui nimirum Romanum Ritum Sermone Slavico observant. Denique Robertus Sala Ord. Cisterciensis, in Vaticana Bibliotheca linguæ Latinæ olim Scriptor, mihi dum viveret in amicitiis conjunctus, in *Observationibus* (*a*) *ad Cardinalis Joannis Bona Rer. Liturgicar. lib.* 1. *cap.* IX. *de variis Ritibus Ecclesiæ orientalis* §. IV. *Quæ gentes lingua Illyrica Missas agant*, p. 152. „ Urbanus VIII. (inquit) Missale Illyricum, emendatum juxta „ Missalis Romani suo jussu paulo ante recogniti emendatio„ nem & reformationes, charactere S. Hieronymi vulgo nun„ cupato, ac lingua (*b*) Slavonica typis edi mandavit: Cu„ jus vestigiis inhærens Innocentius X. successor, Breviarium „ etiam Sclavonicum eodem charactere, & ad formam Bre„ viarii Latini in prædictam linguam impressum approbavit „ anno 1648. ac typis Sacræ Congreg. de Propaganda Fide „ anno 1688. denuo editum est. Eodem vero anno (1688.) „ habita fuit Synodus diœcesana Spalatensis ab Ill. R. D. P. D. „ Stephano Cosmo Archiepiscopo, alias Salonitano, Prima„ te Dalmatiæ, ac totius Croatiæ, cujus Constitutiones Sy„ nodales impressæ postmodum fuere Patavii anno 1690. Pe„ culiare ibi extat caput XXIV. *de Clero Illyrico*, atque hæc „ de eodem inter cætera leguntur: *Cum inter triginta sex*

a Augustæ Taurinorum ex Typographia Regia 1747. Tom. 1.
b Vide me Tom. 1. pag. 116.

„ *Parochias foraneas hujusce diœcesis, octo tantum sint Latinorum, cæteræ Illyricorum, aliqua ex dictis repetemus, plura adjungemus. Sfortia Ponzonius bon. mem. Prædecessor noster anno 1620. Constitutiones eidem Clero præscripsit libello contentas, quas confirmamus, renovamus &c.* Deinde „ post multa salubriter statuta circa eorum habitum ac mores, „ sequentia adjiciuntur num. 12. videlicet „ : *Quoniam peculiari & speciosissimo Sanctæ Matris Ecclesiæ privilegio, in idiomate Illyrico sacra habetur Liturgia, maxima habenda est ratio ejusdem idiomatis probe addiscendi & docendi.* „ Clerici noverint Arbuquidarium (*a*) (Sic vocant Dictionarium, seu vocabularium Illyricum) atque a peritis Sacerdotibus erudiantur, qui in eam præcipue curam incumbent, ut Illyricum Literale, quo Missale, & Breviarium conscripta sunt, perfecte calleant, alioquin sciant, se ad Ordines non promovendos, quum apud Illyricos eadem sit ratio Illyrici idiomatis literalis, quæ apud nos Latini. Nihil addant, aut detrahant in Missa, & quando Epistolam & Evangelium interpretabuntur, id non ex proprio sensu & arbitratu, sed ex Missali quod vocant *Schiavetto*, efficiant. „ Sex Sacerdotes peritiores in Provincia Politii deputentur, / „ qui alios Sacerdotes in perfecta Missalis & Breviarii, & in „ Sacrarum functionum administratione observent, examinent, & corrigant. Hæc, & alia in dicta Synodo Spalatensi pro Clero Illyrico constituta leguntur: ex quibus dignoscitur Clerum illum in divinis celebrandis Officiis, ac Missa, non in alio discrepare a Romano Ritu, quam in lingua Illyrica seu Sclavonica Literali, non omnibus tamen nota, & a vulgari distincta ac diversa, qua sacra omnia „ peragunt.

II. Slavicam linguam literalem, non Illyricam vulgarem, in rebus divinis adhibendam esse.

Ac propterea vel hujus Synodi Spalatensis testimonio perspicuum redditur, id quod in altero, de quo supra dixi, Spalatensi Concilio decretum fuerat, nequis scilicet divina Officia Slavonico Sermone in posterum celebrare præsumeret, aut ad Cathedralem Spalatensem restrictum fuisse, in qua Latinus Ritus Latino quoque sermone dumtaxat coleretur: aut si de tota

a Leg. *Azbuchidarium*, ideft Abecedarium, seu Lexicon.

tota ejus Diœcesi intelligebatur, non modo executioni non fuisse demandatum, sed etiam per alteram Spalatensem Synodum abolitum & abrogatum. Simulque ex dictis ostenditur, jure meritoque ab eruditissimo ac religiosissimo Matthæo Caramano Archiepiscopo Jadertino confutatam ac censoria virga notatam cujusdam Neoterici Sacerdotis scriptiunculam, qua in eundem Caramanum invehitur, quod in nupera Missalis Slavonici editione, quæ anno 1741. typis Sacræ Congregationis de Propaganda Fide prodiit, Literalem Slavicum Sermonem præ vulgari Illyrico adhibuisset. Aperta enim sunt Synodi verba „ ut Illyricum Literale, quo Missale & Breviarium con„ scripta sunt, perfecte calleant... quum apud Illyricos ea„ dem sit ratio Illyrici idiomatis Literalis, quæ apud nos La„ tini „. Ac proinde doctus commentator hujusce Spalatensis Canonis recte concludit „ Clerum illum Illyricum in divinis „ celebrandis Officiis, ac Missa, non in alio discrepare a Ro„ mano Ritu, quam in Lingua Illyrica seu Slavonica Literali, „ non omnibus tamen nota, & a Vulgari distincta ac diversa, „ qua sacra omnia peragunt „. Quamobrem Andreas Zma„ jevich (*a*) Archiepiscopus Antibarensis, & Diocletanus, ac Serviæ Primas, (apud eundem Caramanum in laudata Dissertatione num. LXXIV.) in epistola ad Abbatem Pastritium data 15. Maji anno 1689. „ Lingua (inquit) Illyrica Missalis & „ Breviarii Romani, ut & cæterorum Ecclesiasticorum Libro„ rum nationis Illyricæ Græci Ritus, sicut antiquitus fuit, „ modo non est Vulgaris apud Dalmatas, Servios, Bosnen„ ses, Bulgaros, Valachos, & Moldavos, qui omnes eam „ Literalem appellant „. Idem ipse Pastritius in MSS. Adnotationibus ad novam Breviarii Romani editionem, quæ anno 1688. lucem vidit, fatetur, Slavonicam Literalem linguam in omnibus sacrarum Scripturarum codicibus, necnon in Libris Ecclesiasticis, quibus Russi utuntur, accurate servari, eandemque a Vulgari sermone diversam: proinde quum sua ipsius opera ad emendationem Breviarii Illyrici jam anno 1648. impressi

a Hic Archiepiscopus sermone vulgari Illyrico Annales Ecclesiasticos scripsit ab orbe condito ad suam ætatem, *Latine*, & *Illyrice* charactere Cyrilliano. Qui MSS. servantur in Biblioth. Sacræ Cong. de Prop. Fide, cum hac Adnotatione: „ Anno 1694. 28. Septembris. Joannes Pastritius. Imprimatur Fr. Thomas Maria Ferrari Magister Sacri Palatii Apostolici.

preſſi requireretur, opus fuiſſe ait, ut ad Ruthenicæ Eccleſiæ codices confugeret, atque ex illis Literalem Slavonicam linguam addiſceret. „ Puer fere ſeptennis (inquit) (*a*) e pa-
„ tria exivi Venetias, & Romam deinde pedem tuli fixique.
„ Dumque animum pro viribus excolere ſatago, ut mihi præ-
„ cipue, cæteris vero, ſi fata vellent, poſſim prodeſſe,
„ eam ſuperi mihi occaſionem in manus contulere, & in hoc
„ Urbano Collegio de Propaganda Fide, ubi ex omni fere
„ natione Alumni ad Catholicæ Fidei defenſionem armantur,
„ ex munere non uni provinciæ aut regno, ſed univerſis,
„ quod potiſſimum eſt, ſuppeditem, ſcilicet, dogmata ſanæ
„ Fidei Romanæ atque Apoſtolicæ: imo & præter Lectiones
„ Cathedraticas, collationibus Academiæ in Concilia univerſa
„ dem operam, ad quam qui extra ſunt tum doctrina, tum
„ gradibus conſpicui, ad provehendam ſacræ eruditionis ac
„ diſciplinæ Eccleſiaſticæ laudem confluunt. Itane cæteris
„ Provinciis, inquam, ubi Religio peſſum datur, manus mea
„ tenuem operam feret; meæ vero Dalmatiæ, ubi floret Re-
„ ligio, nullam? Characteres enim, quos vocant *Sancti Hie-*
„ *ronymi*, a teneris annis noveram; ſed ad quinquageſimum
„ ſecundum annum fere obſoleta notitia cariem induxerat.
„ Unde renovare lectionem & peritiam oportuit, & typis in-
„ hærere, ut quod in priori erat (*b*) impreſſione, fideliter
„ recuderetur. Quum vero ad officia (*c*) Propria Sancto-
„ rum perventum eſt, ibi ex penu proprio depromenda erat
„ mate-

---

a Apud Caramanum n. LIX. Paſtritius patria Spalatenſis, obiit Romæ XIII. Kal. Aprilis anno 1708.

b Deſignat impreſſionem Breviarii Romani Slavonici, peractam anno 1648.

c Idem Paſtritius in epiſt. ad Præſules Dalmatiæ qui impreſſum olim anno 1648. Breviarium Romanum Illyricum, iterum typis evulgari rogaverant, ſic ſcribit. „ Quum „ vero iterum ob defectum exemplarium, novam veſtra pietas expoſceret a S. Con- „ greg. de Propaganda Fide impreſſionem, novum debebat Levacovich (*qui ſcilicet* „ *editionem anni* 1648. *curaverat*) revocare: ab illo enim tempore 1648. ad „ hoc 1688. XXI. Officia nova de Præcepto, XII. ad Libitum creverunt. Præterea quum „ eſſent olim ad Libitum, de Præcepto eſſe cœperunt, & novas requirunt Rubri- „ cas. Quis enim Typographiæ correctioni operam navaret? Quis verſionem medi- „ taretur priſtinæ conſentaneam? Placuit tandem Eminentiſſimis Dominis, veſtris „ petitionibus fieri ſatis, & opus aggredi qualecumque illud eſſet pro temporis con- „ ditione, panem ſi non nitidum, qualemcumque tamen eſurientibus frangere. „ Mihi hanc ſpartam, poſt inceptum ab alio quoque Spalatenſi ingenioſo ac docto vi- „ ro laborem, texendam dedere, repugnantibus meis curis. Suppoſui tamen rogatus „ humeros, ne penitus opus collaberetur „. Apud eund. Caramanum num. XLII.

,, materies . Sed ubinam expiscanda ? nimirum videbatur
,, (*videbar mihi*) intelligere quod dicebam. At vere ne in
,, Literalem dialectum, hoc opus, hic labor erat. Neque in
,, Dalmatia tota erat qui nosset. Consului, ut potui, per
,, Rubricas emendando ad calcem Breviarii Officia Propria, &
,, interim quærere modum, ut si fieri posset, regulas Gram-
,, maticæ mihi elicerem & vocis. Longus tamen labor & in-
,, certus. Adjumento non modico fuit antiqua Ruthenorum
,, characterum peritia, quoniam in illis expressa sunt quæcum-
,, que Literali sermone a Ruthenis Slavis recitantur in Officiis
,, & Missalibus, imo quævis Scripturæ sacræ eloquia, Sancto-
,, rum Patrum, & Auctorum monumenta in Slavonica lingua
,, leguntur. Animadverti itaque nostram Breviarii linguam
,, concordare penitus Ruthenicæ in libris sacris: characteres
,, ipsos in sua varietate a scribendi modo Ruthenorum pen-
,, dere, & propterea a Græca lingua multa trahi; adeo ut
,, Græcam primum, tum Ruthenam, & sic Slavonicam in
,, Breviario possem ac deberem habere perspectam. Nec
,, defuit aliud numinis subsidium. Rutheni duo Alumni in
,, sua lingua docti Sacerdotes Grammaticam (*a*) Slavoni-
,, cam typis editam exstare retulere. Sed frustra expecta-
,, runt ex patria. Itaque coactus sum longum subire laborem
,, in interrogando ab eis quæ ad rem meam fieri videbantur.
Hæc

a Meletius Smottriski monachus Basilianus Rothenus edidit Vilnæ anno 1619. *Grammaticam Slavicam*, quæ postea *Moscuæ anno* 1721. impressa fuit. Eadem Grammatica biennio post in compendium redacta, typis prodiit, hoc præfixo titulo:
,, Grammatica Slavonica breviter collecta, in Græco-Slavonica Schola, quæ est in
,, magno Novogrodo apud domum Archiepiscopalem ,, . Lexicon insuper Slavonicum, jussu Petri Russorum Czari, a Stephano Javorski Razanensi Metropolitano, & Raphaële Krasnopolski Rectore Scholæ Slavo-Latinæ Moscuæ, & a fratribus Lichudis Cephalenensibus monachis, anno 1704. compositum Latine, Græce, & Slavonice, hunc præfert titulum: ,, Dictinoariom Trilingue. hoc est, dictionum
,, Slavonicarum, Græcarum, & Latinarum Thesaurus, ex variis antiquis ac re-
,, centioribus libris collectus, & juxta Slavonicum Alphabetum in ordinem disposi-
,, tus ,, . Quo in Lexico, de Linguæ Slavonicæ præstantia in epistola ad Lectorem
,, hæc leguntur. ,, Tres linguas narrat sacra pagina fuisse in Cruce Salvatoris nostri
,, Christi Domini, Hebræam, Græcam, & Latinam. Mysterium certe latuit in hoc
,, Trilinguio. Nam Hebræa lingua est lingua sacra: Græca lingua est lingua sapien-
,, tiæ: Latina lingua est lingua Imperii. His igitur tribus linguis Titulus Christi cru-
,, cifixi constabat, ut innueretur, eum esse unum de Trinitate: ac per linguas Ver-
,, bum æternum significari: per Hebræam, Sanctum Sanctorum: per Græcam, Pa-
,, tris æternam sapientiam: per Latinam, totius universi Imperatorem, credi debe-
,, re ac.

Hæc Paſtritius de Literali Slavonica Lingua, in qua, Levacovichi Achridenſis Archiepiſcopi exemplo, conatus eſt editionem Breviarii Romani pro viribus reformare: nam antiqua manu ſcripta Illyrico ſermone Breviaria, quæ in Bibliotheca Collegii Urbani de Propaganda Fide ſervabantur, idem ipſe Paſtritius teſtatur, pluribus mendis eſſe referta: Sic enim in laudata ad Archiepiſcopos & Epiſcopos Dalmatiæ Epiſtola (*a*) ſcribit: „ Illud ſane veſtra ſapientia, veſter in Eccleſia„ ſticam diſciplinam fervor, neceſſarium ſimul ac deſtitutum „ opus deploravit non ſemel, Breviarii Illyrici Romani no„ vam impreſſionem. Noſtis optime, neminem eſſe, qui „ eam loquendi rationem calleat; ex uſu tamen aliqua ſcire, „ quæ ad vertendum ex Latinis Officiis in Slavonicum non ſuf„ ficiunt, quum & artis Grammaticæ Regulæ & vocabula Sla„ vonicæ linguæ ſint neceſſaria, nec non alia complura. Mi„ ror ſane tot ſæculis ſqualluiſſe noſtras regiones in præcipuo „ coronæ noſtræ radio, nempe in Literali Dialecto. Quoties „ enim antiqua manuſcripta pervolvi (*b*) Breviaria, tot er„ roribus conſperſas lineas, & in Orthographia, & in Gram„ matica reperi, ut ſtomachum mihi moverit, nullibique me„ liorem loquendi formulam, quam in impreſſo Breviario Ro„ mæ in Typographia Sac. Congreg. de Prop. Fide 1648. con„ ſpexi; multamque & æternam gloriam mereatur vir ille „ eximius P. Raphaël Levacovich Croata Ord. S. Franciſci de „ Obſervantia, merito ad Achridanum Archiepiſcopatum „ eve-

---

„ te ac prædicati. Placuit etiam nobis myſterioſam illam imitari normam, & ad „ majorem gloriam tribus linguis celebrati nominis Chriſti crucifixi, nec non ad „ publicam utilitatem, Trilingue hoc Lexicon typis evulgare. Equidem duæ lin„ guæ, Græca ſcilicet & Latina, meræ ſunt Crucis Chr. notæ. Pro tertia vero lingua „ Hebræa, noſtram ſubſtituimus Slavonicam, matrem certe multarum Linguarum „ fæcundiſſimam. De hac enim, ceu de fonte irriguo, tot alias profluxiſſe Linguas, „ videlicet, *Polonicam*, *Bohemicam*, *Serbicam*, *Bolgaricam*, *Lithuanicam*, *Ruſſicam*, „ cæteraſque permultas, nemo eſt qui ignoret. Accedit ad augmentum ſplendoris „ Linguæ noſtræ Slavonicæ, quod ipſiſſimam habeat pro origine *Gloriam*. Nam quod „ eſt Græcis δόξα, Latinis *Gloria*, hoc nobis eſt CAABA: indeque per nominis etymum „ ab hoc nomine, *ἀπὸ τῆ σλάβα*, *Slavonica* & Gens, & Lingua ortum ſuum glo„ rioſiſſimum deduxere „. Lexici hujus Trilinguis meminit Jacobus Lelong in Bibliotheca ſacra Pariſ. ann. 1723. Tom. 1. pag. 435. Articulo VI. de Bibliis Slavicis, ubi illud ait impreſſum in 4. Moſcuæ 1704.

a Apud Caraman num. XLI.

b Exſtant in Bibliotheca Collegii Urbani, *duo Breviaria* mss. & tres *Miſſales libri*, Illyrico charactere & ſermone, de quibus mox ſermo erit.

,, evectus: immensum enim laborem subiit in vertendo fere ,, toto Breviario Romano, ac fere magna ex parte Missali: ,, & ubique, quod mirum est, servando proprietatem voca- ,, bulorum, & Grammaticam literalis locutionis.

III. Discrimen inter Slavicam linguam Literalem, & inter Vulgarem. Et quot sint linguæ vulgaris dialecti.

Quæ omnia huc congerere volui, ut palam facerem, testimonio doctissimorum virorum, *Slavicam linguam literalem*, qua temporibus SS. Cyrilli ac Methodii, omnes Slavi utebantur, in quam ab eodem Cyrillo Sacræ Scripturæ sunt conversæ, in qua a Methodio divina Officia, permissu Joannis VIII. Papæ, ut supra dictum est, celebrabantur, quæ demum in libris sacris & officiis Ecclesiasticis a Russis, seu Græco-Moschis ad hunc diem usurpatur, *Slavicam*, inquam, *linguam literalem* processu temporis apud diversos ejusdem Slavicæ gentis populos ita mutatam fuisse, ut in infinitas propemodum dialectos sit dissecta: ,, Hac enim [ut loc. supra cit. Hosius Cardi- ,, nalis recte observat] Hac Slavica lingua utuntur & Bohemi, ,, & Moravi, & Cassubi, & Russi, & Moschi, & unde nos ,, originem duxisse putamus, [*Poloni scilicet*] Slavi, Sve- ,, tii, Dalmatæ, Boznenses, Croatæ, Bulgari, Rasciani, Ser- ,, bi, & aliæ gentes nonnullæ. Ceterum sic inter se nationes ,, hæ dialectis variant, ut minus etiam *Slavum* aut *Dalma-* ,, *tam Polonus* intelligat, quam Holandum aut Burgundum ,, Svevus aut Helvetius ,,. Ab hac quippe vulgari lingua Slavorum populorum, quorum nomina Angelus Roccha in Bibliotheca Vaticana pag. 320. ordine alphabetico recenset, diversam esse Literalem, idem auctor docet: ,, Extat [inquiens] ,, altera valde adsimilis, & fere eadem, quæ *Scripturalis* vel ,, *Literaria* nuncupari potest, *Buchuiza* a Slavis dicta, quæ ,, nonnisi per regulas disci potest, & a rudioribus absque re- ,, gulis non recte intelligitur, nec recte pronunciatur. In ,, hanc linguam a S. Hieronymo Scripturam (*a*) Sacram Scla- ,, vonicis literis, & a S. Cyrillo Servianis characteribus trans- ,, latam fuisse credendum est. Id quod etiam de Missali, de

a Communis est Angeli Rocchæ cum aliis neotericis error, de Scripturis Sacris a S. Hieronymo Slavice translatis. Confundit characteres duos, quorum unus Hieronymianus vocatur, alter Cyrillianus, cum versionibus, ut putat, duabus Sacræ Scripturæ, quarum una ab Hieronymo Slavonicis Dalmatarum literis sit elaborata, altera Servianis sive Græco-Moschis a S. Cyrillo. Sed de unico antiquo Scripturarum Slavicarum interprete alibi sermo erit.

„ Codice Horario, deque aliis Sclavorum libris dicendum „ puto „. Si quis vero ſcire aveat, in quo ſitum ſit diſcrimen inter linguamSlavicam literalem,& inter alias ejuſd. linguę dialectos, conſulat *Bibliothecam Sacram cl. Jacobi Le Long Pariſini*, *Congregationis Oratorii Presbyteri*, *& Bibliothecæ Domus Pariſienſis Præfecti*, qui Tom. I. Art. VI. a pag. 435. *De Bibliis Slavicis, ſive quæ ab idiomate Slavo habent originem*, fuſe diſſerens, enumerat, *Sectione* I. Libros ſacros tum Slavico Literali ſermone conſcriptos, tum editos lingua Illyrica ſeu Serviana, & Carniolana. *Sectione II.* Biblia *Bohemica*. *Sect. III.* Biblia *Polonica*; a Catholicis, a Proteſtantibus, & a Socinianis vulgata. *Sect. IV.* Biblia *Ruthenica*, ſeu *Moſcovitica*. *Sect. V.* Biblia Slavica Dialectis *Carniolana*, *Croatica*, *Venedica*, *Sorabica*, *& Vandalica*: quarum Dialectorum omnium ſpecimen habes apud eumdem Le Long pag. 437. in Oratione Dominica, quæ ab ipſo ſic exhibetur: „ Oratio Dominica tredecim Dialectis diverſis linguæ Slavonicæ, ſcilicet, „ Cyrillica, Bulgarica, Dalmatica, Croatica, Sclavonica, „ Polonica, Vandalica, Luſatica, Moſcovitica, Carniolica, „ Novazemblica, & Valachica: expreſſa & relata ab Andrea „ Relando ad calcem Partis III. Diſſert. Miſcell. 8. Trajecti „ 1708. & excepta ex Tom. 2. Operis Germanici Jo: Weichardi „ Valvaſoris, editi in fol. 4. vol. Ærnonæ Pannoniorum 1689.

IV. Conſtitutio Sanctiſs. D.N. BENEDICTI XIV Papæ, ut omnes Eccleſiaſtici, qui Ritum Slavolatinum colunt, in Miſſis, & Divinis Officiis utantur ſolo idiomate Slavico Literali.

Ex his enim apparet, primo, *Slavicam literalem linguam* eam eſſe, in qua *Biblia Sacra*, & *Officia Divina* (*a*) a Ruſſis Græci ritus leguntur: ex qua proinde reliquæ Dialecti profluxere. Secundo apparet, eamdem ipſam Slavicam Literalem linguam a Summis Romanis Pontificibus indigitari, dum Dalmatis Illyriiſque [& ante hos Slavis Moravis] uſum ſermonis Slavici in Divinis juxta Ritum Latinum celebrandis conceſſere. Id quod tum ex hactenus dictis perſpicuum ſit; tum manifeſtum faciunt Diplomata *Urbani VIII.* & *Innocentii X.*

a Jo: Herbinius in Religioſis Kiovienſibus Cryptis, Jenæ 1675. pag. 161. lingua Slavonica eſt mater Ruthenicæ, Polonicæ, Vandalicæ, Moſcoviticæ, Bohemicæ, Croaticæ, Illyricæ: nec non Bulgarorum, Valachorum &c. quæ omnes a matrice Slavonica, tamquam a lingua ſua cardinali enatæ, filiales dicuntur; inter ſe tamen, ut ſunt rerum viciſſitudines, nonnihil differentes. Nihilominus Biblia veteris & novi Teſtamenti, nec non Rituale, ſive εὐχολόγιον, Ruthenis Trebnik dicitur, aliique libri ſacri paſſim in Templis leguntur publice & privatim: mater autem hæc Sclavonica.

tii X. quibus *Missale* & *Breviarium* Illyrico sermone, idest Literali Slavonico, edenda jubentur, editaque probantur, ut infra dicturi sumus. Sed nullum hac de re amplius ambigendi, aut cavillandi locum morosis Dialectorum vulgarium fautoribus relinquit Sanctissimus Pater & Dominus noster BENEDICTUS PP. XIV. qui quum accepisset, sive Dalmatica, sive Bosnensi, aut Serviana Dialectis Ritum Slavo-latinum nonnullos colere, aut coli fas esse affirmare; edita sapientissima Constitutione præcepit: „ Ut omnes Ecclesiastici Ritus Slavo-Latini, in Missis, & Divinis Officiis utantur solo idiomate Slavo Literali cum characteribus Hieronymianis „. Placet verba Sapientissimi Pontificis huc referre.

„ BENEDICTUS Episcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Ex pastorali munere, quo Romani Pontifices Catholicæ præsunt Ecclesiæ, eamque moderantur, consueverunt Prædecessores nostri vigilem navare curam, ut in Sacris peragendis, suos unaquæque Natio legitime invectos Ritus religiose custodiat, ejusque idiomatis uniformitatem retineat, quo illius respective Majores in Missæ Sacrificio, Divinisque Officiis usi dignoscuntur; prohibentes ne quid a prisca lingua, vulgaribus licet dicendi formulis immutata, deflectatur, omnemque adhibentes operam, ut abusus procedentibus temporibus inolescentes eradicarent. Cum itaque ex fide dignorum testimonio acceperimus, in Ritum Slavo-latinum, quem felicis recordationis Prædecessor Noster Jo: Papa VIII. fideli ac religiosæ Nationi Illyricæ, una cum idiomate, quod nunc Slavum literale appellant, & characteribus, quos Hieronymianos dicunt, adhibendum concessit, & successivis temporibus recolendæ memoriæ Prædecessores pariter Nostri Urbanus VIII. & Innocentius X., dum Missale, & Breviarium eodem idiomate, & characteribus excudenda typis traderentur, iteratis vicibus confirmarunt; nonnullos irrepere abusus, Apostolicæ Sedis intentionibus institutisque contrarios, perniciosa aliquorum libertate, qui audent Missas, insertis Orationibus & precibus Slavo vulgari sermone conscriptis, componere, Initium quoque Evangelii secundum Joannem, & Psalmum *Lavabo*, eadem vulgari lingua, latinisque Characteribus impressa, nulla desuper a No-

„ bis facultate & approbatione præobtenta, sibi, aliisque Sacer-
„ dotibus legenda proponere: Idcirco ne hujusmodi abusus, qui
„ eumdem Ritum miscere ac turbare facile posset, latius pro-
„ grediatur; postquam aliis Nostris editis Constitutionibus, ni-
„ mirum quinquagesima septima, cui initium: *Etsi pastoralis*,
„ & octogesima septima incipiente, *Demandatam cœlitus*, quæ
„ extant in Bullarii Nostri Tom. 1. p. 167. & 290. Græcorum
„ Rituum conservationi, & integritati, pro Italo-Græcorum,
„ & Græco Melchitarum Nationibus, abunde providerimus;
„ eamdem nunc sollicitudinis Nostræ curam ad Illyricam Na-
„ tionem convertentes, suprema qua fungimur Apostolica au-
„ ctoritate, volumus, præcipimus, atque mandamus, ut Ec-
„ clesiastici omnes & Sacerdotes tam Seculares, quam cujuscum-
„ que Ordinis, aut Instituti Regulares, qui Ritum Slavo-lati-
„ num profitentur, in Augusto Altaris Sacrificio, & in Horis
„ Canonicis, aliisque divinis Officiis persolvendis ac obeundis,
„ Missalia, Tabellas, & Breviaria Characteribus Hieronymianis
„ impressa typis Congregationis Propagandæ Fidei, quæque
„ imposterum ibidem imprimentur, non sine præviis opportu-
„ nis revisionibus, & approbationibus, aliisque diligentiis hucus-
„ que adhibitis & deinceps adhibendis a Viris doctis, & Slavo-
„ latinum idioma, ac Hieronymianos Characteres apprime cal-
„ lentibus, quemadmodum per plura anteacta sæcula ab Illy-
„ rico Clero servatum studiose fuit, ita deinceps omnino adhi-
„ bere debeant, & teneantur: utque in posterum nemo ex præ-
„ dicto Clero, in Missis celebrandis, aut in divinis Officiis per-
„ solvendis, Orationes & Preces, quæ nostra, & Apostolicæ
„ Sedis auctoritate examinatæ non fuerint, & approbatæ, reci-
„ tare, aut quoquo modo adhibere audeat, seu præsumat. Quo-
„ circa Venerabilibus Fratribus Nostris Archiepiscopis, & Epi-
„ scopis, in quorum Diœcesibus Ritus Slavo latinus viget,
„ committimus atque injungimus, ut pro zelo & sollicitudine,
„ qua tenentur concreditis sibi Ovibus præesse & Sacrorum
„ Ecclesiæ Rituum integritati advigilare, sedulam exactamque
„ hujusce Nostræ voluntatis ac districti Præcepti executionem
„ curent atque urgeant, ac novitates omnes, irreptosque quos-
„ libet abusus eliminent, adhibitis efficacioribus remediis a
„ Sacris Canonibus in pervicaces & refractarios indictis, simi-
„ lia

„ lia verò successivis temporibus attentari minime patiantur. „ *Cetera*. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo septingentesimo quinquagesimo quarto, Decimo octavo Kalendas Septembris, „ Pontificatus Nostri Anno quartodecimo.

V. Cur Literalis lingua præ vulgari in sacris adhibenda.

Huic Pontificiæ Constitutioni prævivit Sacra Tridentina Synodus, quæ Sess. XXII. cap. VIII. can. IX. præcepit, ut „ retento ubique cujusque Ecclesiæ antiquo, & a S. Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum matre & magistra probato Ritu, „ Missa vulgari passim lingua non celebraretur „. Causam sapientissimi hujusce Canonis reddit Eminentissimus Bona Rer. Liturgicar. lib. I. cap. V. §. IV. *Cur Lingua vulgo ignota Ecclesiasticæ functiones peragantur*, inquiens: „ Fert hoc rerum „ humanarum vicissitudo, ut Linguæ vulgares mutationibus (*a*) subjectæ sint, vel quia corrumpuntur alterius nationis commercio, vel quia provinciæ in extraneorum Principum dominium transeunt, qui proprias leges & mores & „ linguam in eas introducunt.... Ut autem Religio adversus „ hujusmodi mutationes inconcussa maneat, semper & ubique „ orthodoxa Ecclesia vetus idioma in divinis officiis retinuit, „ id exigente sacrarum rerum dignitate & majestate, ut nihil „ in iis immutetur, nihilque erroneum aut impurum in eas „ irrepat: quod facile contingeret, si eas ab antiquo sermone, „ quo ab Apostolis & Apostolicis viris traditæ sunt, in alium „ recentiorem, vel a primævo diversum transferre liceret. „ Quod si Græca, & Latina lingua conservatæ olim non essent, „ & usque ad nos propagatæ propter necessarium earum usum „ in sacris functionibus, jam inutiles nobis forent veterum „ Conciliorum Canones, Antiquorum Pontificum Constitutiones, Sanctorum Patrum, & aliorum lucubrationes Græco vel Latino sermone exaratæ, quia nec eas legere, nec intelligere possemus „. Idem ipsum dicendum de Libris sacris, deque Patrum lucubrationibus Syriacis, Armenicis, Copticis, Æthiopicis, Slavonicis. Græci, Syri, Armeni, Copti, Æthiopes, Slavi (*b*), quamquam eorum linguæ desierunt esse communes & vulgares, non alio tamen, nisi vetere, quod ab initio

a Vulgares linguæ in singulas fere ætates mutationem subeunt.
b Russi nimirum, antiquorum rituum tenacissimi.

initio habuerunt, idiomate divina officia celebrant. „ *Concludendum igitur* [ut verbis utar SS. D. N. BENEDICTI Papæ XIV. *de Sacrof. Missæ facrificio* lib. 2. cap. 2. pag. 68. (*a*)] *conftantem firmamque difciplinam effe*, *ne Missæ* [divinorumque officiorum] *idioma mutetur*, *etfi mutet lingua vernacula*; *fed eo fermone Miffa* [cum divinis Officiis] *celebretur*, *quo celebrata eft ab initio*, *etiamfi ea lingua exoleverit apud vulgus*, *ejufque peritiam viri docti dumtaxat habeant*.

VI. Breviaria & Miffalia manufcripta, Slavico fermone, ritu Latino.

Nunc ad *libros Ecclefiafticos*, quibus Dalmatæ & Illyrii Latino ritu utuntur, eft fermo convertendus. Et primo quidem de *manufcriptis* agendum. Caramanus fæpelaudatus numer. XXXIV. de *Miffalibus* & *Breviariis* Slavico fermone & charactere, ut vocant, Hieronymiano confcriptis, hæc a fe vifa refert in Dalmatia. „ 1. In Ecclefia Collegiata S. Michaëlis [inquit] quæ una eft ex fex Collegiatis, ex quibus unacum Cathedrali conflatur Capitulum Jadertinum, duo exftant MSS. Codices, Miffale fcilicet, & Breviarium Romanum lingua Slavica literis Hieronymianis: & in Breviario quidem adnotatum legitur charactere recentiori: *Knaciza Clericus anno* 1412. *die* 18. *Decembris Acolytatum*, *quartum Ordinem*, *fufcepit*. II. Apud Patres Tertii Ordinis S. Francifci, Jaderæ degentes, fervantur Fragmenta Miffalium & Breviariorum: quorum unum hanc exhibet Adnotationem: *Scripfit Michael*, *cui terra mater*, *fepulcrum domus*, *opulentiæ peccata*, *anno* 1443. III. vetuftiffimum eft Breviarium Ecclefiæ Sale, quæ & Pifuch dicitur, in Diœcefi Jadertina in Infula, cui nomen Groffa, e regione Firmanæ urbis. IV. Non minus antiquum eft Fragmentum alterius Breviarii in Ecclefia S. Michaëlis de Zaglava, conventus Tertii Ord. S. Francifci, in quo ad diem 14. Febr. recolitur officium SS. Cyrilli & Methodii.

At vero Romæ in Bibliotheca Collegii Urbani de Propaganda Fide, extant MSS. duo *Breviaria*, & tria *Miffalia*.

Primum *Breviarium* ante annum 1387. exaratum pro *Ecclefia S. Joannis* de *Tribihovichi*, & *Krughla*, fub *Joanne* Ve gliæ,

---

a Romæ 1748. typis Palearinis.

Vegliæ, Gazkæ, & Segniæ Principe, & *Joanne Batrich* Krughlæ, atque *Ulchano Racik* Tribihovichi Procuratoribus. Ibi legitur hæc nota: „ Anno Dom. 1387. Fabianus, cui mater „ terra, peccata divitiæ, & sepulcrum patria, scripsi hanc Ru- „ bricam, non autem hunc Librum „. Altera Adnotatio legitur de Carolo III. Rege ab Hungaris interfecto: Tertia demum de hoc Breviario a Turcis anno 1487. capto, & a Krughlianis & Tribihevicianis redemto.

Breviarium secundum post annum 1389. conscriptum: nam Kalendario subjungitur *Officium Visitationis Deiparæ* cum Octava & Hymnis propriis: Octava autem incipit: *Bonifacius Episcopus Servus Servorum Dei &c.* ubi Raphaël Levacovichus hanc notam apposuit: „ Ex hac Epistola Bonifacii Papæ IX., „ qui Urbano VI. successit, colligitur, Breviarium hoc scri- „ ptum fuisse post annum 1389., quo eadem data est. Ex „ ejusdem quoque Translatione apparet, in Dalmatia *Regis* „ vocabulum tum per *Czar*, tum per *Kral*, interpretatum, „ tempore quo Translatio hæc facta est: atque ita saltem pars „ hæc scripta fuit non ante annos 253. quo tempore jam Lin- „ guæ Slavonicæ puritas corrumpi, depravarique cœperat „. Post Octavam Visitationis in Calendario sic legitur: 1481. *mense Febr. die* 15., *quando venit Verbenicum Dominus Ludovicus Rhodo cum tribus militibus*: & ad diem 7. Januarii: 1533. *quando cœpit ædificari turris campanaria in Verbenico*. Ex quo colligitur, id Breviarium olim pertinuisse ad Ecclesiam Verbenici, pagi in insula Veglensi siti.

Missale primum videtur ante annum 1387. exaratum: nam in Calendario desideratur Festum Visitationis Deiparæ. Ibi legitur hoc Joannis Frangipani decretum: „ Noi Giovan- „ ni Frangipani Prencipe di Veglia, e di Modrusa &c. Faccia- „ mo sapere a tutti, ed a cadauno, ove sarà bisogno sapere, „ questa nostra deliberazione, la quale abbiamo deliberata „ per incremento nostro, e del nostro stato, che abbiamo de- „ liberato, e deliberiamo doversi per tutti li castelli della no- „ stra Isola celebrare una Messa in Aurora ogni giorno a gloria „ di Dio, e che a titolo di tale celebrazione abbiamo dato, e „ diamo alli nostri Capellani in Castel-Muschio [*detto in lin-* „ *gua Illirica Omisćial*] presenti, e futuri, primieramente le

„ terre,

„ terre, tutto quello che è nostro sotto Gradez d' inanzi Castel Muschio, che siano del suddetto Capitolo con perpetuo „ diritto. E di più a' medesimi abbiamo aggiunte di nostre pecore centinaja tre, di capre dieci. 1470. nel mese di Novembre „. Porro ex Inventario rerum mobilium, quæ anno 1475. jussu ejusdem Principis Joannis Frangipani Veglam missæ sunt, fol. ult. colligitur, præter Missalia Illyrica, etiam sacra Biblia extitisse.

Alterum *Missale*, quod in supra memorata Bibliotheca servatur, sic incipit. „ In nomine Jesu Amen. Anno Domini 1435. Principium Missalis secundum legem Romanæ Curiæ „. Ante Canonem hæc leguntur: „ Hoc scripsit Presbyter Marcus Presbytero Blasio in Obrovo Capellano sancti Georgii itidem in Obrovo viro probo & Visitatori Domini Episcopi Domini Natalis. Tunc autem Dominus Natalis subjecerat totam Diœcesim Licanam sancto Anselmo per sæcula sæculorum. Tali quoque tempore Domini Mogorovichi dederunt Zupaniam sancto Joanni super monte, omnes simul, pro suis peccatis, & pro suorum mortuorum animabus. Scripsi autem hoc quaternum sacrum in Luca [*valle*] apud sanctum Lucam anno 1441. „ Caramanus n. XXXVIII. subjicit hanc Adnotationem: „ Sanctus Anselmus, Titularis est Cathedralis *Nonæ*, cujus in Diœcesi posita est arx, hodie nuncupata *Obrovazo*. In confinio hujus arcis, inter *Novigradum* & *Nonam*, jacet territorium nomine *Luka*, ubi hæc habentur in memoriali Pauli de Paulo apud Jo: Lucium de Regno Dalmatiæ pag. 424. col. 1. de Maria Ungariæ Regina: „ 1387. die 4. mensis Junii de mane Serenissima Princeps, & Domina nostra naturalis, Domina Maria Regina Ungariæ, liberata fuit a captivitate, & exivit de castro *Novigrad*, in quo detinebatur: & die Veneris sequentis ivi ad eam *Nonam*: & die crastina, sabbati die, locutus fui majestati suæ; & die Lunæ immediate recessi a *Nona*, licentiatus ab ea „. Apud eundem Jo: Lucium de Regno Dalmatiæ pag. 254. col. 2. eadem Regina, postquam e carcere Novigradi evasit, dicitur hanc epistolam Thomæ Sovich legato suo dedisse: „ Nos Maria D. G. Regina Ungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. vobis fidelibus nostris dilectis Comitibus civi-

„ tatum

„ tatum noſtrarum, Sibenici, Spalati, & Tragurii, ſalutem „ & gratiam ... Datum Lukæ in villa Dolac die 4. menſis Junii 1387. „ Quod autem provincia *Licana* ad Diœceſim *Nonenſem* ſpectet, auctor eſt Paſtritius, in hæc verba: „ Habet præterea tres provincias Diœceſis Nonenſis. Sed Epiſcopus non habet curam, quum in ditione Turcarum ſint, „ quum ea Miſſionario ſit demandata a S. Congreg. de Prop. „ Fide. Eæ vero ſunt, 1. Lica provincia. 2. Banatus provincia. 3. Carbava provincia.

Miſſale tertium ſcriptum fuit anno 1402. juſſu Sacerdotis Lupi nepotis Abbatis de Koprive: Anno vero 1440. tranſiit in jus F. Petri, Tertii Ordinis S. Franciſci apud S. Crucem degentis: Demum anno 1627. pertinebat ad Eccleſiam S. Joannis de Jadra ejuſdem Tertii Ordinis: quemadmodum hæc adnotatio docet: *Hoc Miſſale eſt S. Joannis de Jadra ſcriptum eleganter & bene*. Et hæc altera: „ Hoc ſcripſit P. Lucas „ Mikulith Jadræ apud S. Joannem menſe Julio die 4. 1627. „ Tunc pugnabant exercitus noſter, & Turcarum; & noſtri ſint benedicti: dabunt eis ſuper cucurbitam tamquam „ porcis.

VII. EademBreviaria& Miſſalia typis impreſſa ab an. 1528. ad ann. 1631.

Ad Libros Eccleſiaſticos typis impreſſos me confero. *Miſſale* Slavo-Latinum, Venetiis anno 1528. opera Fr. Pauli de Modruſſa Ord. Minorum Conventualium, primum typis impreſſum, lucem vidit: deinde triennio poſt, ideſt, anno 1531. Simon Cozicich, ſeu Begna, Modruſſenſis Epiſcopus, idem ipſum Miſſale *Flumii*, ſive *Tarſaticæ*, in ſuis ædibus ſuiſque ſumptibus edidit. Fragmentum ejuſdem *Miſſalis*, literis paulo grandioribus impreſſi, ſervatur apud Patres Sancti Joannis de Jadra teſte Caramano num. XXXIX., *Breviarium*, unacum *Miſſæ Canone*, nec non *Miſſa pro defunctis*, atque *Rituali*, Venetiis editum eſt, anno 1561. a Nicolao Brozich, Plebano Eccleſiæ Omiſcel, in inſula Veglenſi: de quo Breviario intelligendus videtur cl. Le-Long Tom. 1. Bibliothecæ Sacræ art. 6. pag. 436. ubi de Libris Slavice editis loquens: „ Pſalterium (inquit) lingua Slavica, charactere Illyrico ſive „ Serviano v. *Breviarium Slavicum*, 8. Venetiis apud filios „ Jo: Franciſci Turreſani, Menſe Martio 1561. Idem in 4. Romæ, e Typographia Sacræ Congreg. de Propaganda Fi-

„ de 1621. In 8. ibidem 1629. „ *& pag.* 437. „ Miſſale Ro-
„ manum lingua Slavonica, charactere Illyrico, juſſu Ur-
„ bani VIII. editum, 4. Romæ typis S. Congr. de Prop.
„ Fide 1631.

VIII. Breviarium Romanum Slavolatinum, recognitum a Raphaële Levacovich Archiepiſcopo Achridano, & a Methodio Terlecki Epiſcopo Chelmenſi & Belcenſi probatum, typis S. Cong. de Propag. Fide editum, præfixis Inn. PP. X. Literis Apoſtolicis anno 1648.

Quid vero de hujuſmodi Miſſalibus & Breviariis, tum manuſcriptis, tum editis ſentiendum ſit, audiatur Methodius Terlecki Epiſcopus Chelmenſis & Belcenſis in Præfatione ad Breviarium Slavo-Latinum, a Raphaele Levacovich Achridano Archiepiſcopo emendatum, quæ Præfatio (*a*) extat in Cod. Vat. MSS. 6471. Autographo Breviario præfixa, & a nobis Tom. 1. pag. 114. & ſeq. exhibita. „ Ego Methodius Terlecki, Epiſcopus Chelmenſis & Belcenſis, dum anno infra-
„ ſcripto, (*ideſt a creatione mundi* 7151. *a nativitate Chri-*
„ *ſti* 1643. *Ind. xi. die* 16. *Sept.*) pro graviſſimis negotiis to-
„ tius Ruſſiæ, nonnulliſque meæ diœceſis, inprimis vero,
„ quæ opportuna atque perneceſſaria arbitratus ſum, pro ſan-
„ ctiſſima unione in Ruſſia, & aliis Slavonicæ nationis Pro-
„ vinciis conſervanda & promovenda, apud Sedem Apoſto-
„ licam ſummo ſtudio laborarem, atque in dies expeditionem
„ eorundem pro voto præſtolarer; Emi & Rmi Dni Cardi-
„ nales Sacræ Congreg. de Prop. Fide inſtantiam apud me fe-
„ cerunt, ut juxta eorundem decretum ſub die 1. Sept. anni
„ præſentis 1643. editum, vocato R. P. Raphaele Croato
„ Ord. Minor. de Obſervantia, ad impreſſionem Breviarii Il-
„ lyrici deputato, Pſalterium in eodem Breviario imprimen-
„ dum, cum memorato R. P. Raphaële, ad vulgatam Tranſ-
„ lationem, quantum phraſis Illyricæ linguæ pateretur, de
„ verbo ad verbum accommodarem. Itaque quo in cauſa tam
„ pia eorum voluntati morem gererem, ſepoſitis quibuſcum-
„ que privatis negotiis & occupationibus, accerſiri curavi illi-
„ co præfatum R. P. Raphaëlem, afferreque plura vetuſto-
„ rum Illyricæ linguæ Breviariorum manuſcripta & impreſſa
„ exemplaria, atque Autographum, quod idem R. P. Ra-
„ phaël ad Vulgatæ editionis ſenſum paraverat, adhibitis etiam
„ antiquiſſimis, quibus ab ipſo ſuo exordio Ruthena, & cun-
„ cta Slavonica uſa eſt & utitur Eccleſia, Codicibus: poſt di-
„ vinum

a Refertur etiam a Le-Longio Tom. 1. Bibl. ſacr. art. 6. pag. 437.

„ vinum imploratum auxilium, diligentissime insimul contu-
„ limus ipsius R. P. Raphaëlis Autographum supradictum cum
„ antiquis Breviarii Illyrici Psalteriis, Latina Vulgata semper
„ præ oculis existente, atque an conformis esset, examinavi-
„ mus. Ita factum est, ut sollicita adhibita cura, tale red-
„ ditum est Psalterium, quale a supradicta S. Congregatione
„ expeteretur, hoc est, adamussim Vulgatæ Translationi con-
„ cordans. Nam explosis nonnullis vulgaris sermonis Dal-
„ matici vocabulis, quæ scriptorum licentia in vetusta Illyrica
„ Breviaria intrusa fuerant, quæque R. P. Raphaël suæ Trans-
„ lationi inseruerat, pura quæ in incorruptis apud me habe-
„ bantur Slavonica, eorum loco reposuimus; punctuatio-
„ nemque, & periodos, atque initia versuum singulorum,
„ quum longe aliter in Illyricis leguntur, ubique juxta Vulga-
„ tam accommodavimus: ita ut, divina opitulante gratia,
„ Psalterium ipsum per nos revisum, atque, ut dictum est,
„ a peregrinis Dalmaticis vocibus purgatum, concordet in
„ præsens in omnibus & per omnia cum desiderato Psalterio
„ novissimi Breviarii moderni SS. D. N. Papæ Urbani VIII.
„ Vulgatæ editionis. Neque est, ut eam ob causam Illyrici
„ Breviarii impressio, summopere necessaria & ab Illyricanæ
„ Ecclesiæ Presbyteris quotidie expetita, diutius differatur.

Huic Attestationi Methodii Episcopi in Cod. Vat. 6471. fol. 11. præmissa fuerat *Approbatio* Theologorum quorumdam Ruthenorum de eodem Breviario Illyrico-Latino a Raphaële
„ Levacovich conscripto in hæc verba. „ Nos infrascripti
„ Monachi Ordinis S. Patris Basilii, Sacræ Theologiæ Profes-
„ sores, jussu S. Congregationis de Prop. Fide, atque de
„ mandato Rmi P. Fr. Nicolai Riccardi Magistri S. P. A. le-
„ gimus, & examinavimus Breviarium Romanum Slavonico
„ idiomate per R. P. Fr. Raphaëlem Levachovicz Croatam
„ Theologum Ord. Minor. de Observantia conscriptum, Hy-
„ mnosque in eodem non nisi magno cum labore metrice
„ compositos. Quod quia fideliter translatum atque in omni-
„ bus concordans cum novissimo Breviario a SS. D. N. nu-
„ perrime correcto invenimus, ideo his nostris superinde te-
„ stimonium propriis manibus subscriptum dare voluimus;
„ summopere exoptantes, ut opus ipsum quantocius typis ex-

„ cusum in commodum Illyricanæ Ecclesiæ prodeat. Datum „ Romæ in Collegio Græco ad Ædes S. Athanasii die 24. Augusti 1635. Josaphat Issachovicz Monachus Ordin. sancti „ Basilii Magni. Philippus Borovicla Monachus Ord. S. Basilii „ Magni.

Sed quia Illyricam Psalterii Translationem non concordare cum Vulgata Latina compertum est, ideo fol. 12. in eod. Cod. Vat. 6471. hoc decretum prodiit. „ Die 10. Novemb. „ 1642. In Consistorio Secreto. Referente Emo D. Card. „ Brancatio instantiam Fr. Raphaëlis de Croatia Ord. Minor. „ de Observantia, ut SSmus D. noster declarare dignaretur, „ an juxta Vulgatam editionem imprimendum esset Psalte- „ rium in Breviario Illyrico imprimendo, quum ex quatuor „ illius Translationibus Illyricis, quæ habentur, nulla per- „ fecte concordet cum Vulgata editione Latina; Sanctitas „ sua jussit, ex præfati Psalterii Translationibus illam, quæ „ magis concordat cum Vulgata editione, corrigi & emendari „ juxta eandem Vulgatam in Congregatione patticulari pro „ emendatione Bibliorum Arabicorum instituta coram Emo „ D. Card. Paleotto, vocatis ad eam aliis Theologis linguam „ Illyricam callentibus; eandemque Translationem juxta Vul- „ gatam editionem Latinam emendatam in dicto Breviario „ imprimi. Franciscus Ingolus Secretarius.

Consequeter peracta, ut jussum fuit, per Methodium Episcopum emendatione, fol. 10. in eod. Cod. Vat. 6471. decreto Pontificio imperata est Breviarii Slavo Latini impressio. „ Coram Sanctissimo die 28. Septemb. 1643. Referente „ Emo D. Card. Brancatio Attestationem R. P. D. Methodii „ Episc. Chelmensis, Rutheni uniti, de confrontatione facta „ Psalterii Illyrici cum Vulgata editione, ejusque emenda- „ tione; SS. D. Noster mandavit, Breviarium Illyricum „ quamprimum imprimi cum præfata Attestatione. Franci- „ scus Ingolus Secretarius.

Postremo quum jam esset impressum idem Breviarium, jussit Sacra Congregatio Autographum ipsum in Bibliotheca Vaticana servari, fol. 9. in eod. Cod. Vat. 6471. „ Die 17. „ Decembr. 1647. Referente Emo D. Card. Capponio, San- „ ctissimum Dominum nostrum probasse, ut originale manu- „ scri-

,, ſcriptum Breviarii Illyrici in Bibliotheca Vaticana conſerve-
,, tur; Sacra Congregatio juſſit, illud ad dictam Bibliothe-
,, cam ad effectum prædictum deferri. Franciſcus Ingolus Se-
,, cretarius.

Ita emendatum *Breviarium* Slavo-Latinum, in lucem prodiit anno 1648. præfixis *Innocentii Papæ X.* literis. ,, Dat.
,, Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris
,, die XXII. Februarii MDCXLVIII. Pontificatus anno IV. *in hæc*
,, *verba*. Romanum Pontificem, cui ex diſpoſitione divina
,, omnium orbis Eccleſiarum cura incumbit, ſedulo decet in-
,, vigilare, ut cuncta ad Catholicam Fidem divinumque cul-
,, tum pertinentia, rite recteque in Eccleſiis prædictis pera-
,, gantur; & præſertim ut Sacræ Scripturæ & alii Codices;
,, qui fidei cultuſque hujuſmodi fundamenta, & ſacras preces
,, laudibus gratiiſque Deo perſolvendis continent, quocum-
,, que tempore vel idiomate aut charactere conſcripti ſint,
,, mendis atque erroribus plane careant, illiſque omnino ex-
,, pertes ab omnibus habeantur. Quum igitur Illyricarum gen-
,, tium, quæ longe lateque per Europam diffuſæ ſunt, atque
,, ab ipſis glorioſis Apoſtolorum Principibus (*a*) Petro &
,, Paulo potiſſimum Chriſti Fidem edoctæ fuerunt, libros Sa-
,, cros jam inde a D. Hieronymi temporibus, ut pervetuſta
,, ad nos detulit traditio; vel certe a Pontificatu fel. recor.
,, Joannis PP. VIII. Prædeceſſoris noſtri, uti ex ejuſdem data
,, ſuper ea re epiſtola conſtat, ritu quidem Romano, ſed idio-
,, mate Slavonico, & charactere S. Hieronymi vulgo nuncu-
,, pato conſcriptos, opportuna recognitione indigere com-
,, pertum ſit: Nos rec: mem. Urbani Papæ VIII. etiam Præ-
,, deceſſoris noſtri, qui Miſſale Illyricum emendatum juxta
,, nuperrimas illius reformationes charactere Hieronymiano
,, ac lingua Slavonica typis vulgari mandavit, veſtigiis inhæ-
,, ren-

a Petrus certe, & Paulus Illyrios & Dalmatas fidem Chriſti docuere, & fideles illi in Dalmatia & Illyrien, olim degentes Romanæque Sedi ſubjecti, Libros ſacros a S. Hieronymo Latine converſos vel emendatos accepere. At vero Slavi, qui in Illyricum & Dalmatiam pluribus poſt ſæculis adventaruut, non a S. Hieronymo, ſed a SS. Cyrillo ac Methodio & fidei rudimenta & ſacras Literas Slavico idiomate conſcriptas hauſerunt. Ita ſunt Innocentii PP. X. verba intelligenda; niſi dicatur, ex erronea Dalmatarum narratione locutus; quam tamen narrationem idem ipſe corrigit ſequentibus verbis: *vel certe a Pontificatu Jo: VIII. Papæ*.

„ rentes, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotio Propagandæ Fidei per universum mundum præpositorum, consilio, Venerabili Fratri Raphaële Archiepiscopo Achridæ seu Primæ Justinianæ mandavimus, ut Breviarium Illyricum, ante annos centum impressum, recognosceret, & ad formam Breviarii Romani Latini nuper a prædicto Urbano Prædecessore reformati in prædictam linguam Slavonicam redigeret. Quod quum idem Raphaël Archiepiscopus diligenter præstiterit, dictumque novum Breviarium Illyricum a peritis prædictæ linguæ & in sacris literis edoctis viris comprobatum fuerit: idcirco nos motu proprio & ex certa scientia & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, de simili prædictorum Fratrum nostrorum consilio, Breviarium prædictum tenore præsentium confirmamus, & approbamus, typisque mandari jubemus „. Cetera de *Officio B. V. M.* & *Defunctorum*, & *VII. Psalmis Pœnitentialibus*, & *XV. gradualibus*, & ne dictum Breviarium alibi in toto orbe sine speciali Sedis Apostolicæ in scriptis obtinenda facultate imprimatur, aut impressum proponatur, seu recipiatur.

IX. Iterum typis evulgatum Missale anno 1588. sub Innocentio XI. typis Illyricis. Digressio de libris sacris a Primo Trubero Croatice sive Slavice editis.

Primo itaque Breviarium istud Illyrico-Latinum prodiit anno 1648. sub Innocentio X. deinde anno 1688. sub Innocentio XI. Utrobique Titulus est: „ Breviarium Romanum Slavonico idiomate, jussu SS. D. N. Innocentii X. [*Innocentii XI.*] editum Romæ typis & impensis Sac. Congregationis de Propaganda Fide MDCXLVIII. [MDCLXXXVIII.] „ Sequitur *Epistola Innoc. X.* (ut supra) dat. Romæ anno 1648. die 22. Februarii Pontif. IV. Latine, & Slavice. Deinde hæc Adnotatio de Typis Illyricis seu characteribus Hieronymianis: „ Illyrici Typi a D. Ferdinando II. Rom. Imperatore, Sacræ Congregationi de Propaganda Fide, commemoranda liberalitate, donati, documentum maximum, sub auspicatissimo nomine invictissimi & potentissimi Cæsaris Ferdinandi III. Rom. Imperatoris semper Augusti &c. ad longe lateque per Europam & Asiam diffusos, & Augustissimæ Domui Austriacæ fideles æque atque obsequentes Illyricos Populos transmissum, labore Fr. Raphaëlis Levacovich Croatæ Ord. Minor. S. Francisci de Observantia Archiepiscopi

„ Achri-

„ Achridæ, seu Primæ Justinianæ „. Eadem Inscriptio Slavice legitur.

Porro *Illyrici Typi* in hac Inscriptione memorati, quos Ferdinandus II. Imperator Sacræ Congregationi de Propaganda Fide dono dedisse dicitur, non alii sunt ab iis, quibus *Truberus novum Testamentum Croatice sive Slavice Tubingæ anno* 1562. edidit. Exstat hæc ipsa Truberi editio in Biblioth. Vat. inter Codices typis excusos num. 133. in 4. præmissa ad Maximilianum Bohemiæ Regem Germanica ejusdem Truberi Prefatione data mense Januario an. 1562. Aliæ ejusdem Truberi editiones *novi Testamenti Croatice*, sive Hieronymianis sive Cyrillianis literis, memorantur a Le Longio Biblioth. Sac. Tom. 1. Art. 6. Sect. 5. pag. 442. & seq. nimirum vel *sine anno*, vel *anno* 1553. 1557. 1562. 1563. 1577. 1581. 1584. 1599. in quibus editionibus Truberus sic præfatur: „ Populi „ qui Croatiam, Dalmatiam, Bosniam, Serviam, & Bulgariam incolunt, huc usque nec omnes Sacræ Scripturæ libros, nec Catechismum in linguam suam conversos habuerunt; Missali, Breviario, aliisque libris Liturgicis dumtaxat utebantur „. Conjuncta itaque cum Antonio Dalmata, & Stephano Consule Istriæ opera, idem Truberus editionem illam Dialecto Croatica curavit, in quatuor Partes distinctam: quarum prima Catechismum Lutheranis erroribus respersum continet. Altera, quatuor Evangelia & Actus Apostolorum: Tertia, Epistolas & Apocalypsim: Quarta, Commentaria in Evangelia pro Dominicis & Festis per annum. Quod autem de memoratis Slavis populis ait Truberus, *eos* scil. *hucusque* [idest, usque ad annum circiter 1550.] *nec omnes Sacræ Scripturæ libros, nec Catechismum in suam linguam conversos habuisse*: id, inquam, quoad *libros Sacræ Scripturæ*, falsum omnino est; quidquid sit de *Catechismo* Luteranis ineptiis resperso, quem Dalmatæ, Bosni, Servi, Croatæ, Bulgari nec habuerunt, nec habere curarunt, aut curant: nam *Scripturam Sacram novi & veteris Testamenti*, in linguam Slavicam usque a temporibus SS. Cyrilli, & Methodii, conversam fuisse, nemo est qui ignoret. Ejus vero vetustissima exemplaria apud Slavos extitisse, & adhuc exstare, documento sunt celebriores per Europam Bibliothecæ. Vide Le Long Bi-

Biblioth. Sacr. Tom. 1. Art. 6. Sect. 1. pag. 436. ubi veteris & novi Testamenti libros Slavicos manu exaratos recenset: nos autem nostras hoc de argumento observationes, de Sacris scilicet Scripturis Slavicis, tum proferemus, quum de Ecclesiasticis Russorum libris sermo erit. Ad libros Latini Ritus redeat oratio.

X. Urbani VIII. Papæ literæ de Missali Slavo-Latino anno 1631. & iterum ann. 1706. Romæ typis impresso.

Missale Slavo-Latinum, prçter Venetas anni 1528. 1531. & 1561. (quarum supra est facta mentio) editiones, jussu Urbani VIII. reformatum, Romæ demum anno 1631. typis Sacr. Congreg. de Propaganda Fide vulgatum fuerat: septemdecim nempe ante Breviarium annis. Causam novæ hujusce editionis refert idem *Urbanus Papa in Literis Apostolicis*, quæ fuerunt eidem Missali præfixæ; „ Datæ autem Romæ apud „ S. Mariam Majorem die 29. Aprilis 1631. Pontificatus an„ no octavo, & evulgatæ eodem anno 1631. die 29. Novem„ bris, Pontificatus nono „. His verbis. „ Ecclesia Catho„ lica, cui, divina favente clementia, nullo meritorum nostro„ rum suffragio, præsidemus, sicuti una est, ita requirit nostræ „ pastoralis vigilantiæ sollicitudo, ut Christifideles idipsum „ non solum sapiant, sed etiam, quantum possibile est, omnes „ etiam unanimes uno ore in orationibus & sacrificiis honori„ ficent Deum. Quum itaque, sicut accepimus, Missale „ idiomate Slavonico a fel. rec. Joanne VIII. Prædecessore „ nostro concessum, a centum circiter annis [*idest ab anno* „ 1528. *quo primum* (*a*) *Venetiis prodiit*] typis editum „ non fuerit, atque inde acciderit, ut Slavorum Ecclesiæ „ Missalium (*b*) inopia adeo laboraverint, ut plerisque in „ locis, nec Sacerdotes sacrosanctum Missæ Sacrificium offer„ re, nec populi Ecclesiæ præcepto de illo audiendo satisfa„ cere

a Videntur ergo editiones anni 1531. & 1561. non publici juris, sed ad usum Ecclesiarum Modrusensis & Veglensis dumtaxat factæ fuisse.

b Illustrissimus idemque amicissimus Antonellus in Dissert. super nova editione Missalis Illyrici seu Slavonici: „ Ferdinandus II. Imp. (Inquit) ut narrat Ingolus „ qui erat eo tempore S.Congr. de Prop. Fide Secretarius) diversarum Provinciarum „ Illyrici, in quibus divina officia ritu Latino, sed lingua Illyrica celebrantur suppli„ cationibus motus, flagitavit a Rom. Pont. ut Missalia Illyrica imprimi curaret: „ quoniam populi quum a suis Sacerdotibus, Missalibus deficientibus, Missam audire „ nequirent, ibant ad Schismaticorum Ecclesias, qui Græco ritu, lingua autem Il„ lyrica, sacra faciebant. Unde grave animarum saluti detrimentum afferebatur: „ nam Catholici non solum cum hæreticis in divinis communicabant; sed insuper „ plurimi eorum ad Schismaticorum errores transibant.

„ cere commode potuerint. Nos Missalium inopiæ hujusmodi ad divini nominis laudem & gloriam, animarumque „ Christifidelium illarum partium salutem occurrere volentes, „ Venerabilibus Fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus negotio Fidei in universum Orbem propagandæ præpositis injunximus, ut quamplura Missalia Slavonico conscripta idiomate, a Provincia Dalmatiæ Romam jussu nostro afferri, iisque per nonnullos linguæ Slavonicæ peritos, juxta emendationes a fel. etiam rec. Pio V. & Clemente VIII. Romanis „ Pontificibus, similiter Prædecessoribus nostris, factas & „ eorum literis Apostolicis approbatas, correctis, Missale quod „ Romano prorsus conforme esset, componi, illudque præfato idiomate Slavonico, ad usum & commodum eorumdem Christifidelium Ecclesiarum, locorum, & provinciarum, ubi hactenus præfato idiomate celebratum fuit, imprimi curarent. Quæ omnia quum præfati Cardinales diligenter præstiterint, eadem per præfatos Cardinales & pie „ & accurate in præmissa ordinata & gesta approbantes, ac „ præfatum Missale antiquum abrogantes; motu proprio, & „ ex certa nostra scientia ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, antiquorum Missalium Slavonici idiomatis tam impressorum, quam manuscriptorum usum, tenore præsentium, sub indignationis „ nostræ, ac aliis arbitrii nostri, imo iis etiam pœnis, quæ „ eorumdem Pii, & Clementis Prædecessorum nostrorum literis continentur, tenore præsentium, penitus & omnino „ interdicimus. Præterea sub eisdem pœnis eo ipso absque „ aliqua declaratione incurrendis, Apostolica auctoritate, earumdem tenore præsentium, prohibemus omnibus & singulis Presbyteris & Clericis, tam sæcularibus, quam cujusvis „ Ordinis, Congregationis, Societatis, & Instituti, etiam „ speciali nota dignis Regularibus, earumdem Ecclesiarum, „ locorum, & provinciarum, ubi hactenus, ut præfertur, præfato idiomate Slavonico celebratum fuit, ne elapsis octo „ mensibus a die publicationis præsentium in Urbe, alio, „ quam hujusmodi novo Missali, nisi maluerint Latino, „ utantur.

XI. Neque ita a vulgaribus Dalmatici

An vero Missale hujusmodi Slavonicum anno 1631. jussu Urba-

ſermonis vocabulis emendatum, neque Romano prorſus conforme illud Miſſale Slavo-Latinum prodiit.

Urbani VIII. editum, ita prodierit & Romano prorſus conforme, & in Epiſtolis atque Evangeliis juxta Vulgatam editionem Latinam emendatum, & a nonnullis vulgatis peregriniſque ſermonis Dalmatici vocabulis purgatum: non auſim affirmare. Certe Paſtritius in laudata ad Dalmatiæ Præſules Epiſtola, Raphaëlem Levacovichum immenſis laudibus cumulat, quod anno 1643. non Breviarium Slavonicum dumtaxat, ſed etiam *Miſſale* ab erroribus purgaverit: „ Quoties antiqua (inquiens) „ manuſcripta pervolvi Breviaria, tot erroribus conſperſas lineas & in orthographia & in Grammatica reperi, ut ſtomachum mihi moverit: nullibique meliorem loquendi formulam, quam in impreſso Breviario Romæ in Typographia Sac. Congregationis de Propaganda Fide 1648. conſpexi; multamque & æternam gloriam mereatur vir ille eximius P. Raphaël Levacovich Croata Ord. S. Franciſci de Obſervantia, merito ad Achridanum Archiepiſcopatum evectus (addere debuiſset & nomen Methodii Epiſcopi Chelmenſis & Belcenſis Rutheni, qui è Raphaëlis editione non paucos „ errores ſuſtulit:) Immenſum enim laborem ſubiit in vertendo, fere toto Breviario, ac fere magna ex parte Miſſali; „ & ubique, quod mirum eſt, ſervando proprietatem vocabulorum & Grammaticam literalis locutionis „. Caramanus autem num. XL. productis Levacovichi ipſius verbis oſtendit, illum poſtquam Miſſali edendo operam ſuam impenderat, triennio poſt animadvertiſſe, nonnulla ſibi excidiſſe vocabula, quæ minus apta eſſent: „ Dopo l'edizione del Meſſale [inquit Caramanus] il Levacovich acquiſta miglior cognizione del Literale Slavo. Perciò il ſuo Breviario del „ 1648. è più eſatto: eſſendogli venuto per le mani tre anni „ dopo il mentovato Salterio della verſione di S. Girolamo, „ ed avendo da quello appreſo, Primum, come egli ſcrive, „ antiquam Slavonicæ linguæ orthographiam: deinde legitimum quarumdam literarum uſum: tum ſecutam certorum „ ejuſdem linguæ vocabulorum depravationem: poſtremo „ plurimorum Pſalterii, quod Romano inſertum eſt Breviario, locorum, quæ diſcordabant, ad vulgatæ editionis exemplar accommodationem „. Secunda tamen ejuſdem *Miſſalis* editio, quæ anno 1706. typis ejuſdem Sacræ Congregationis

nis de Propaganda Fide curata est, non aliter ac prima anni 1631. prodiit.

XII. Vir cl. Matthæus Caramanus Jadrensis Archiepiscopus emendandum Missale Slavonicum suscepit, & numeris omnibus absolutum edidit anno 1741.

Quamobrem quum ob Missalium penuriam eadem Sacra Congregatio decrevisset ipsum Missale Slavicum typis iterum evulgare; quumque Vincentius Zmajevich Archiepiscopus Jadræ necessariam esse ipsius Missalis emendationem affirmasset, demandata fuit ea provincia *Matthæo Caramano*, Metropolitanæ Spalatensis tunc temporis Sacerdoti, postea Absorensi Episcopo, ac demum ad Jadrensem Archiepiscopatum evecto, viro & in sacris literis apprime docto, & linguæ Slavicæ tum literalis, tum vulgaris peritissimo: de quo proinde illud merito usurpaverim, quod de Levacovicho Pastritius vir clarissimus ajebat: ,, Immensum laborem subiit in *emendando* ,, fere toto Missali, servando proprietatem vocabulorum, & ,, Grammaticam literalis locutionis ,,. Testes hujus rei sunt Approbatores quatuor ,, Nimirum, Procurator Generalis ,, Monachorum S. Basilii Ruthenorum Maximilianus Zwodski ,, & Cæsarius Stebnovski, uterque Alumnus Collegii Græco- ,, rum S. Athanasii de Urbe: nec non duo Monachi Rutheni, ,, Innocentius Piehowich, & Silvester Rudizki, nunc Luceo- ,, riensis Episcopus ,,. Lucem ergo vidit nova hæc Missalis Slavo-Latini editio anno 1741., numeris omnibus absoluta, & Ruthenorum omnium atque Dalmatarum plausu excepta. Unum Presbyterum in Dalmatia reperire fuit, qui patrii Bosnensis sive Ragusæi idiomatis amore ductus, conscriptis quibusdam Adnotationibus, totus in id incumbit, ut, [quod Neoterici Heterodoxi adversus Ecclesiam Catholicam contendunt] vulgaris sermo in rebus divinis celebrandis, Literali prorsus eliminato, inducatur. Slavicam enim linguam, a Caramano multis in locis restitutam, in quam usque a temporibus SS. Cyrilli ac Methodii sacras scripturas, divinaque officia conversa fuisse ostendimus, ab Ecclesiasticis libris tamquam menti Romanorum Pontificum, qui ejus linguæ usum in rebus divinis concessere, contrariam, proscribendam esse ait, ejusque loco vulgarem Illyricam, qua Bosnenses, Ragusæi, Dalmatæ utuntur, substituendam. Illyricam quippe bonus iste Presbyter indigenarum Slavorum veterem, primævum, sincerum, ac genuinum sermonem appellat: Cyrillianum vero, in quo vete-

ra omnia Slavorum tum Sacra, tum Civilia monumenta conſcripta exſtant, Barbarum, Geto Thracio Græcum vocat. Jam vero conclamatum eſſet de Slavica lingua Literali; Breviarium quoque Slavolatinum a Levacovicho & Meletio emendatum, flammis tradi oporteret: Biblia denique Sacra quotquot in Bibliothecis ſervantur, laceranda eſſent; ſi Neoterico huic cenſori aures præberemus. Sed muneri ſuo nequaquam defuit Caramanus. Juſſus enim (*a*) ad objecta reſpondere, turpiſſimum facinus fore duxit, ſi nec univerſæ Slavorum genti pro vetuſtiſſima ac literali ipſius lingua, nec Pontificiis Conſtitutionibus eamdem linguam probantibus, nec ſibi ipſe, qui, ut vulgaribus nonnullis vocabulis Miſſale purgaret, operam ſuam ſtudiumque contulerat, opitularetur. Quamobrem doctam conſcribere aggreſſus eſt Diſſertationem in capitula ſeu numeros CXXXIX. diſtinctam, præmiſſa ad Sanctiſſimum D. N. BENEDICTUM XIV. Pont. Opt. Max. Epiſtola data Romæ 10. Octobris anno 1753., demonſtrans, quænam ſit primæva Slavorum lingua, quam SS. Cyrillus ac Methodius in divinis ſcripturis atque officiis convertendis adhibuere; & quantum ab illius ſinceritate diſtet vulgaris Illyrica, quam cenſor ille tantopere commendat; & quomodo Dalmatæ ipſi orthodoxi Raguſæi, Croatæ & Boſnenſes, Literalem vulgari prætulerint præferantque; contra, heterodoxi in Eccleſias vulgarem ſermonem præ Literali invehere conentur: non alio denique, quam Literali Slavico ſermone, & conſcriptos fuiſſe ſacros libros, & in Eccleſia utendos, a Romanis æque Pontificibus, ac a Slavicæ cujuſcumque nationis Præſulibus conſtitutum eſſe.

XIII.
Approbatam a viris linguæ Slavicæ peritis, ejus Miſſalis Slavolatini editionem, SSmus D. N. BENEDICTUS PP. XIV.

Caramani Diſſertationem tum Dalmatarum, tum Ruthenorum nomine probarunt viri docti, *Antonius Tripcovich* electus Epiſcopis Nonenſis, & *Baſilius Boskovich* Ordinis S. Baſilii Congregationis Ruthenorum Procurator Generalis, conceptis hiſce verbis. „ Obtemperando mandatis Eminentiſſimi, &
„ Reve-

a Tranſmiſſæ fuerant ad Archiepiſcopum Caramanum conſcriptæ ab illo Presbytero in Miſſale Illyricum anno 1741. editum Adnotationes cum hac Epiſtola die 25. Julii 1750. „ Eſſendo ſtate preſentate nei qui anneſſi fogli alla Santità di N. S. varie Annotazioni ſopra il Meſſale Illirico riſtampato nel 1741. nella Stamperia di „ queſta Sag. Congregazione, ſi è la medeſima degnata di comandare, che foſſero „ traſmeſſi a V.S., per averne da Lei le opportune riſpoſte. Eſeguendo pertanto con „ la preſente l'ordine di S. B., ne attenderò col ritorno de' fogli ſudetti le Conſi- „ derazioni di V.S. per umiliarle alla Santità Sua etc.

„ Reverendiſſimi Domini S. R. E. Cardinalis D. Fortunati „ Tamburini Congregationis Sacrorum Rituum, & deputatæ ſuper correctione librorum Orientalium Præfecti, opus „ manuſcriptum, cui Titulus = *Identità della lingua litterale Slava, e necessità di conſervarla nei Libri Sagri, Conſiderazioni, che ſi umiliano alla Santità di Noſtro Signore* „ PP. BENEDETTO XIV. *da Matteo Caraman Arciveſcovo di Zara, ſopra l'Annotazioni del Sacerdote . . . in ordine alla verſione del Meſſale Romano ſtampato in Roma l'anno* 1741. „ attentè legimus, necnon Adnotationes ipſas contra ſupradi- „ ctum Miſſale a Sacerdote . . . . factas, oppoſitas, & SSmo „ Dño Noſtro feliciter Regnanti PP. BENEDICTO XIV. „ exhibitas, Conſiderationeſque Apologeticas Illmi, & Rmi „ Dñi Matthæi Caramani Archiepiſcopi Jadren. memorati „ Miſſalis olim Correctoris, diligenter ponderavimus: Unde, ſicut a Critico, dante operam Litteralem linguam Slavam extinguendi, vulgaremque ſubſtituendi, voces & textus litterales, demptis, additis, diviſis litteris, corruptos, depravatos, & vulgarizatos obſervavimus; ita Illuſtriſſimum ac Reverendiſſimum Dominum Archiepiſcopum „ Litteralis Slavæ linguæ peritiſſimum, non minori eruditione, quam ſinceritate, & Catholica doctrina, productis luculentis teſtimoniis ex Liturgicis aliiſque ſacris Libris, quibus uterque Ritus Latinus, & Græcus Unitus, per varias „ regiones, & provincias tot ſæculis conſtanter utitur, atque „ ex Breviario Romano Slavonico juſſu S. Sedis a vulgaribus „ vocibus expurgato, approbato, ac typis S. Congregationis „ de Prop. Fide 1648. & iterum anno 1688. edito, Litterali „ lingua Slava ſtrenuè vindicata, omnibus oppoſitis a Critico, ipſiuſque irrito conatui plene cumulateque ſatisfeciſſe; nullique, ſæpememorati Miſſalis voces, & textus cenſura notatos, poſſe eſſe offenſioni, niſi iis, qui Sacras litteras in propriam perditionem depravare voluerint, ſentimus, & pro rei veritate teſtamur, ac in horum fidem ſubſcribimus.

confirmat, editaque Conſtitutione, præcipit, ut Vulgaris Illyrici ſeu Slavici ſermonis uſus in divinis officiis non uſurpetur.

Datum Romæ ex Hoſpitio SS. Sergii & Bacchi die 2. Julii 1754.

Poſtremo Sanctiſſimus D. N. BENEDICTUS XIV. ſapien-

pien-

pientissimo suo judicio causam finivit, editis XVIII. Kal. Septemb. anno 1754. Apostolicis Literis, quas supra recitavi. Ex quibus apparet, non modo probatam esse sæpememorati Missalis Slavo-Latini emendationem a Caramano factam; sed etiam proscriptum quorumcumque Ecclesiasticorum librorum vulgaris Slavici sermonis in divinis officiis usum.

XIV. Rituale Romanum a P. Cassio in Illyricam linguã conversum prodiit Romæ annò 1640. literis Latinis & sermone Illyrico.

Bartholomæus Cassius, vulgo *Kassicch*, Dalmata, Societatis Jesu, *Rituale Romanum* die 15. Augusti 1636. in Illyricum sermonem convertit. Quod Rituale probavit primo, Mutius Vitellescus Societ. Jesu Præpositus Generalis, in hæc verba: „ Cum Rituale Romanum Pauli V. Pont. Max. jussu „ editum, a P. Bartholomæo Cassio nostræ Societatis Illyrice „ redditum, nostro mandato recognitum, in lucem edi pos- „ se, probatum sit; facultatem concedimus, ut typis mande- „ tur, si ita Illmo ac Rmo D. Vicesgerenti, & Rmo P. M. „ Sac. Pal. videbitur. In quorum fidem &c. Romæ 13. Mar- „ tii 1637. „ Eidem accessit approbatio Francisci Manollæ Spalatensis J. U. D. & Canonici S. Hieronymi Illyricorum de Urbe die 25. Martii 1637. „ Ex commissione Rmi Patris „ Fr. Nicolai Riccardi Mag. S. P. A. vidi, diligenterque per- „ legi hoc Rituale Romanum ex Latino Illyricum factum com- „ muniori modo loquendi ab adm. R. P. Bartholomæo Cassio „ Soc. Jesu in Basilica S. Petri Pœnitentiario; nihilque in eo „ inveni contra fidem catholicam, neque contra bonos mores; „ imo opus Illyricis Sacerdotibus perutile ac pernecessarium, „ typis dignissimum censeo „. Prodiit itaque *Romæ ex Typographia Sac. Congreg. de Prop. Fide anno* 1640. hoc titulo prænotatum: *Rituale Romanum Urbani VIII. Pont. Max. jussu editum, Illyrica Lingua*: literis tamen Latinis: de quo idem P. Bartholomæus Cassius in epistola ad Urbanum VIII. sic scribit: „ Prudenti ac piissimo consilio factum est, B. P., ut Ri- „ tuale Latinum fieret Illyricum, Te præcipiente, & experi- „ tum a tota natione in lucem ederetur. Perdifficile enim erat „ Illyricis Sacerdotibus non paucis sacros Ritus Latino eloquio „ scriptos intelligere, eosque in praxi exercere, apud quos „ non ea Latinæ linguæ viget eruditio, ut possint exequi præ- „ scripta rite recteque, sicut oportet. Meum itaque fuit, sa- „ cra jubente Congregatione, cum adhuc essem in Basilica Va-

„ tica-

„ ticana Pœnitentiarius Illyricus, diuturno labore in pene „ infinita idiomatis Illyrici varietate perſcribere communiori „ dialecto Illyricis, quod Latinis ſermo Latinus præſcripſit. „ Quod quidem eo libentius atque alacrius elaboravi, quo gra- „ tius ac jucundius Tuæ Sanctitati futurum exiſtimavi. Ditiſ- „ ſimus profecto theſaurus Eccleſiæ Illyricæ erit, Sacrorum „ RituumRituale effectum Illyricum, quo & gens univerſa di- „ tabitur, & catholica fides in latiſſimis provinciis propagabi- „ tur. Ego vero meos hos labores qualeſcumque ad commu- „ niorem quamdam dialectum Illyricam redactos, Tuæ San- „ ctitati demiſſa animi voluntate offerre & conſecrare conſti- „ tui, ut ſacrum opus hoc, ſub tantæ majeſtatis tutela præſi- „ dioque munitum, in lucem prodeat; imo vero tamquam „ melle conditum ab Apibus Barberinis dulcedinem Tui piiſſi- „ mi nominis in univerſum Illyricum deferat, atque ſuaviſſi- „ mo urbanitatis Tuæ dulcore perfundat. Excipiat igitur Tua „ Sanctitas hoc parvum munuſculum perbenevola urbanitate „ benignitateque, quod ego Societatis Jeſu alumnus prope „ ſeptuagenarius ad ſacros pedes demiſſe abjectus offero, ut „ poſſit liberrime ubique diſpergi atque propagari. Utinam „ aliquando etiam lucem aſpiciat ſelecta a me ex antiquis Illy- „ ricis codicibus verſio Illyrica (*a*) novi Teſtamenti, Tuo „ imperio tuiſque perurbanis auſpiciis, ut ea tota natio luce „ nova Evangelicæ prædicationis & veritatis illuſtrata, contra „ hæreſes & Schiſmata, Tuæ Sanctitatis æterna recordatione „ glorietur & oblectetur.

XV. Idem P. Caſſius Epiſtolas & Evangelicas Lectiones: necnon Novum Teſtamentum Illyrice convertit.

Idem P. Caſſius *Epiſtolas & Evangelicas Lectiones* literis Latinis, & ſermone Illyrico edidit *Romæ ex Typographia Bernardini Tani*. Id quod ante ipſum præſtiterant *Fr. Bernardinus Spalatenſis Venetiis anno* 1495. *&* *F. Jo. Bandulovich Boſnenſis* Ord. Minor. de Obſervantia *anno* 1613. *Matthæus* denique *Alberti*, nobilis Spalatenſis, anno 1616. *officium B. M. V.* iiſdem ſermone & charactere in lucem emiſit.

XVI. Quid ſentiendum de libris Eccleſia.

Verum, quia tum *Rituale Romanum* antedictum, tum *Epiſtolæ* & *Evangelia*, necnon *Officium B.M.V.* & Caſſiana *Teſtamenti*

---

a In Epiſtola ad Lectorem, Illyrice ſcripta, die 15. Aug. 1636. teſtatur, non ſolum novi, ſed etiam veteris Teſtamenti verſionem a ſe elaboratam, *Staroga, i Novoga Zakonna*. Anno vero 1641. edidit.

ſticis in Slavicum vulgarem Sermonem converſis, typiſque impreſſis?

ſtamenti novi verſio, non literali Slavica lingua, ſed vulgari Illyrica prodiere; examinandum relinquo doctis viris, an, poſt editam SSmi Domini Noſtri Benedicti Papæ XIV. illam Conſtitutionem, quam ſupra exhibui „ ut ſcilicet Eccleſiaſtici „ omnes, qui Ritum Slavolatinum colunt, in Miſſis & divinis „ Officiis utantur ſolo idiomate Slavo Literali cum characteri- „ bus Hieronymianis „ fas ſit Slavolatinis hominibus antedictas *Ritualis*, *Epiſtolarum*, *Evangelicarum Lectionum*, *Officii B V. Mariæ*, & *Novi Teſtamenti* editiones in rebus divinis uſurpare? Nam conſtat, eas omnes lingua vulgari Dalmatica & Boſnenſi eſſe conſcriptas, quemadmodum legenti apparet, teſtaturque cl. Caramanus num. XLIX. ſic ſcribens de libris Dialecto Boſnenſi & Dalmatica elucubratis: „ 1. Fr. Bernardino di „ Spalato ſtampò in Venezia l'anno 1495. con caratteri Ro- „ mani, e Dialetto d'allora, un libro delle Epiſtole & Evan- „ gelj, avendone emendato e corretto il Vecchio, 2. Gio: „ Bandulovich Min. Oſſervante Boſneſe fece lo ſteſſo nell' „ anno 1613. con li ſteſſi carattere, e Dialetto ſuo familiare. „ 3. Matteo Alberti, gentiluomo di Spalato l'anno 1616. de- „ dicò alla Signoria di Raguſi la ſua verſione dell' Officio del- „ la B.M.V., annettendovi fra le altre coſe ſacre, li quattro „ Paſsj. 4. Bartolomeo Caſſio della Compagnia di Gesù, Pa- „ gheſano, ſtampò in Roma l'anno 1640. il Rituale Romano, „ ſeguendo il Dialetto Boſneſe. Trovandoſi in tutti e quattro „ il Paſſio, ſi fà il preſente confronto di S. Giovanni d'alcuni „ paſſi, ſecondo la traduzione di 4. Scrittori connazionali „. „ *Latino*: Joan. cap. 28. v. 1. *egreſſus eſt Jeſus*. Alberti 1616. „ *Izide Iſus*. Caſſio 1640 *Iziſcao yeſt Teſus*. Bernardino 1495. „ *Iziſſalye TJus*. Bandulovich 1613. *Iziſcano yeſt Iſſus*. Lati- „ no, *Hortus*. Alberti, *Vartal*. Caſſio, *Vartao*. Bernardino, „ *Vartal*. Bandulovich, *Vartao*. Latino, *Sciebat*. Bernardino, e „ Bandulovich, *Znaſce*. Alberti, *Znadiſce*. Caſſio, *Znadiaſce*. La- „ tino, *tradebat*. Bernardino, *pridavaſce*. Bandulovich, *pridu-* „ *vaſce*. Alberti, *Izdavaſce*. Caſſio, *Izdavaſc* „. Et alia id genus plura diſſimilia. Pergit idem Caramanus *num.* LI. „ Il „ P. Caſſio ſtampò nel Dialetto Raguſino le Epiſtole, e gli „ Evangelj, particolarmente per la città e territorio di Ra- „ guſi, come dal frontiſpizio del ſuo libro, *Romæ ex typogra-* „ *phia*

„ *phia Bernardini Tani* 1641. Ed in questi ultimi anni furono „ ricorretti, e ristampati in Venezia gli Evangelj, e le Epi- „ stole del P. Bandulovich „. Idem num. LI. asserit, Levacovichum Croatam, Achridæ Archiepiscopum, anno 1628. Doctrinam Christianam Bellarminianam a se Croatice interpretatam typis Sac. Congregat. de Propag. Fide evulgasse: additque: „ L' istesso Levacovich ristampò l' anno 1635. a spese „ di Propaganda con caratteri Gerolimiani il *Direttorio* per „ li Sacerdoti, che *Simon Budineo* Sacerdote Zaratino avea „ dato alla luce con caratteri Romani, e dialetto volgare „: Et paulo superius: „ Il medesimo Levacovich approvò il „ *Trattato* dell' *Ortografia* composto dal *P. Michalia* per il „ suo Dizzionario volgare Illirico, *in Roma nel Convento* „ *d' Araceli* 23. *Giugno* 1646. Io Frà Rafaële Croato Minor „ Osservante, Correttore e Riformatore per ordine della „ S. Sede Apostolica de' libri Ecclesiastici della Lingua Illirica „ overo Slava, hò letto il soprapposto scritto sopra l' Ortografia, overo il modo di poter scrivere con caratteri Latini „ la lingua Illirica, fatta dal M.R.P. Giacomo Micaglia della „ Compagnia di Gesù. E per quanto hò osservato, esso Pa- „ dre s' è ingegnato di spiegare le voci Slave con lettere Lati- „ ne con la minor variazione quanto al suono, che tengono suo „ proprio nell' idioma Latino; e spiega assai bene li vocaboli. „ &c. „ Demum de editione *Ritualis Romani*, *novique Testamenti* a P. Cassio elaborata, num. LIII. hæc observat: „ Allorchè il P. Cassio diede alla luce il suo Rituale in lingua „ volgare Illirica, benchè colla lettera al benigno Lettore, „ avesse dato avviso alli Sacerdoti Illirici d' aver tradotto an- „ che il Vecchio e nuovo Testamento, eccitandoli a muovere „ con loro preghiere li Vescovi, e li Arcivescovi a supplicare „ la Propaganda, che fosse impressa la sua Bibbia; tuttavia il „ Vescovo di Segna apertamente reclamò contro la novità „ dalle Ecclesiastiche Costituzioni vietata. Clem. VIII. Indic. „ Libror. Prohibitor. *Biblia vulgari lingua edita, non possunt* „ *legi, neque retineri: neque Episcopi, neque Inquisitores,* „ *neque Regularium superiores dare queunt licentiam.*

XVII. Slavica novi Testamenti editio in Slavicum vulga-

Hæc Caramanus. Sive autem *Cassianam Novi Testamenti versionem*, sive alteram a se elaboratam, Stephanus Rosa,

remSermonem conversa, a doctis viris improbata.

Presbyter Ragusinus, quum nuper Sanctissimo Domino Nostro obtulisset, additis demissis precibus, ut typis mandaretur, non fuit ab eo approbata, cui ferendi de illa judicii cura demandata fuerat. Sic enim *Antonius Episcopus Nonensis*, vir & literalis & vulgaris Slavici idiomatis peritus suam sententiam protulit. „ Quum mihi, statim ac ad Ecclesiam Nonensem „ electus Romam perveni, demandata fuerit a SSmo D. N. „ Benedicto XIV. P. O. M. revisio cujusdam Versionis Novi „ Testamenti dialecto Illyrica conscriptæ a Presbytero Ste- „ phano Rosa Ragusino, & SSmo Domino Nostro anno Jubi- „ læi 1750. pro illius approbatione porrectæ, ut de illius dia- „ lecto meam ferrem sententiam; Versionem ipsam legi, & „ consideravi, eamque prorsus vulgari dialecto Illyrica Bos- „ nensi, seu Ragusina, omnibus pervia & usuali, confectam „ reperi, prout quisque Illyricæ linguæ peritus facillime di- „ gnoscere potest. Et ita fidem facio, ac verbo veritatis te- „ stor. Datum Romæ ex Ædibus domesticis die 3. Augu- „ sti 1754.

XVIII. Inquiritur in Psalterium Slavicum tempore Theodori ultimi Salonitani Archiepiscopi exaratum: simulque obstenditur illud non nisi sub Jo: VIII. Papa conscriptum, & ex Versione Sacrarum scripturarum à SS. Cyrillo ac Methodio elaborata desumtum.

Hactenus de Ecclesiasticis Slavo-Latinorum libris. Unus mihi superest scrupulus eximendus. Qui Slavicam sacrarum Scripturarum versionem aut *sancto Hieronymo* tribuunt, aut certe eam *ante SS. Cyrilli ac Methodii tempora* elaboratam contendunt (qua tamen de re fusius suo loco sermo erit) pro sua sententia clarissimos viros linguæque Slavicæ peritos *Levacovichum* & *Caramanum* proferre possint. Sic enim Caramanus in sæpelaudata Dissertatione num. IV. scribit. „ Uso del- „ la lingua Slava Letterale due secoli innanzi a S. Cirillo. „ Nella stessa lingua con caratteri Girolimiani fu fatto scrive- „ re da *Teodoro* ultimo Vescovo di Salona il Salterio della „ Versione di S. Girolamo due cento e più anni prima che „ predicar cominciasse S. Cirillo, come s'ha da MSS. Origi- „ nali del P. Rafaele Levacovich Arcivescovo d'Acrida. Di „ tale Salterio il Chierico *Nicolò Arbesano* nell' anno 1222. „ ne fece un' esemplare, di cui approfittossi il medesimo Le- „ vacovich, avendoglielo fidato per alcuni mesi *Giovanni Tom-* „ *co Marnavizio* Vescovo di Bosna, per ammirare l' antichità „ e prenderne copia. Servasi scritto di pugno dell' istesso Le- „ vacovich un Frammento diviso in due colonne continenti

„ due

„ due Versioni, questa di *S. Girolamo*, e quella delli *Settanta*. Onde comprendesi l' uniformità della lingua Slavolatina del settimo secolo con la Slavogreca de' posteriori secoli. Verba Raphaëlis Levacovich super literam ✱. Rectum illius tum sonum, tum usum, ex *Psalterio*, quinto ab hinc seculo, hoc est *anno Inc. Dom.* 1222. *Honorio Summo Pontifice*, *Friderico & Roberto Impp. Rege Hungarorum Andrea*, *Gunzello Spalatensi Archiepiscopo*, a Clerico quodam Arbensi, *Nicolao* nuncupato, characteribus Glagoliticis in charta membrana transcripto, atque, ut ibidem dictus Clericus *Nicolaus* præfatus est, ex alio similiter *Psalterii*, impensis & mandato *Theodori ultimi Salonitani Pontificis*, Slavonica lingua manuscripto codice, fideliter descripto, assidua ejusdem lectione didici. Quod quidem *Psalterium* tribus circiter post annis, quam (*a*) *Missale* edideram, fel. rec. D. Jo: *Tomcus Marnavicius* Bosnensis Episcopus, de bonis literis deque Illyrica natione optime meritus, antiquitatis agnoscendæ gratia, ad menses aliquot mihi lustrandum, &, si vellem, transcribendum commodaverat, ut dixi etiam in supradicto Dialogo, differens de literis antiquorum Illyriorum. Quis fuerit laudati Psalterii auctor, quisve illud in linguam Slavonicam transtulerit, & illo volumine fassus sum, & hoc fateor, me certi aliquid non posse asserere. At vero lubens admiserim, fuisse Hieronymum nostrum, tum propter communem vulgo, & Ecclesiæ Illyricæ opinionem; tum etiam propter omnimodam ejusdem cum fonte Hebraico, & Latina Hieronymi ex Hebræo versione concordiam. Qua vel hoc unum manifesta convincit ratione, quisquis fuerit illius aliquando Interpres, illum vel Hebræam, vel Latinam, vel utramque linguam perfecte calluisse, necessario dicendum est. Ejusmodi autem facultatis & literaturæ virum, non modo apud Illyrios, & Slavos, sed ne apud Latinos quidem, neque ante, neque post ætatem præfati Salonitani Archiepiscopi, nullum invenio, præter *Hieronymum*, cujus dormitionem obitus *Theodori* ducentis circiter annis secutus est. Eo ita-

(*a*) Prodiit Missale jussu Urbani VIII. anno 1631. ut supra dixi, quo in emendando suam operam Levacovichus contulerat.

„ que libro hæc bona præcipue consecutus sum. Primum, „ antiquam Slavonicæ linguæ orthographiam: deinde legitimum quarumdam literarum usum; tum secutam certorum „ ejusdem linguæ vocabulorum depravationem: postremo „ plurimorum Psalterii, quod Romano insertum est Breviario, locorum quæ discordabant, ad Vulgatæ editionis „ exemplar accommodationem. Sed & ex Kalendario illi libro annexo, cæterorum, & meum errorem agnovi, quo „ captus, scripsi tum alia multa, tum paulo ante recensita „ nomina *Georgii*, *Evangelistæ*, *Vigilii*, *Jovitæ*, per literam, „ de qua loquimur ш. Nam secundum illius orthographiam „ scribenda essent γεοργии, hoc est, per γ, g, & per и, i, „ non per ш „. Levacovichus igitur ex fide Nicolai Arbensis, qui anno 1222. vivebat, existimat, *Psalterium* illud jussu & impensis *Theodori* ultimi Salonitani Archiepiscopi, ex quo suum idem Nicolaus exaravit, *ducentis circiter annis post obitum S. Hieronymi* fuisse conscriptum: nimirum tam Levacovichus, quam Caramanus *Theodorum* Salonitanum Episcopum intelligunt, sub quo Salona funditus excisa est anno 640. sive uno ex duobus antecedentibus. „ *Annus* enim *urbis captæ* (uti scribit Farlatus Illyric. Sacr. Tom. 1. pag. 339. in Theodoro Episcopo lit. pp.) „ Fuit vel quadragesimus, vel superior, „ vel octavus & trigesimus septimi hujus sæculi; id quod suo „ loco investigandum erit „. ideft, annus Chr. 638. vel 639. vel 640. sub Heraclio Imperatore: quo circiter anno conscriptum volunt *Psalterium* illud *Slavicum* jussu & impensis *Theodori* tunc temporis Salonitani Episcopi: ac proinde *ducentis circiter annis* post obitum S. Hieronymi, quem anno Christi 420. decessisse constat: idque confirmari ajunt iis *Nicolai* Arbensis verbis, *impensis & mandato Theodori ultimi Salonitani Pontificis*: Nam post hunc Theodorum, sub quo Salona fuit excisa, reliqui Pontifices non Salonitani, sed *Spalatenses* dici cœperunt; ex quo scilicet Jo: Theodori successor *Spalatum* Sedem transtulit, uti legitur apud Farlatum Tom. 1. Illyrici Sacri pag. 333. in Catalogo Romano his verbis. *Joannes Antistes hujus nominis* VI. *Salonitanam Sedem Spalatum translatam primus obtinuit ab anno 650. usque ad annum 680.*

Ve-

Verùm, ut huic doctorum virorum opinioni adſtipulari nequeam, plura, eaque, ut puto, graviſſima momenta me impellunt. Primum quidem, admiſſo etiam Nicolai (*a*) Arbenſis librarii teſtimonio, adeo confuſi ſunt Salonitanorum ſeu Spalatenſium Antiſtitum Catalogi, ut certa exinde epocha colligi non poſſit, niſi de iis Epiſcopis, quorum fit mentio in Synodis aut in epiſtolis Romanorum Pontificum, deque iis, qui poſt everſam ſub Heraclio Salonam vixere. Farlatus ipſe tanta Catalogorum caligine obrutus, *Theodorum* in ſerie primi Catalogi *Sexageſimum ſecundum*, (qui certe ultimus Salonitanus fuit; nam pag. 320. proxime antecedit *Joannem ſexageſimum tertium*, de quo ſic ſcribitur: *Joannes primus Archiepiſcopus Spalatenſis patria Ravennas*:) Theodorum, inquam, illum ab anno circiter 640. quo vivebat, ad annum 800. & quod excurrit, pag. 323. lit. cc. detrudit in hæc verba: „ Cum hoc Theodoro Catalogi perperam conjungunt „ urbis everſionem; quum is ex Catalogo Romano, annis „ amplius ducentis poſt Salonam everſam, Eccleſiæ Spalatenſi præfuerit „. Quo quid abſurdius dici queat? Qui enim Joannem Ravennatem anteceſſit, eundem ipſum eſſe Theodorum, ſub quo Salonæ excidium contigit, certo certius eſt. Deinde, tum ex hac Farlati de Theodoro, qui ducentis poſt everſam Salonam annis Spalatenſi Eccleſiæ præfuit, confeſſione; tum ex Catalogo quarto Romano, in quo p.334. *Theodorus* inter annum 880., & 890. ponitur, pronum eſt intelligere, a Nicolao Arbenſi hunc potius *Theodorum* ſæculi noni præſulem Salonitanum ſive Spalatenſem intelligi, quam illum Joannis deceſſorem, ſub quo Salona excidium ſubiit. *Ultimus* quippe *Theodorus* hic eſt, non ille: nam poſt *Theodorum* in ſerie Archiepiſcoporum XXII. de quo in Catalogo Romano pag. 334. „ *Theodorus* V. & *Leo* III. Archiepiſcopi Spalatenſes XXII. & XXIII. præfuerunt inter annos 880. & „ 890. Sedentibus Jo: VIII. Martino II. ſeu Marino, Adria„ no III.

a Quum nullibi, quod ſciam, exſtet autographum illud, quod Nicolaus ſcriptum ſub Theodoro Salonitano Epiſcopo affirmat, dubitari poſſit, an de ſuo Nicolaus addiderit vocem illam, *ultimi Salonitani Epiſcopi*. Quid enim? ſi dicamus, Pſalterium illud in Adnotatione librarii, affirmari dumtaxat, *ſcriptum impenſis & mandato Theodori Epiſcopi*; cetera divinando adjecta fuiſſe?

„ no III. Stephano V. Formoso „ : Post hunc, inquam, *Theodorum* XXII. usque ad *Guncellum* XLVIII., sub quo Nicolaus Arbensis vivebat, suumque Psalterium anno Chr. 1222. scribebat, nullus alius reperitur *Theodori* nomine appellatus Archiepiscopus. Itaque, si vera est illa Nicolai librarii adnotatio, non ad Theodorum, qui anno 640. Salonitanis præerat, sed ad *ultimum Theodorum* referenda est, qui sub Joanne VIII. Romano Pontifice Salonitanam Ecclesiam regebat: tum nempe, quum a SS. Cyrillo & Methodio in Slavicum Sermonem jam conversa fuerant unacum sacris Scripturis divina officia, eorumque usus ab eodem Jo: VIII. Slavis permissus: ac propterea perspicuum redditur, cur Psalterium Slavicum jussu & impensis hujus Theodori Salonitani Episcopi conscriptum fuerit; ut nimirum in usum cederet Slavorum in diœcesi Salonitana degentium. Ceterum neque ante SS. Cyrilli ac Methodii ætatem Sacras literas in Slavicum sermonem fuisse translatas, neque ante Joannis VIII. Papæ tempora usum Slavicæ linguæ in divinis celebrandis concessum, res jam est apud viros emunctæ naris certissima: quidquid sit, de neotericis quibusdam, qui patriæ amore ducti, sine ullo documento, imo contra aperta scriptorum omni exceptione majorum testimonia, dictitant, & Slavicum sermonem Dalmatis Illyriisque congenitum fuisse, & a S. Hieronymo Ecclesiæ Doctore sacras Scripturas Slavice conversas. Quod autem *ducentis circiter & quinquaginta post Salonæ excidium annis* ultimus *Theodorus* a Librario *Salonitanus Archiepiscopus* dictus sit, nemini mirum esse debet. Etsi enim translata a Joanne Archiepiscopo circa annum 650. *Spalatum* Sede, *Spalatenses* vulgo appellari Antistites cœperunt; non tamen *Salonitanorum* nomen desiit, quinimo in Pontificiis literis, quingentis post excisam Salonam annis, *Salonitana Ecclesia & Salonitani Archiepiscopi* vocantur, non *Spalatenses*. Ita Innocentius II. Papa, qui ab anno 1130. usque ad annum 1143. Ecclesiæ præfuit, quum de jure debitoque Salonitano seu Spalatensi Metropolitæ obsequio aliquid detrahere velle viderentur Episcopi Dalmatici, ad Gaudium Archiepiscopum literas dedit, quibus ejus auctoritatem sartam tectam ab omni detrimento seu diminutione conservari jubet, in hæc (*a*) verba: „ Inno-

a Apud Farlat. Tom. I. Illyrici Sacri pag. 309.

„ Innocentius Servus Servorum Dei, Gaudio Venerabili Fratri, Salonitano Archiepiſcopo, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Sicuti B. Gregorii teſtatur auctoritas, & tam veterum, quam modernorum geſtorum monumenta declarant, examinatio & conſecratio Salonitani Archiepiſcopi ex antiqua inſtitutione ad Romanum Pontificem ſpecialiter ſpectat. *Et infra*. Nos ita ſtatuimus, ut in Dalmatia nullo alio in loco Synodus, præter quam in veſtra Metropolitana Eccleſia celebretur, & ibidem omnes Suffraganei præfatæ Eccleſiæ Salonitanæ more ſolito conſecrentur „. Idem confirmat Tirpimirus (*a*) qui Principatum apud Chrobatos anno Chr. 838. obtinebat, in eo diplomate, quo quidquid Deceſſores ſui *Eccleſiæ Salonitanæ*, tunc Spalatenſi, large municeque donaverant, id omne confirmat & in perpetuum ratum eſſe jubet, ac novis inſuper beneficiis & largitionibus cumulat, atque adauget: „ Per paginulam (inquit) privilegialem Sanctæ Salonitanæ Eccleſiæ dictæ mancipata in æternum permaneant; ac deinde ut in ſatam matrem Eccleſiam, quæ Metropolis uſque ad ripam Danubii, & pene per totum Regnum Chroatiæ „. Denique ſeculo vergente (*b*) duodecimo Alexander III. Papa quum ſuas primum ad Gerardum, denique ad Raynerium literas daret, utraſque inſcripſit quidem, *Gerardo*, vel *Raynerio Spalatenſi Archiepiſcopo*, *Apoſtolicæ Sedis Legato*; at per idem tempus eumdem Raynerium *Gregorius Antibarenſis Metropolita* in ſuis ad eum literis, *Salonitanum Archiepiſcopum & Sedis Apoſtolicæ Legatum* appellat. Quum ergo & Theodorum ultimum Salonitanum Archiepiſcopum ſub Jo: VIII. Papa teneamus, & translatarum jam per SS. Cyrillum ac Methodium in Slavicam linguam Scripturarum conſentiat tempus; nulla ſupereſt cavillandi ratio, ut Pſalterium illud temporibus prioris Theodori Archiepiſcopi, ſub quo Salona everſa eſt, a Nicolao Arbenſi Clerico exaratum dicamus; multoque minus, ut Slavicam ejuſdem Pſalterii verſionem ad S. Hieronymum referamus. Atque hic verba doctiſſimi P. Anſelmi Bandurii, a me alibi uſurpata, repetere juvat: qui quamvis Dalmata ſit, pro veritatis tamen ſtudio, Animad-

a Idem Farlat. pag. 308.
b Idem Farlat. pag. 310.

Animadversionibus in lib. Constantini Porphyrogen. de Adm. Imp. edit. Reg. pag. 117. de Slavica Scripturarum versione, ingenue sic scribit: „ Quid vero ipse de S. Hieronymi Alpha-
„ beto & versione Sacræ Scripturæ, ab ipso, ut ajunt, in Sla-
„ vonicam linguam facta, sentiam, libenter fatebor. Nullibi
„ in operibus Divi Hieronymi ne quidem vestigium reperi
„ linguæ Slavonicæ: quam quidem si calluisset, in explanan-
„ dis Scripturis, & pluries quum de nominibus Hebraicis, ea
„ procul dubio usus esset. Ubi vero Divus Hieronymus pa-
„ trium sermonem appellat, aut nostratum linguam; id de
„ lingua Latina, quæ tunc per universum Romanum Orbem
„ [*ac præsertim per Dalmatiam & Illyricum*] in usu erat,
„ intelligendum esse, nemo eruditus ignorat.

FINIS TOMI QUARTI.



IN-

INDEX
TOMI QUARTI
PARS PRIMA.

Origines Ecclesiasticæ Slavorum Russiæ, Hungariæ, Bohemiæ, & Poloniæ.



PARS

PARS SECUNDA.

Origines Ecclesiasticæ Slavorum Dalmatiæ & Illyrici.

Cre-

